This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

[redacted]

(Gerh

ZMX

DEMONSTRATIO
VERÆ
RELIGIONIS
VERÆQUE
ECCLESIÆ
CONTRA QUASVIS FALSAS.

AUCTORE
P. MARTINO GERBERT,
Monacho O. S. B. e Congr. S. Blaſii in Silva nigra,
Em.mi & Rev.mi S. R. E. Cardinalis DE RODT,
S.-Q. R. I. Princ. & Epiſcopi Conſtant. &c. &c.
Theologo.



Permiſſu Superiorum.

Typis SAN-BLASIANIS. 1760.

[redacted]

PRÆFATIO.

Nemo eſt qui inficias eat, apud homines ad id conditos, ut DEO ſerviant, atque æternam ſuam ſalutem curent, nihil prius aut antiquius eſſe debere, quam ut divini cultus rationem teneant, *Ut ſcias*, : TIMOTHEUM inſtruit S. PAULUS 1: *'II.* 15. *quomodo oporteat te in domo DEI ɪerſari, quæ eſt eccleſia DEI vivi, columna ːrmamentum veritatis.*

lanc nos homini divinæ veritatis amanti, que ſalutis ſtudioſo demonſtramus, prout ːripturis ſacris adumbrata nobis eſt: qua- ı judicium refugere haud poſſint adver- lucis hujus, quæ ſuper candelabrum

 poſi-

poſita, non ſub modio recondita, lucet omnibus, qui in domo ſunt: domo illa magna, quæ hunc continet mundum, eccleſia a primordiis ſuis in omnem orbem diffuſa, & propagata. *Ecce eccleſia*, cum S. AUGUSTINO *de unitate eccl. n. 59. T. IX. p.* 383. lucifugas iſtos compellamus, *rogo, quid patimini! ecce eccleſia tot manifeſtiſſimis ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis commendata, & expreſſa, prædicta & demonſtrata:* Sicut audivimus, ita & vidimus .... *Habetis eccleſiam ubique diffundi, & creſcere uſque ad meſſem, de qua ipſe, qui eam condidit, ait*: Non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta.

Nos igitur divinis ſcripturis pleniſſimam adhibentes fidem, qui in ea eccleſia nati ſumus, & educati, quam hæ ſcripturæ unice commendant, eique ut integerrime nos committamus, volunt & præcipiunt, eccleſiam audimus, quam qui non audierit, Chriſtus vult, ut *ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus*. Libertatem vero illam fallaciſſimam proprio judicio decernendi, conſtituendique de religione, quam ſibi paraſynagogæ horumce temporum arrogant, refugimus: quæ nos aut in baratrum errorum detrudit, aut demum omnem prorſus aufert religionis ſen-

ſum, atque in turpiſſimum Atheiſmum, Naturaliſmum, Libertiniſmum, Indifferentiſmum, Fanaticiſmum, Pyrrhoniſmum præcipites dat. Docet hoc funeſta & frequens nimis experientia in tanto hodie ejusmodi monſtrorum numero, quos Germani *Frey-Geiſter*, Galli *forts-eſprits* vocant: ut idcirco nobis, tractaturis de vera religione & eccleſia, a Jove, quod ajunt, principium ducendum ſit, a demonſtratione nimirum DEI, providentiæ &c. ut integrum decurrat demonſtrationis ſyſtema.

Portentis ejuscemodi ſecuriſſime catholica de vera eccleſia obviam it ſententia. Quod ſuo exemplo & teſtimonio nos edocet Deiſta ille a FENELONIO Cameracenſi archiepiſcopo ad gremium eccleſiæ adductus, ut rem auctor vitæ FENELONII narrat. Natus is in provincia, quæ liberam dat de religione cogitandi deliberandique facultatem, tantum ingenio ſuo indulſit, ut omnis religionis abjiciendæ conſilium caperet. Movebant ſectarum inter ſe pugnantium diverſæ & abſonæ doctrinæ, neque ab abſurditatibus vel ipſæ divinæ paginæ vacuæ videbantur, ſola adhuc puritas doctrinæ moralis chriſtianæ aliquantum diſtinebat. Eo quidem tandem

 ratio-

Monet catechiſmus concilii Tridentini paſtores, ut hujus præprimis de eccleſia articuli veritatem fidelibus diligenter frequenterque explicent: quod teſte S. AUGUSTINO prophetæ planius & apertius de eccleſia quam de ipſo Chriſto locuti ſint, cum in eo multo plures errare, ac decipi poſſe, quam Incarnationis myſterio, prævidérent: *Neque enim*, pergit, *deſuturi erant impii, qui ad ſimiæ imitationem, quæ ſe hominem eſſe fingit, ſolos ſe catholicos eſſe profiterentur, & catholicam eccleſiam apud ſe tantum non minus nefarie, quam ſuperbe affirmarent. Deinde ſi quis hanc veritatem firmo animo conceptam habuerit facile horrendum hæreſis periculum effugiet.* Quod prius illud ſpectat omnium ſectarum jurgium, & concertationem, apud ſe eſſe veram eccleſiam contendentium, omnis noſtra deinceps exſplicanda diſſertatio id aget, ut apud nos ſolum eam reperiri comprobemus. Alterum illud, neminem, qui recte de eccleſiæ ſtatu ſentiat, in hæreſis periculo verſari, non eſt, quod dubitet, qui, quæ promiſſa in ſcripturis eccleſiæ ſunt, & fideliſſime ſervata, ſecum attente perpenderit. *Eſt regia quædam via*, ait S. EPIPHANIUS Hær. LIX. *DEI eccleſia, ac veritatis iter: unaquæque vero iſtarum hæreſeon regia relicta via ad dexte-*

ram

exhauſto oceano committunt: dumque privati in rebus fidei ſpiritus judicio defertur, ad naturale tandem arbitrium omnis redigitur fidei apparatus. Quoniam vero recta de DEO rebusque divinis ſententia non tenetur ſalubriter, niſi fide divina; hæc autem non ab ingenio noſtro, conjectationibusque humani intellectus haberi poſſit, indagandum eſt non ſpiritu privato, aut judicio humano fallaci, ſed ejusmodi regula præſtituta, quam DEUS nobis commendat, eccleſiæ inquam, cui promiſſio facta eſt aſſiſtentiæ perennis.

Itaque, quæ poteſt eſſe major ſecuritas in delectu dogmatum chriſtianorum, quam ſuſcipere, quæ nobis ab eccleſia fuerint propoſita. Cum enim in ea cauſa, quæ ſummi momenti eſt, cujusmodi religio eſt, maxime ſecura non conſectari, dementia ſit, quis eccleſiæ judicium humano cuique non præferat? Quod quantos in errores abducere eos ſoleat, qui ei ſe credunt, quotidie funeſtiſſima edocemur experientia. Eccleſiæ vero auctoritas cum divinitus ſit conſtituta (utpote cui Spiritus ſanctus perpetuo aſtiturus eſt promiſſus) ſi falleret, DEO promiſſis non ſtanti potius, quam eccleſiæ fidem fallenti videretur tribuendum, quod cogitare nefas.

 Mo-

debet ſe aliis rebus concredere, quam quæ divinæ auctoritatis teſtimonium habent: theologi enim chriſtiani is mentiretur nomen, qui aliunde ſcita ſua depromeret. Talis auctoritatis, quam tuto theologus ſuſcipiat, eccleſiæ eſt fides, quæ fundamenti inſtar ſit, cui tota ædificii theologici moles ſuperſtruatur. Quidquid ab eccleſia habetur, principia ſunt theologica, unde legitima conclusionis forma placita ſua deducantur, dogmata illuſtrentur, defendanturque. Quare meminiſſe debet theologus, qua eccleſiam ſuſpicere debeat, ac colere religione: ne dum ſibi relinquitur, ejus ſinu excidat, & alienam a veritate ſuſcitet doctrinam. Quod iis omnibus accidit aliquando, qui hæreſum extiterunt auctores. Cum enim de rebus divinis diſputando, ratiocinandoque longius abriperentur, corrigi vero ab eccleſia pertinaciter renuerent, in abſurdas, falſas, & perverſas opinationes ſunt prolapſi. Horum exemplo diſcat theologiæ ſtudioſus, quo fato contingat, ut theologi evadant hæretici: dum ſuum judicium eccleſiæ non ſubmittunt; nec ea, qua par eſt, illius decreta proſequuntur obſervantia.

Scripturam ſibi vindicant, quæcunque chri-

chriſtiano nomine veniunt ſectæ, quamvis pro lubitu quæque ſuo, aut mutilatam, aut corruptam, aut ad ſuam ſententiam detortam. Quod ipſum in cauſa eſt, ut verum ejus intellectum a vivo aliquo judice petendi neceſſitas ſit, haud minus ac cæteræ leges ſcriptæ interprete opus habent: præſertim cum nulla exiſtat, in qua hominum ingenia tantum experiantur ſtudium & laborem ſuum, quam in ſcriptura ſacra, atque omnium temporum experientia comprobetur, quam diverſas, & adverſantes ſibi inde perverſi homines exſculpſerint ſententias. *Extiterunt enim plures*, ut S. HILARII lib. II. de Trinit. p. 789. verbis utar, *qui cæleſtium verborum ſimplicitatem pro voluntatis ſuæ ſenſu, non pro veritatis ipſius abſolutione ſuſciperent, aliter interpretantes, quam dictorum virtus poſtularet, de intelligentia enim hæreſis, non de ſcriptura eſt, & ſenſus non ſermo fit crimen.* Nec litteræ igitur tuto aliquis fidit, quæ toties jam occidit, ac falſa eſt; nec proprium, ac privatum ſequi conſultum eſt intellectum, toties deceptum; ſed ſolum ſupereſt, ut eccleſiæ ſuſcipiamus judicium, quam invictam ſemper ac inconcuſſam in fide contra omnium hæreſum inſultus comperimus, quæ ex ea progreſſæ, ab ea proſtratæ

ſunt

ſunt & damnatæ. *Quis non bene credentium ignorat*, ut cum S. FULGENTIO pro fide catholica adv. PINT. loquar, *quia omnes hæreſes de catholica exierunt tanquam ſarmenta inutilia de vite projecta?*

Neque vero ea ſolum ab eccleſia ſuſcipere debemus, quæ nobis ex vero ſcripturarum intellectu proponit, quin & divinum illud traditionis depoſitum eidem eccleſiæ concreditum, quandocunque nobis depromit, tanquam divinam vocem revereri nos oportet, quæ divina vox nobis apertiſſimis verbis eccleſiam commendat: quod S. AUGUSTINUS *Lib. I.* contra CRESCONIUM, *T. IX. p.* 407. adverſus Donatiſtas edicit, ſed æque ad alias cauſas eccleſiaſticas, quæ aperte in ſcripturis non deciduntur, valet. *Quamvis*, ait, *hujus rei certum de ſcripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen ſcripturarum etiam in hac re a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas: ut quoniam ſancta ſcriptura fallere non poteſt, qui falli metuit hujus obſcuritate quæſtionis, eandem eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta Scriptura commendat.*

Itaque ſacra eſt ancora eccleſia, ad quam, qui ſe tenent, ſecuros ſe a naufragio præſtant: tutus eſt contra omnes fluctuationes portus. Quotus quisque ex rudioribus fidelibus exiſtit, qui vix ultra ea, quæ ſunt credenda neceſſitate, quam vocant medii, perſpecta habet. Sed quando de aliis eccleſiæ ſe tenere fidem profitetur, in ſalvo rem ſuam ponit, etſi forte eveniat, ut ſtulta nonnunquam cogitatione verſet rectæ fidei adverſantia canoni. Siccat, ut S. HIERONYMI contra Lucifer. phraſi utar, omnes propoſitionum rivulos uno eccleſiæ ſole: atque in ſinu illius placide conquieſcit, nihil ſibi ab inſipientia ſua metuens & ſimplicitate, quam eccleſiaſticæ fidei tegit velamine.

Doctis igitur & indoctis, ſapientibus & inſipientibus commune eſt eccleſiæ perfugium, communis lux, quæ latere neminem poſſit, cum amplitudine ſua ſe diffundat per univerſum orbem, ut neminem illius prætereat claritas, niſi ipſe oculos claudat. *Veritas enim*, loquitur ORIGENES in MATTHÆUM T. II. ed. Genebr. p. 92. *ſimilis eſt fulguri egredienti ab oriente, & apparenti uſque ad occidentem. Qualis eſt veritas eccleſiæ DEI: ab ea enim ſola ſonus in omnem orbem exivit, &*

in fines orbis terræ verba eorum, & velociter currit ſola veritas DEI.

Quoniam vero infinitæ ſunt, fueruntque ſectæ, quæ apud ſe veram religionem atque hanc veritatis columnam & firmamentum eccleſiam eſſe clamant, contra has omnes demonſtranda eſt illa inter omnes ſola vera religio & eccleſia, atque ab injuſtis hujus nominis poſſeſſoribus vindicanda: qualis vera religio apertiſſimis rationibus, veraque eccleſia juxta apertiſſima ſcripturæ teſtimonia ſemper eſt agnita, atque omnibus temporibus vindicata contra iniquos uſurpatores. Neque vero habent Neoterici, quod ſpreta omnis antiquitatis auctoritate, ſolo contemtu rejiciant, exſibilentque, quæ afferemus præſertim ad demonſtrationem veræ eccleſiæ teſtimonia eorum, qui inde ab apoſtolicis temporibus in ſacris ſcripturis enutriti, meditatique die ac noctu, in eandem ſententiam ſecum ac nobiscum Catholicis in deſignandis notis veræ eccleſiæ ad unum omnes conſpirant. Nullos autem adducimus auctores, niſi qui ex inſtituto materiam hanc contra hæreticos & ſchiſmaticos tractarunt, atque eundem nobiscum volverunt lapidem, multis ante ſæculis, quam nuperi Reformatores

litem

litem veræ catholicæ eccleſiæ intenderint; ut adeo minime ſuſpecti, a ſtudio partium ſemoti ſint teſtes omni exceptione majores, plerique ex illa ætate, qua adhuc doctrinam incorruptam eſſe fatentur, atque ex illa eccleſiæ communione, quam pro vera agnoſcunt ipſi adverſarii. Quorum ſi auctoritati nolint deferre, qualis apud nos ea cenſetur; debent tamen firmas & ſolidas ab illis allatas rationes ac ſacræ ſcripturæ interpretationes ſuſcipere, aut eorum omnium temporum inde ab apoſtolis uſque ſpernere doctrinam, cujus hi teſtes citantur.

Ordo is erit, qui ſe ſuopte offert, & commendat: ut primum veræ religionis chriſtianæ demonſtrationem faciamus, adverſus eos, qui ab hoc nomine ſunt alieni. Poſtea contra eos veram demonſtramus eccleſiam, qui commune nobiſcum habent chriſtianum nomen, a vera autem extorres ſunt eccleſia.

Conſtitueram, quæ demonſtrationem religionis generatim ſpectant, brevius transcurrere; mutavi autem conſilium, atque deprehendi tempora & mores etiam hic exactius aliquid flagitare. Etſi enim infidelitas in noſtris plagis non palam regnet, occulte tamen

men

men graſſatur, atque ut peſtilens cancer ſerpit. In libris vero paſſim impietatis venenum propinatur, nunc apertius, nunc occultius, eo majori periculo, quo ſubtilius eſt reconditum ac latentius ſparſum.

Qui nomen chriſtianum nobiſcum gerunt, a communione autem veræ eccleſiæ excluduntur, nihil hic acrius, aut contumelioſe in ſe dictum reperient. Qui, quod *Petrus* FABER in epiſtola quadam inter primas regulas poſuit, cordi habeo: ut charitatis intima viſcera erga adverſos fratres geramus; ſincere atque ardenter amemus, nullas foventes animo cogitationes, quæ illos contemtu dignos ſuadeant: deinde ut illos nobis conemur benevolos, atque propitios reddere, ut recte de nobis & ſentiant, & judicent intra ſe. Profecto enim nihil adverſum eſt adeo pacis conciliationi, quam averſio animi; contra vero nihil ad concordiam ineundam magis confert, quam benevolentiæ captatio, atque exaſperati, exacerbatique animi mitigatio. Paſtorum id maxime eſt, quod plures nunc, exemplo ſummi paſtoris Romani, agunt, exardeſcentes redintegrandi ovile dominicum ſtudio, reducendique oves diſtractas & alienatas, ad inſtar evangelici paſto-

ris

neris imponentis ovem errantem.
t apoſtolici zeli recta ratio, pandere
amoris ſinum, explicare charitatis vi-
inimicum amice excipere, ut amici-
auretur chriſtiana. Oſtendendus eſt
pacis viridis, quomodo amore & vo-
e trahuntur oves, minis aut verberi-
ertuntur. Dici non poteſt, comis cum
ſariis agendi modus, quam eos deli-
atque conſociationis aliquando polli-
fructum. Sæpe audivi dicere aver-
atres noſtros, jam demum optimam
ere ſpem communis in chriſtianam ſo-
s reditus, poſtquam animorum irrita-
acerbitas inter adverſas deferbuerit
: quæ utinam magis magisque ſufflami-
, non novis incendatur ſimultatibus ac
lis, ſed pax redintegretur, ac in
ecclesia catholica undique
regnet.

SYLLABUS CAPITUM.

LIBER I.

Demonſtratio veræ religionis.

CAPUT I.

DEUM exiſtere teſtimonio humanæ mentis, ac communi omnium conſenſu contra atheos oſtenditur.

CAPUT II.

Demonſtratio divinæ exiſtentiæ ex rerum univerſitate.

CAPUT III.

DEUM rerum curam & providentiam habere demonſtratur.

CAPUT IV.

Stante providentia, etiam religio & cultus divinus ſtare debet.

CAPUT V.

Cum rationi in conſtituendo divino cultu fidere non poſſimus, a DEO ipſo accipere debemus.

CAPUT VI.

Neque originem, neque remedium malorum, niſi DEO docente & revelante novimus.

CAP.

CAPUT VII.

niſi eodem revelante Numine, ſtatum animæ noſtræ ...rtalis in altera vita novimus.

CAPUT VIII.

...riſtianos indicia, ac ſigna veræ religionis, ac di... e revelatæ haberi.

CAPUT IX.

ſcripturam ſuam etiam veracitatem, divinitatem ... multis argumentis commendare, oſtenditur.

CAPUT X.

s veteris teſtamenti contra obtrectatores aſſeritur.

CAPUT XI.

s novi teſtamenti adverſus dubia & objectiones ...ditur.

CAPUT XII.

credibilitatis pro veritate religionis chriſtianæ.

CAPUT XIII.

...ratio religionis chriſtianæ ſingulariter ex prophe... ...eteris teſtamenti.

CAPUT XIV.

...divinitaſque religionis chriſtianæ ex miraculis de... ...ratur.

CAPUT XV.

religionis chriſtianæ ex mirabili ejus propagatione ...nſtrata.

CAPUT XVI.

fidem detrectanti, ac contra veritatem chriſtia... ſeſe opponenti, difficultateſque moventi occurri...

CAPUT XVII.

...et teneri in negotio tam arduo, æternam felicita... aut infelicitatem attinente, tutam amplecti viam.

[redacted]

SYLLABUS

CAPUT XVIII.

De ſtatu veræ religionis inde a primis conditi orbis temporibus.

CAPUT XIX.

De fide ante Chriſtum extra ſynagogam.

CAPUT XX.

Quinam fidei divinæ neceſſitatem inficiati ſint, eamque damnarint ?

CAPUT XXI.

Apoſtaſia a vera eccleſia ante Chriſtum.

CAPUT XXII.

Judaicam legem temporariam fuiſſe, & peculiarem genti Judaicæ, jamque abolitam eſſe.

CAPUT XXIII.

Chriſtianam eccleſiam in locum ſynagogæ ſucceſſiſſe.

CAPUT XXIV.

De Judaicis erroribus tum in ipſo Judaiſmo, cum in Chriſtianiſmo ortis.

CAPUT XXV.

De Mahumedaniſmo.

CONCLUSIO & ADHORTATIO

ad veram chriſtianam religionem agnoſcendam.

LIB. II.

CAPITUM.

LIBER II.

monſtratio veræ eccleſiæ chriſtianæ contra falſas quasvis.

CAPUT I.

nnumeras ſectas indagare neceſſarium eſt veram ſiam, apud quam ſit vera religio.

CAPUT II.

t genuina eccleſiæ notio, & deſcriptio generatim r.

CAPUT III.

rias eſſe notas quasdam, quibus inter tot hæreticas demonſtretur eccleſia.

CAPUT IV.

bantur, quas conſtituunt notas eccleſiæ, ac criteria atum religionis veræ, Proteſtantes.

CAPUT V.

uuntur genuinæ notæ, criteria, ac totius veræ ec- æ ratio & forma a primo ſæculo.

CAPUT VI.

notæ, & prærogativæ veræ eccleſiæ, ac contra- hæreſum ſigna ex mente S. IRENÆI.

CAPUT VII.

RTULLIANI libro de Præſcriptionibus, demonſtra- veræ eccleſiæ legitima poſſeſſio contra Novatores.

CAPUT VIII.

PRIANI de tenenda unitate eccleſiæ catholicæ ac tolicæ contra hæreſes & ſchiſmata, doctrina.

CAPUT IX.

ac notæ veræ eccleſiæ adverſus falſas quasvis a S. TATO *Milevitano* expoſitæ.

CAPUT X.

Quibus indiciis, ac notis vera inter falſas quasvis ſcatur eccleſia juxta PACIANUM.

CAPUT XI.

De veræ eccleſiæ notis characteriſticis contra ſchiſ conventicula ex mente S. HIERONYMI.

CAPUT XII.

Qualem conceptum, exiſtimationemque S. AUG. de eccleſia, illiusque a falſis quibusvis diſcrimine habu

CAPUT XIII.

VINCENTII *Lirinenſis* commonitoria, ac regula diſcriminandam veram eccleſiam ac fidem contra r tes hæreticorum.

CAPUT XIV.

Articulus de eccleſia in ſymbolis ad credendum pro ad veram contra falſas quasque agnoſcendam tenenda eccleſiam.

CAPUT XV.

Quædam de his notis animadverſiones ſingulares.

CAPUT XVI.

Citatos teſtes, & aſſertores notarum prædictarum, n ſuo eas cerebro, ſed ex ſcriptura deſumſiſſe.

CAPUT XVII.

Vindicantur hæ notæ veræ eccleſiæ contra objectione reticorum.

CAPUT XVIII.

Qua ratione notæ prædictæ ſolum in eccleſia Roman prehendantur.

CAPUT XIX.

SS. Patrum teſtimonia pro firmitatæ Romanæ eccle cujus communione reſplendeant notæ veræ eccleſiæ.

LIBER III.

Demonſtratio veræ eccleſiæ contra ævi noſtri Paraſynagogas.

CAPUT I.

Diſquiritur, an jure Novatores ab eccleſia Romana ſeſe ſeparaverint.

CAPUT II.

Nunquam licere facere ſchiſma.

CAPUT III.

Reformatores prætenſi horumce temporum ſchiſmatis reos eſſe.

CAPUT IV.

De tollendo ſchiſmate, & variis tentatis concordiis inter ſectas.

CAPUT V.

De moribus, ſtudiis & artibus perverſis, quibus falſarum eccleſiarum inſtitutores ſe notam veræ eccleſiæ, ſanctitatem, minime poſſidere oſtendunt.

CAPUT VI.

De perverſa indole auctorum novarum ſectarum, earumque doctrinæ.

CAPUT VII.

De nomine & appellatione, quæ veræ eccleſiæ competit, a falſis uſurpatur.

CAPUT VIII.

De veris hæreticarum ſocietatum nominibus, & falſis, quas illi veræ affingunt eccleſiæ.

CAPUT IX.

Hæreticos ob ſolam amplitudinem Catholicos male dici, niſi origines apoſtolicas oſtendere poſſint.

CAP.

CAPUT X.

Præter origines apoſtolicas, etiam miſſionem ſuam oſtendere debent hæretici.

CAPUT XI.

Quomodo eccleſiæ apoſtolicæ demonſtratio in ſacri miniſterii ſucceſſione demonſtret veritatem fidei, & præjudicet falſitatibus.

CAPUT XII.

Vana effugia adverſariorum, ac imprimis eorum, qui auctoritatem ſacri miniſterii omnem abjiciunt, cujus rei funeſti effectus oſtenduntur.

CAPUT XIII.

Calumnia de apoſtaſia eccleſiæ, atque defectu ſucceſſionis veræ apoſtolicæ.

CAPUT XIV.

Fruſtra adverſarii ad miniſterium extraordinarium recurrunt.

CAPUT XV.

Fruſtra etiam ad eccleſiam Romanam recurrunt.

CAPUT XVI.

Non poſſunt omnino oſtendere, ubi eccleſia fuerit antequam ipſi ſeceſſionem fecerunt.

LIBER I.

DEMONSTRATIO VERÆ RELIGIONIS.

CAPUT I.

DEUM exiſtere teſtimonio humanæ mentis, ac communi omnium conſenſu contra Atheos oſtenditur.

I.

Incredibile ſanè videatur inter homines, quibus ſolis, inter terræ incolas, datum, mentis perſpicacia ad cœleſtia uſque, & divina penetrare, repertos

Mirum eſt ſe repertos, hodieque plures reperiri Atheos.

eſſe,

eſſe, qui inſignem, ac longe præſtantiſſimam lucem in ſeipſis extinguere allaborent, qui dicere audeant in cordibus ſuis: *Non eſt Deus.* Et quod magis adhuc mireris, ſplendidiſſimis chriſtianæ religionis radiis, tantum abeſt, ut hæ plusquam Cimeriæ ſint diſpulſæ tenebræ, ut noſtro præprimis infelici ævo atræ nubis inſtar late ſe quaquaverſum diffuderint, & quando ſcientiæ reliquæ novam, ac multam lucem nactæ hodie videri queant, contra divini Numinis cognitio ſit obſcurata. Nimirum eo devenit humanus faſtus, ac perverſæ mentis elatio, ut qui recte de DEO ſentiunt, & ſe ſuaque omnia gratanter T. O. M. in acceptis ferunt, conſervata ſincera de divino Numine exiſtimatione, pro ſtupidis, ſimplicibus, vera ſapientia & eruditione deſtitutis habeantur.

Cauſæ cur hodie præſertim multi ſint Athei.

II. Non potuit res aliter accidere, poſtquam ratio tribunal ſuum etiam in divinis erexit, ſibique judicium arrogavit excuſſo omni fidei obſequio. Quod dum ſemel uſurpatum in ipſis religionis chriſtianæ myſteriis, multo magis locum invenire debuit in illarum divinarum rerum perceptione, ad quas ſuapte natura intellectus aſſurgere quadantenus valet. Quo in cenſu primum DEI exi-

exiſtentia habetur, quæ a plurimis in dubium vocatur, qui præ cæteris de rationis acrimonia ſe jactant, & magnos ſe ſpiritus ingeniaque fortia (*forts eſprits*) venditant, cum ſint omnium ſtultiſſimi divino judicio, ac Spiritus S. apud Pſaltem atteſtatione, ipſaque ſana dictante ratione: qui dum omnia debili rationi ſuæ commenſurare petunt, ac pro ſimplicibus credulisque alios habent, ipſi ad opiniones abſurdiſſimas delabuntur, nec ullam credibilem, rationique conſonam ſui, cæterarumque rerum originem prodere poſſunt. Prævidit D. LUTHERUS hoc ſolum ad cumulum impietatis ſupereſſe. Et jam eventus rei veritatem docuit, quantum noceat humanam rationem ſuo relinquere arbitrio, ut jam opus ſit publicas cathedras non ad prædicandum evangelium, ſed demonſtrandam DEI exiſtentiam, religionemque chriſtianam inter ipſos chriſtianos inſtituere: qualem in Anglia conſtitutam conſilio & ope BOYLII percepimus. Quod dum ſtupendum eſſet viſum (*a*) D. RACINE, illius editor in Germania Proteſtans cauſam hujus rei attulit, quam tutius eſt illius verbis quam meis attexere. *Quodſi*, inquit, *Angli apud Romanam perſeveraſſent Eccleſiam, hoc opus*

(*a*) M. RACINE la Religion Chant Premiere.

non fuiſſet, ſed tantum ut crederent quod credit Eccleſia (*a*). Equidem fatendum eſt multos eſſe ac fuiſſe, qui idcirco omnem divini Numinis ſenſum exuunt, ut eo liberius vitiis, ac cupiditatibus illicitis frena laxent, dum neminem ſupra ſe ſibi perſuadent quem vereantur, quique ultricem ſcelerum ſumat vindictam. Tales nobis impios deſcribit Spiritus S. in ſcripturis non uno loco, qui belluarum inſtar nil niſi terrena ſapiunt, toti his caducis dediti, ac immerſi.

Quanto ſui periculo & damno ſe huic errori committant.

III. Hi dum criminis metum a ſe projiciunt, aliud addunt longe immaniſſimum, abnegationem Numinis ſcelerum vindicis, olim non tantas pravarum ſuarum actionum ac belluinæ vitæ, quam hujus ſuæ infidelitatis horrendæ, ac omnium maximæ in DEUM injuriæ pœnas daturi. Quarum etiam ſenſum jam hic aliquem percipiunt in diris conſcientiæ cruciatibus, quos nunquam penitus, quidquid etiam moliantur, extinguent. Sed iſti practici potius ſunt Athei quam ſpeculativi, qui in hoc unice nituntur, ut ſubtilibus ratiociniorum textis oculos mentis operiant, imo

&

(*a*) Wären die Engelländer bey der Römiſchen Kirch geblieben, ſo hätten ſie ſolches nicht nöthig gehabt, ſie hätten nur glauben därfen, was die Kirch glaubet.

rpòris claudant ſplendori undique
anti, nec ſinenti divinum nobis la-
Numen: qui quo perſpicaciores ſi-
dentur, in id omnes ingenii vires
ndunt, ut ſuæ velificent impietati,
ſibi impervium, & inacceſſum exi-
ntes, idque omne reſpuentes, quod
rehendere nequeunt, atque in ma-
divinis quæ ignorant blaſphemant.
iim eo majore reatu ſe coram DEO
ingunt, quo excellentioribus in-
donis ſunt inſtructi a Patre lumi-
: cujus ſingularem erga ſe largita-
am male collocant, facto illius uſu
ium auctorem e rerum natura ex-
um, impenſis ad hoc omnibus
viribus. Id quod ſcelus mirum
m aggravat, & animi perverſi-
rodit, qualem nullam ſibi de
m perſuadere forte quis poſſet,
frequens nimium experientia
r, ut nihil tam ſacratum ſit,
irrepat.

:que hinc etiam argumentum
it minime DEUM ſui ſuarum-
t, divinarum rerum cognitio-
onditione voluiſſe hominibus
, ac earum arbitrium, explo-
e tali periculi plenæ aleæ
. Quare, ſicuti CHRISTUS
trem multum laudavit, quod

Unde facile liberantur.

 myſte-

myſteria ſua a ſapientibus, & prudentibus abſconderit, & revelaverit parvulis, ita nos pariter grati agnoſcamus beneficium cœleſte, quod nos diffidedere nobis ipſis docuerit, ne, qui ſpeculator eſt Majeſtatis, opprimatur a gloria. Ab hoc nec illi etiam ſatis ſibi, ac aliis cavent, qui hoc maxime tempore, dum ſe etiam cauſæ hujus vindices, ac aſſertores præbuerunt pro DEI gloria adverſus Atheos, & ſimilia impietatis monſtra, nova curioſe ac ſubtiliter excogitaverunt, vetera enervare etiam contendentes cauſæ firmamenta; qui dum ingenii oſtendandi cauſa a via recepta diſcedunt, hoc demum obtinent, ut cauſam optimam peſſime agentes, Atheis vel inviti, ſi modo non interdum data opera, potius faveant, ac victoriam tradant: ut recte obſervatum ab iis, qui in hac ipſa materia ſolide verſati perſpicuis, & ad omnium captum accommodatis argumentis uti non detrectant.

Dummodo in ſeipſos homines reſpectent ad inſitam menti Dei notionem.

V. His nos conſiliis, veſtigiisque inhærentes, ut conſequenter in noſtra procedamus demonſtratione, quibusdam a communi intelligentia haud remotis argumentis DEI aſſeremus exiſtentiam nec aliud flagitamus, niſi primum ut homo aciem mentis in ſeipſum reflectat:

ctat:

ſtat: deinde dum oculis corporis paululum circumſpexerit, in hoc univerſo, ſecum animo reputet rerum origines, earumque auctorem. *Eja nunc homuncio*, liceat mihi rem ordiri D. ANSELMI (a) verbis, *fuge paululum occupationes tuas, abſconde te modicum a tumultuoſis cogitationibus tuis. Abjice nunc oneroſas curas, & poſtpone laborioſas diſtenſiones tuas. Vaca aliquantulum DEO, & requieſce in eo. Intra in cubiculum mentis tuæ, exclude omnia præter DEUM, & quæ te juvent ad quærendum eum, & clauſo oſtio quære eum. Dic nunc, totum cor meum, dic nunc DEO: quæro vultum tuum*, vultum tuum Domine requiro. *Eja nunc ergo tu Domine DEUS meus, doce cor meum, ubi & quomodo te quærat. ubi, & quomodo te inveniat. Domine ſi non es hic, ubi Te quæram abſentem? Si autem ubique es, quomodo Te non video præſentem?* Videamus poſtea, quomodo ſanctus Doctor noſter ac ductor DEUM nobis in intima mente noſtra nobis ſiſtat, ac demonſtret, cum prius inſitam nobis nullatenus adventitiam, factitiamque DEI notionem, ideamque veluti Entis omni perfectionum genere cumulatiſſimam nonnihil evolverimus, cujus ideæ certe nulla ex-

A 4 trin-

(a) Proſolog. c. 1. T. I. p. 29. b. Ed. Par. 1721.

trinſecus adveniens cauſa eſſe poteſt, neque anguſti ſenſus noſtri, neque inſtitutio, nec mens per variarum perfectionum compoſitionem, earumque in majus auctionem : quæ omnia nunquam poſſent repræſentare menti meæ infinitam perfectionum omnium formam; & imaginem. (*a*)

Si DEUS haud eſſet, nec ſe paſſim ipſe videndum
Præberet, quonam hunc poterant ſibi fingere pacto
Mortales? Mera mens ſenſus non afficit, illam
Reddere qua poſſit, non ulla occurrit imago.
Non hunc adſcivit ſane in ſua vota libido
Quem potius veluti cenſorem exoſa ſeverum
Detrectat. Supereſt, ut homo vi luminis ipſa
Agnorit lumen ſummum, & ratione coactus.

Eſt ſic mentibus noſtris connaturalis imago illa ac idea Entis infinite perfecti, ad quam non ſolum limites noſtræ naturæ commenſuramus, verum etiam jugem in nobis Numinis conſervamus memoriam, ut, niſi annihilata anima, ea deleri ex animo nequeat, quæ mentem ſubit ſui conſciam, quamque haud minus abnegare queo quam meipſum.

In qua ejus exiſtentiam clare deprehendent.

VI. Verum eſt fuiſſe qui hoc mentis ſimulacrum corrumpere, aut etiam penitus extinguere ſategerint, ſed prius defe-

(*a*) Melch. de POLINAC Antilucretius L. IX. v. 77. &c. Vide RACINE Chant. I.

defectus attentionis eſt, poſterius effectus extremæ perverſitatis. *An ergo non eſt aliqua talis natura*, ſunt verba ANSELMI, (a) *quia dixit inſipiens in corde ſuo non eſt DEUS? Sed certe idem ipſe inſipiens, cum audit hoc ipſum quod dico, aliquid quo majus nihil cogitari poteſt, intelligit quod audit, & quod intelligit in intellectu ejus eſt, etiamſi non intelligat illud eſſe . . . Convincitur ergo etiam inſipiens eſſe vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari poteſt: quia hoc cum audit, intelligit, & quidquid intelligitur in intellectu eſt. Et certe id, quo majus cogitari nequit, non poteſt eſſe in intellectu ſolo, ſi enim vel in ſolo intellectu eſt, poteſt cogitari eſſe & in re, quod majus eſt. Si ergo id, quo majus cogitari non poteſt eſt in intellectu ſolo, idipſum quo majus excogitari non poteſt, eſt quo majus excogitari poteſt: ſed certe hoc eſſe non poteſt. Exiſtit ergo procul dubio aliquid quo majus cogitari non valet, & in intellectu, & in re.* Patet iſtic ideam DEI innatam eo modo explicari, quo poſtea CARTESIUS: quatenus nimirum idea Entis ſumme perfecti hoc ipſo etiam exiſtentiam includat, quæ & ipſa ſit perfectio, conſequenter abeſſe ab Ente ſumme perfecto haud minus poſſit, quam ab idea

(a) S. ANSELM. Proſol. c. II. p. 30. b. B.

montis idea vallis, aut ab idea trianguli tres anguli æquales duobus rectis: his enim exemplis utitur CARTESIUS (a) in meditationibus ſuis metaphyſicis: *Neque enim*, inquit, *mihi liberum eſt DEUM abſque exiſtentia (hoc eſt Ens ſumme perfectum abſque ſumma perfectione) cogitare.* S. ANSELMUS (b) conſpirat: *Si id quo majus cogitari nequit, poteſt cogitari non eſſe, idipſum quo majus cogitari nequit, non eſt id quo majus cogitari nequit, quod convenire non poteſt. Sic ergo vere eſt aliquid, quo majus cogitari non poteſt, ut nec cogitari poſſit non eſſe: & hoc es tu Domine DEUS noſter. Sic ergo vere es, Domine DEUS meus, ut nec cogitari poſſis non eſſe.*

Secus ac quibusdam videtur.

VII. Non me latet ideam DEI hoc modo explicatam, non omnibus æque probari ad invictam DEI demonſtrationem efficiendam, atque jam a D. THOMA videri rejectam. Certe D. ANSELMO jam opus fuit hanc ſuam demonſtrationem tueri contra adverſarium, qui Atheorum partes aſſumens pro inſipiente impugnavit id argumentum. Aliis hodie haud videtur DEUM primum a nobis ut Ens perfectiſſimum cogitari, ſed illud demum ideam DEI exiſtentis conſequi.

(a) CARTESIUS Medit. V.
(b) Proſol. c. 3. p. 30. b. D.

ſequi. Alii non putant ideam infiniti quidquam naturæ noſtræ ac menti connatum, ſed eam a nobis formari addendo ſemper aliquid ideæ finiti, ſecus ac multi etiam ethnici philoſophi PLATO ac CICERO ſenſerunt. Alii in eo carpunt, ac ſi ſupponat, quod ab Atheo negetur. Alii realitatem ejus non putant ante omnem exterius advenientem cognitionem jam menti inhærere, aut demonſtrari. Negari tamen nequit cum theologorum & philoſophorum ſententia eſſentiam in aſeitate conſtituentium, atque cum ipſa ſacra ſcriptura, in qua DEUS nobis ut ὁ ὢν non ſemel deſignatur apprime convenire: imo illi etiam, qui hanc in ſe ideam animadvertere nolunt, tamen per demonſtrationem DEI ab Entis neceſſarii, & poſſibilis notionibus, proprius huic conceptui accedunt.

VIII. Argumentum de notione omnibus hominibus inſidente confirmat conſenſus hominum de exiſtentia DEI: parum autem refert ad rem ipſam, an conſenſus iſte ex innata aut acquiſita cognitione proveniat, ſive una alteri veluti ſuppetias ferat, cum omnes æqualiter pro exiſtentia Numinis conſpirent, quicunque uſum rationis habent, & affectata vel barbarie, vel malitia non refragantur, & ſuffocant hanc cognitionem,

Cum tamen omnes ſemper DEI notitia ſint imbuti.

nem, quo ipſam tamen penitus ex mente & intellectu expellere non valent, licet id maxime connitantur. Aut ſi etiam, quod pauciſſimi largiuntur, demus poſſe dari in rerum natura ſpeculativos Atheos, non plus proficiunt contra conſtantem veritatem, quam illi etiam ſapientes, qui penitus omnem veritatem in dubium vocant: haud definire audentes an nix ſit alba: aut qui mundum idealem ſolum fingunt. Cum nulla poſſit in conceptu DEI oſtendi contradictio, neque aliquis tam expers omnis intelligentiæ exiſtat, qui animo concipere nequeat Ens aliquod ſummum omnibus perfectionibus cumulatum, cujus equidem conceptus adæquatus eoquod homini non adſit, tantum abeſt ut huic veritati obſiſtat, ut potius confirmet. Quodſi enim comprehendi penitus poſſet ab anguſtis nimis mentis limitibus, hoc ipſo oſtenderetur eum non eſſe infinitæ perfectionis. Certe nec in humanis idcirco rerum cognitionem non habere dicimur, quod adæquata ea haud ſit, eoquod raro cognitio humana ad iſtum perfectionis gradum aſcendat.

Quamvis non ſemper incorrupta.

IX. Hinc difficultas ſolvitur, quæ oritur ex perverſo multorum de DEO conceptu, uti vel de gentilibus res patet; error enim in attentionis & appli-

cationis

[redacted]

onis defectu, mentis anguſtiis, ac judiciis conſiſtit, quando homines noſcunt quidem DEUM, ſed non DEUM glorificant. Cum univerloquendo nulla unquam extiterit tam natio, quæ non aliquem Numinis ūm habuerit, habeatque, quamvis am multæ coluerint potius quam ve-, omnes tamen oſtendunt veritatis prorſus ſe eſſe expertes. *Veritatis mentum eſt*, inquit SENECA, *aliquid ibus videri, tanquam Deos eſſe, quod ibus de Diis opinio inſita eſt, nec ulla usquam eſt adeo extra leges, moresque ecta, ut non aliquos Deos credat.* Quodo vero omnes conſenſiſſent in hanc itatem, cujus negatio hominis libertantopere faviſſet a timore Numinis rando, cui omnes leges inſiſtunt, mque omnes legislatores urſerunt ad ſervandas respublicas politicas uniieceſſarium, quod populi omnes ſiperſuadere haud ſiviſſent, niſi veritavi adacti. Extant innumera in hanc n etiam gentilium teſtimonia. Et licet COTTA apud CICERONEM arbitur multas eſſe gentes, ſic immanie efferatas, ut apud eas nulla ſuſpicio orum ſit. Ipſe tamen CICERO tam omnium cordibus ſenſum divinitatis

a) L. I. de Natura Deorum.

tis inſidere aſſerit, ut falſum multi Deum colere maluerint, quam nullum.

Tamen nunquam penitus excuſſa ex humanis mentibus ejus notitia.

X. Atque hæc omnia ſi colligamus ex propria experientia, & conſcientiæ dictatis, cognitione menti noſtræ intime inſita, conſenſu gentium, atque opinionis hujus conſtantia nemo penitus omnem Numinis cognitionem mente ſua eradicare poſſe, nec adeo proprie dari Atheos, invictum manet, etiam ſi dari ideam DEI innatam aliquis haud admittat. Cum aliunde hæc divini Numinis notitia, niſi ob defectum rationis uſus illius impediatur, aut per malitiam ſupprimatur reluctante licet ſemper animo & conſcientia, non poſſit ſeſe non exerere, quamprimum mentis ad hoc excitatur attentio, atque homo ad ſeipſum, & quæ in intima mente, & conſcientia ſua aguntur, reflectit, & examinat, ſiquidem facere hoc idoneus ſit, nec id detrectet ſtudioſe inſtinctum naturæ illum ſuffocando, quo homines primum ſuum principium agnoſcunt, & dictante conſcientia mox accuſantur, ſi quid ejus perfectionibus aut voluntati contrarium intus aut in actionibus ſuis agitent. Quæ cauſa fuit, ut nunquam gens aliqua aut ſocietas humana extiterit, quæ non Deum agnoverit, & reverita ſit, etſi moribus, ac inſtitutis maxime inter ſe diſſitæ forent,

rent, etſi etiam in ejus conceptu formando aberraverint; quod oſtendit hominibus connaturalem eſſe, ac agnoſci debere divini Numinis notitiam, tametſi ejus idea innata ita non agnoſcatur, quam ſuapte inſitam gerit, concipitque mens Ens ſumme perfectum & infinitum, quod neceſſariam in conceptu ſuo complectitur exiſtentiam.

CAPUT II.

Demonſtratio divinæ Exiſtentiæ ex hac rerum univerſitate.

I.

Quodſi vero ita impii Athei obbrutuerint, ut propriæ mentis conſcientiæ, quæ in ſingulis hominibus de Numinis exiſtentia teſtimonium reddit, ad cognoſcendum DEUM nolint adduci: oculos ſaltem ſuos aperiant, eosque in hoc univerſum conjiciant, divinos ejus indagantes ortus. Aut enim mundum ipſum pro DEO agnoſcere, atque ab æterno ſic extitiſſe, aut numero infinitas cauſas alterius ſemper ope indigentes admittere debebunt, aut eum fortuito in iſtam formam coaluiſſe dicent, niſi veritati

Debet eſſe prima aliqua hujus mundi aſpectabilis cauſa.

de

de exiſtentia divini Numinis rerum omnium cauſæ victas dare manus voluerint: cauſa enim aliqua ſit hujus mundi aſpectabilis oportet.

Non enim fortuito ita oriri potuit mundus iſte.

II. Nihil ſtultius exiſtimatur, quam iſtam molem ita fortuito ſurrexiſſe, aut potuiſſe coaleſcere. Imprimis enim cum *ex nihilo nihil fiat*, unde illa præexiſtens materia orta eſt, ex qua deinceps rerum formæ emerſerunt? Demus vero materiam ab æterno jam fuiſſe, quomodo inde rerum tam inſignes formæ ſine conſilio ac moderatore exurgere potuerunt? Ut de ſolis animalibus horumque principe homine aliquid dicam, quomodo fungorum inſtar e terra ita prodire potuiſſent? Et cum homo hoc a natura habeat, ut ex conſilio & fine agat, quamvis tamen nec minimam particulam in hoc univerſo efficere poſſit, præſertim ordinando fines cujusque rei naturæ adeo conformes & proportionatos, quis ſibi perſuadeat ex ſtupida materia hæc ita progredi potuiſſe? Quomodo item naturæ ipſæ ad proſequendos ſuos fines ita edoceri potuiſſent, ſicuti cernimus omnia in mundo conſpirare tam in ordine ad univerſum, quam particularem cujusque rei naturam ad ſui conſervationem intentam: quod præſertim in

genera-

generatione rerum conſpicitur, ac maxime animantium (*a*). Cum nec nidum avis cernamus ſine occulto naturæ inſtinctu & conſilio fieri, quomodo nobis perſuadebimus hunc orbem ita coaluiſſe ſponte, aut fortuito atomorum concurſu? Quæ tamen ipſæ atomi nec a ſeipſis produci potuerunt, nec a ſeipſis moveri, nec motæ fortuito tam inſignes & varias rerum ſpecies efficere, qualiscunque etiam naturæ fuerint. Semper enim difficultates inſuperabiles relinquuntur, undenam ipſæ particulæ ortum ſuum & naturam nactæ ſint, quamcunque habent, & quomodo ſine moderatore hunc rerum ordinem, ſeriem, ac naturas producere potuerint.

III. Neque etiam ab æterno mundus potuit eſſe, cum nihil abſurdius fingi poſſit quam proceſſus ille in infinitum præſertim in generationibus, rerumque per- *Aut ab æterno extitiſſe potuit.*

B

(*a*) M. Racine Chant. I. de la Relig.
O toi qui follement fais ton DIEU du hazard,
Vien me developper ce nid qu'avec tant d'art,
Au meme ordre toujours architecte fidelle,
A l'aide de ſon bec maçonne l'hyrondelle.
Comment pour elever ce hardi bâtiment.
A-t-elle en le broyant arrondi ſon ciment?
Et pourquoi ces oiſeaux ſi remplis de prudence
Ont-ils de leurs enfans ſu prevoir la naiſſance;
&c.

perpetuis vicibus & mutationibus, quales in hoc mundo deprehenduntur, in quibus tandem ad primum aliquod principium deveniendum eſt. Aliter ſe res in Ente ſumme perfecto, & incommutabili habet, quod ſemper in eodem ſtatu permanet. Et licet in eo ipſius infinitas æternitasque ſit etiam incomprehenſibilis, quod conceptus noſtri, & ideæ phantaſiæ & imaginationi ſint immerſæ; poteſt tamen in mente de ea cogitatio informari ab illis abſurditatibus libera, quibus æterna atque adeo infinita rerum & generationum ſucceſſio manifeſte tenetur. Ipſe Entis ſummi conceptus & notio, quod in eſſentia ſua omnes perfectiones includit, atque adeo neceſſariam exiſtentiam (ſive idea iſta innata ſit, ſive non) perinde nobis Ens illud ut principii expers oculis mentis proponit, ſicut econtra rerum generationes & corruptiones earum principium & finem ſenſibus noſtris manifeſtum faciunt, ut æque abſurdum ſit in DEO principium aliquod ſtatuere, & in rerum ſucceſſione proceſſum in infinitum imaginari. Proceſſus enim ille fingi tantum poſſet in rebus corporeis, atque extenſis ſecundum locum & tempus: quo ipſo manifeſtam involvit contradictionem, & abſurditatem maximam, in DEO autem

tem

tem Ente intelligente & ſpirituali talis ſucceſſio quoad prius aut poſterius, majus aut minus locum habere nequit, ut adeo ipſe ſolus primum & immutabile poſſit concipi principium, a quo, quidquid mutatur, exiſtat (*a*).

IV. Fru-

(*a*) Argumentum hoc ex alio adhuc capite D. ABADIE ſtrinxit, viciſſitudinibus nimirum rerum, quomodo in mundo hic & nunc deprehenduntur: quod tametſi non invicti roboris omnibus viſum ſit, eum tamen uſum præſtat, ut qualis nobis ortus & progreſſus orbis altiori ex conſilio innoteſcit, eum convenientem omnino cum rerum fatis, & phænomenis deprehendamus. Dicit in generationum ſucceſſione nos aſcendere a multitudine ad unitatem, & viciſſim deſcendere ab unitate ad multitudinem. Quod exemplo populi Judaici ex uno ABRAHAMO orti declarat. Unde eluceſcat in generationum ſucceſſione cum tempore numerum augeri, & excreſcere ſemper magis & magis, ut adeo hodie numero finito tantum exiſtente infinita generationum ſeries agnoſci non queat: cum præſertim tanto major numerus aut minor conſideretur, quo magis aut minus recedatur a prima ſtirpe, atque adeo in genere humano univerſo ſicut in gentibus, & familiis ſingularibus ad communem aliquem ſtipitem deveniendum eſſe, qui aliter quam generationis propagatione ſit ſatus. Non hic ſiſtit D. ABADIE ex artium ſcientiarum, legum, dominationum, commercii, & hiſtoriæ novitate urget argumentum, quarum rerum ſingula-

Neque mundus eſt ſui-ipſius cauſa, ſed Ens exterius neceſſarium.

IV. Fruſtra ergo recurrunt ad naturæ inſitam vim; redit enim prior difficultas, undenam ſit illa naturæ vis, præſertim conjuncta cum materiæ ſtatu, quæ opus habet non ſolum a quo formis exornetur, ſed etiam unde oriatur, producaturque. Invenimus, argumentatur D. THOMAS, (*a*) enim in iſtis ſenſibilibus eſſe ordinem cauſarum efficientium, nec tamen invenitur, quod aliquid ſit cauſa efficiens ſuiipſius, quia ſic eſſet prius ſeipſo, quod eſt impoſſibile. Et quoniam mundus iſte continet ſeriem contingentium, abſurdus progreſſus fieret in infinitum, niſi tandem ad cauſam primam deveniatur, quæ ſit ens neceſſarium; invenimus enim, idem THOMAS ratiocinatur, in rebus quæ-dam

rum primas origines ex antiquitate depromit. Quæ cum omnia demum induſtria humana ſucceſſu temporum exculta legantur temporibus nobis cognitis, & non admodum remotis oſtendant mundum atque homines æterna generationum ſerie haud gaudere; & cum ſucceſſu tandem temporum ex mundo ſubito fungorum inſtar oriri haud potuerint, debere agnoſci creatorem aliquem ac principium, cum ipſa natura hodie eos ſtupendos e. g. in productione hominis effectus edere amplius non poſſit, quos debuiſſet præſtare, quando primas quarumcunque rerum ſpecies præſertim animalia & homines proferre debuiſſet.

(*a*) P. I. q. 2. a. 3. a.

dam quæ ſunt poſſibilia eſſe & non eſſe, cum quædam inveniantur generari, & corrumpi, & per conſequens poſſibilia eſſe & non eſſe. Impoſſibile eſt autem omnia quæ ſunt talia ſemper eſſe, quia quod poſſibile eſt non eſſe, quandoque non eſt: ſed ſi hoc eſt verum, etiam nunc nihil eſſet, quia quod non eſt non incipit eſſe, niſi per aliquid quod eſt, ſi igitur nihil fuit Ens, impoſſibile fuit, quod aliquid inciperet eſſe, & ſic modo nihil eſſet, quod patet eſſe falſum. Non ergo omnia entia ſunt poſſibilia, ſed oportet eſſe aliquid neceſſarium in rebus. Hæc eſt efficaciſſima ratio demonſtrandi exiſtentiam DEI, ex mundi exiſtentia, qui cum ſit ens compoſitum, rationem in ſeipſo non habet cur exiſtat, & neceſſario progrediendum ad ens aliquod quod per ſeipſum ſit, niſi iterum in infinitum progredi velimus. Si cum SPINOSA neceſſariam talem mundo tribuas exiſtentiam, rem aſſumis quam non probas, nec probare potes, cum rerum ſubſtantiæ non neceſſario exiſtentiam involvant in ſua eſſentia, niſi quatenus ut entia a ſe concipiuntur. Quoniam vero SPINOSA admittere non vult ens a ſe, quod multo facilius concipitur, evidentius, atque convenientius ſtatuitur ſpirituale

diſtinctum ab hac rerum viciſſitudine, ac materiæ mole; quomodo aut ſibi, aut aliis perſuadere poterit tale ens cum corporea mole atque extenſione conſiſtens? An enim citius perſuadeas rationi aſeitatem rei ſucceſſioni temporum & immutationibus expoſitæ, quam ſpiritus? Item vim & virtutem naturæ naturatæ, quam naturæ naturantis non poteris facilius declarare in ente compoſito, quod quotidianis partium diſſolutionibus patet, ipſi ab extrinſeco etiam advenientibus. Quod rem omnem multo majoribus difficultatibus implicat, non ſolum quoad DEI exiſtentiam, in qua comprobanda laboramus, verum etiam quoad hujus mundi explicandum ortum, & phænomena, in quibus infinitis perplexitatibus nodisque omnia SPINOSA involvit. Cum enim creationis poſſibilitatem negat, modo magis incredibili rem vult perſuadere: mundum materia conſtantem a ſe faciens & æternum. An enim facilius comprehendi poſſit mundi æternitas quam ejus creatio? Anne difficilius conceptu DEUM ex infinita potentia omnia ex nihilo creaſſe, quam univerſa hæc ab æterno ſine origine, & auctore ita exiſtere potuiſſe? Certe ſi humana mens aſſequi nequit, quomodo ex nihilo mundus produci

potuerit, multo minus comprehendere valet infinitatem rerum ſibi ſemper ſuccedentium, quam nunquam SPINOSA probavit, ſicut nec creationis impoſſibilitatem; atque alia de rerum ipſarum natura multa abſurda precario ſine omni probatione ſumit. (a) Dum interim naturam naturantem cum natura naturata confundens fatalem neceſſitatem intulit libertate humana ſublata, atque rerum principio rebus ipſis inſito in tanta rerum varietate, ac præſertim actionum humanarum diverſitate, contrarietateque, quæ eſſe ejusdem mentis modificationes abſurdiſſime admittere debuit, tollitque non ſolum moralitates actuum mentis, ſed etiam contradictiones eidem ſimul principio adſcribere compellitur. Sed hæc obiter tantum, cum ad intentum meum dicta ſufficiant.

V. Nihil igitur iſti afferunt, quæ poſſint prudentem hominem abducere a perſuaſione firmiſſima ac neceſſaria exiſtentis vis divinæ extra ipſum rerum ordinem, qui tamen ſit auctor ſapientiſſimus, & intelligentiſſimus hujus univerſi, in quo ſe inſigniter manifeſtaverit intelligentibus creaturis, qui gloriam ejus agnoſcere & deprædicare queunt.

Ex rebus hujus univerſi, eorumque ordine, & finibus DEUS demonſtratur.

(a) Videat. Chriſt. WOLFF P. II. Theol. natur.

Quemadmodum enim dum illuſtre aliquod artis opus ſenſus ſubit, quo illud artificioſius & præſtantius, eo ampliorem de artifice ipſo exiſtimationem animo concipimus; idem a nobis omnino, dum univerſum hoc ſpectamus, faciendum. Ac primo quidem patebit non potuiſſe illud fortuito exſurgere haud minus ac domus aliqua, aut aliud quoddam cum conſilio & arte factum opus. Et quoniam, dum legimus Iliadem Homeri, Æneidem Virgilii, haud dubitamus aliquando extitiſſe hos inſignes poetas, licet oculis non videamus coram. Ita non opus eſt DEUM aſpectabilem in ipſo univerſo fingere, aliunde enim firmiſſime nobis ſuadetur, debuiſſe eſſe intelligentiſſimum artificem, debereque etiamnum eſſe, rerum finibus, ordine, ac operantibus perdurantibus, atque etiam viciſſitudinum, ac varietatis legibus conſtanter currentibus. Quo magis autem oculos, ac mentis intuitum in univerſum fixerimus, eo magis ad auctorem in eo admirandum magnitudo operis deducet: cum contra continuus rerum aſpectus hæc nobis minus admiranda efficiat. Quod præclare Aristoteles (*a*) apud Ciceronem adver-

(*a*) L. II. de Natura Deorum.

adverit. *Si eſſent*, inquit, *qui ſub terra ſemper habitaviſſent, bonis & illuſtribus domiciliis, quæ eſſent ornata ſignis atque picturis, inſtructaque rebus iis omnibus, quibus abundant ii, qui beati putantur, nec tamen exiſſent unquam ſupra terram, accepiſſent autem fama & auditione eſſe quoddam Numen, & vim Deorum; deinde aliquo tempore patefactis terræ faucibus ex illis abditis ſedibus evadere in hæc loca quæ nos incolimus, atque exire potuiſſent, cum repente terram & maria, cælumque vidiſſent, nubium magnitudinem, ventorumque vim cognoviſſent, aſpexiſſentque ſolem, ejusque tum magnitudinem, pulchritudinemque, tum etiam efficientiam cognoviſſent, quod is diem efficeret, tum cælum totum cernerent aſtris diſtinctum & ornatum, lunæque lumina varietatem tum creſcentis, tum ſeneſcentis, eorumque omnium ortus & occaſus, atque in omni æternitate ratos, immutabilesque curſus: hæc cum viderent, profecto & eſſe Deos, & hæc tanta opera Deorum eſſe arbitrarentur.* Addit CICERO poſtquam ARISTOTELIS hypotheſin adhuc magis urſiſſet: *Sed aſſiduitate quotidiana, & conſuetudine oculorum aſſueſcunt animi, neque admirantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas ſemper vident: perinde quaſi novitas nos magis, quam ma-*

gnitudo rerum debeat ad exquirendas cauſas excitare. Adi CICERONEM ipſum hæc eloquentiſſime porro diducentem.

Ex ſingularibus orbis partibus idem demonſtratur.

VI. Quod ſi ab his inſignibus mundi operibus, eorumque harmonia ad particulares etiam rerum ſpecies progrediaris, non minus manifeſta divinæ potentiæ, ſapientiæque miracula videas. Ac primum in ingentibus machinis e. g. ſolis, ſiderumque, ac propioribus nobis planetis, ex quibus Saturnus quater millies, Jupiter octies, ſol decies millies major terra: quibus ſi deinde innumeras ſtellas magnitudinis ſummæ addas, & ſpatium quibus omnia hæc corpora ſuſtinentur mente aſſequi coneris, extra te abripieris. Si præſertim in animum inducas, debere tot ſtellarum, quarum ingens numerus non ſolum oculis aut vix, aut non eſt aſpectabilis, fines eſſe occultos ſapientiſſimos, qui certe tanta magnitudine fruſtra non ſint donati, ut exiguum aſpectum noſtris oculis præbeant. Non minus admiranda naturæ cernuntur in minimis quam maximis rebus, illis ipſis animalculis, quæ liberis oculis vix videmus, in quibus haud minora divinæ magnitudinis ſpecimina liceat deprehendere, non ſolum in proportionata corporum quantitate, ac partium vix ſenſu perceptibilium

lium numero, ordine, functionibusque: quæ omnia dum in hominibus, majoribusque aliis animalibus eſt admirabilis, & divini Numinis deprædicat magnitudinem; tum vero hoc maxime præſtat in minimis ac contemptibilibus corpuſculis, ſi ſingulæ eorum partes recte conſiderentur, harumque compago. Imo multi ex ſingularum partium e. g. cerebri, cordis, oculi, auris, manus, tum vocis humanæ, imo cadaveris, capilli ſtructura, ipſis etiam monſtris naturæ, naturæ auctorem demonſtrarunt.

VII. Quis igitur amplius eſſe poſſit, qui poſt tot teſtimonia interius exteriusque in hac vaſta orbis mole DEUM demonſtrantia, ſurdis oculis ac mente contra veritatem adeo apertam, hoc eſt contra unicam æternam veritatem niti valeat? Niſi humanæ mentis ſuperbia, licet Deum eſſe manifeſte perſpiciat, dum tamen ejus ſublimitatem, infinitatemque non capit, credere nollet, aut ſaltem DEI notitiam DEO non dignam mente fovere mallet, quam naturæ ſuæ limitibus DEI non commenſurare conceptum: niſi mentis perverſitas excæcaret: niſi carnales cupiditates, terrenarum rerum ſtudia humi oculos defigerent, deprimerentque: ut licet hanc lucem delere penitus

Cauſas cæcitatis & ignorantiæ a Deo tolli petamus.

nitus

ſervandum.

ſingulas derivare, ac conſervare; ſapientia temperare, moderari, atque ad certos dirigere fines; omniſcientia non ſolum omnia in mundo intelligere, verum etiam viam & rationem optime callere, qua adminiſtrari poſſint ac debeant ſingula; omnipotentia omnia attingere & operari, tam ex nihilo producendo, quod eſt omnium præſtantiſſimum omnipotentiæ ſignum, quam etiam de productis ſecundum placitum voluntatis ſuæ diſponere: cum ejus virtute vel unico momento deficiente in nihilum prolabi res omnes neceſſum foret, utpote in quibus nihil ſit, quod eas ſuapte natura ſubſiſtere faciat, quæ ſecus enim forent a ſe: neque ratio ulla datur in eſſentia creatarum rerum cur potius exiſtant, quam non; alias & ſemper extitiſſe, & in æternum futuras neceſſario ſequeretur: quidquid enim hac perfectione præditum eſt, ut vel uno momento ſuapte natura ſit, independens erit ens a ſe, ac DEUS.

Providentia divina ex finibus rerum oſtenditur.

IV. Cernimus in hoc mundo non ſolum infinitam rerum varietatem, & in hac varietate conſenſum ad certos fines, occultam vim ad conſervationes rerum in animalibus, plantis, aliisque rebus; dum unius corruptio eſſe ſolet alterius productio: cumque res ceteræ in his omni-

bus non agant aliqua intelligentiæ virtute, conſequenter DEI providentis molimine; ipſe tamen homo cum ſcopo & intentione finis operetur, quis de DEO ſapientiſſimo ſibi in animum inducat, eum, quæ creavit, non dirigere ad deſtinatos a ſe fines? Quis percipiat, in mundo, qui conſtituitur ex quadam diverſarum rerum infinitate, in quibus optimus ordo conſervatur, & hactenus quidem eodem modo a prima ejus origine eſt conſervatus, hæc omnia ita caſu ſine conſilio evenire, ac certa ratione? Cum tamen plerumque ex ipſis rerum naturis quadantenus conſilium & finem aliquem Creatoris perſpiciamus. Sic videmus oculum eſſe factum ad videndum; ſolem ad lucendum, atque ſuo calore diverſiſſimos in latentibus etiam quam maxime terræ viſceribus effectus producere, indurando, emolliendo, excoquendo, immutando, ſemen proferendo, fructus maturando: cujusmodi in rerum naturis omnibus fines cuivis attendenti ſe prodent, in homine præprimis ſæpe præter voluntatem.

V. Licet enim homo creatura rationalis & ipſe ſoleat agere ſecundum præſtitutos a ſe fines, cernimus tamen ſæpe multa illi præter opinionem evenire, eumque ad abſconditos fines dirigi præ- *Itemque ex mundi moralis finibus.*

C ter

ter imo nonnunquam contra voluntatem, cujus rationes potiſſimum in altera vita ſe prodent; quæ cum ſit adhuc a conſpectu noſtro remota, ſolet potiſſimum dubia de providentia excitare, cum deberet in nobis ſenſum eum confirmare, ac nutrire ſpem inter tot maxime miſerias, ac calamitates hujus vitæ, inter tot rerum ac fortunarum commutationes, & viciſſitudines, inter quæ niſi credamus aliquod Numen, quod noſtri curam gerat, & ſic in ſpem erigamur, vitam degemus omni carentem ſolatió. Cum ſic non ſolum ſecuritas, verum etiam tranquillitas omnis a vita abeſſe debeat, ſi nullam opem exſpectare a ſupremo Numine liceat, contra iniquos invaſores; nullam juſtitiam contra impios oppreſſores: ubi tantum jus virium hominibus tunc cum belluis commune, ſperandum eſt: ſcilicet quale lupus in ovem, leo in lupum habet, quando ſupremi Judicis omnia intuentis, atque rerum arbitrium ad ſe trahentis metus & reſpectus nullus eſt. Quis ardor erit & ſtudium boni, veri & conſtantis, ſine fiducia & ſpe in ſupremi Numinis retributionem?

Et fatis. VI. Nunquam vero conſcientiæ ſtimuli ſunt ceſſaturi apud eos, qui providentiam negant, fruſtra illis altiſſime

inſi-

inſitam in hominum animis de providentia DEI notionem obliterare conantibus: neque idcirco DEUS adminiſtrare juſtitiam vindicem ceſſabit, quod Epicurus ad intermundia Deos relegarit. Idcirco qui ejuſmodi ſunt, ſolum, quod in providentia acerbum eſt, reliquum habent: quod vero jucundum & proficuum perdunt, eoque ſeipſos fraudant, neque in proſperis rebus paternam curam ingrati agnoſcunt, neque in perplexis & adverſis preces aut ſpem in DEUM roborare, animumque erigere, aut jucundiſſimum in rebus quibusvis erga DEUM affectum conſervare poſſunt, quo, de ejus ſapientia & bonitate certi, nihil mali timeant, quod DEUS bonus in bonum non ſit verſiturus. *Aliter affecti*, ſunt verba Hermogenis (*a*) apud Plutarchum, *rerum ſecundarum ſuaviſſimum quod eſt, mutilant, in adverſis quo ſe vertant, nihil ſibi faciunt reliqui: ſed fortuna urgente ad diſſolutionem, & ſenſus vacuitatem tanquam unicum refugium, & portum reſpiciunt; perinde ac ſi tempeſtate in mari agitatum aliquis conſolaturus ſic dicat: Neque gubernatorem habet navis tua, neque ipſi caſtores ſuo ſuperventu emollient vim maris ingruentis, celereſque ventorum impetus, nihil tamen* a.

C 2 *men*

(*a*) Lib. contra Epicureos.

omen mali eſt, jamjam enim navim mare deglutiet, aut ſtatim ad ſcopulos ejecta conteretur. Talis eſt enim plane oratio Epicureorum in morbis atrocibus, & doloribus ingentibus. Speras aliquid boni a Diis ob tuam pietatem? Animo es inflato: beata enim & interitus exſors natura neque gratia capitur, neque ira. Melius aliquid poſt vitam oblatum iri ſentis quam in vita? In errore es: quod enim diſſolutum eſt, ſenſu caret, quod ſenſu caret, nihil ad nos. Quomodo itaque mi homo edere me jubes & gaudere? Quia ſcilicet tempeſtate jactato imminet naufragium, dolor enim excellens morti tradet.

CAPUT IV.

Stante Providentia, etiam Religio, & cultus divinus ſtare debet.

I.

Si Deus eſt, isque providus, eſt colendus.

Quodſi ſemel certum aſſertumque habeatur, exiſtere DEUM, qui rerum curam gerat, dubitari amplius nequit, eſſe hoc Numen, tam magnum, tam bonum, ſumme reverendum, ac venerandum. Hinc religio: quæ nihil eſt aliud, quam DEI agnitio ac cultus. Ex DEI autem cognitione ratio divini cultus

tus conſequitur, ut ſi non recte ſit cognitus, non poſſit rite coli.

II. Quoniam vero inter creaturas viſibiles hujus orbis terrarum ſolus homo eſt, qui, utpote creatura ratione prædita, poſſit cognoſcere DEUM, ac grato etiam animo recognoſcere ejus beneficia; ſolus etiam ille eſt, qui obſervantiam & cultum aliquem DEO præſtare queat: cui tamen res cæteræ ſubjectæ, ac uſui eſſe debeant poſſintque: ut ita omnia ad gloriam divinam referantur per hominem, quatenus omnia homini ſerviunt vel ad uſum, vel ad doctrinam, quo ad DEUM ſe efferat, eum amet, & colat (*a*). Nihil

Rationali creatura ſola apta ad religionis officia.

(*a*) *Rationali natura*, argumentatur S. ANSELMUS, *non eſt aliud eſſe rationalem, quam poſſe diſcernere, juſtum a non juſto, verum a non vero, bonum a non bono, magis bonum a minus bono: hoc autem poſſe omne inutile eſt illi & ſupervacuum, niſi quod diſcernit amet vel reprobet ſecundum veræ diſcretionis judicium. Hinc itaque ſatis patenter videtur omne rationale ad hoc exiſtere ut ſicut ratione diſcretionis aliquid magis vel minus bonum, ſive non bonum judicat, ita magis aut minus id amet, aut reſpuat. Nihil igitur apertius, quam rationalem creaturam ad hoc eſſe factam, ut ſummam eſſentiam amet ſuper omnia bona, ſicut ipſa eſt ſummum bonum: imo ut nihil amet niſi illam, aut propter illam, quia illa eſt bona per ſe, & nihil aliud*

Nihil adeo homini eſt naturale, quam amare & colere DEUM, quia ad hoc unice factus, atque rationem adeptus eſt, ut hoc munere fungatur, DEIque gloriam, quæ eſt finis omnium rerum, curet, ac promoveat.

Stupendum neceſſitatem colendi D E U M *non agnoſcere plures etiam ſapientes.*

III. Qui igitur accidere queat, eſſe adhuc, qui hoc DEO præſtandum non agnoſcant tributum? quique omnem religionis ſenſum excutere laborent tam intime naturæ rationali conjunctum? Et quidem audeant adhuc iſti ſe de ratione maxime jactare, velleque vocari inſigniter ac ſublimiter intelligentia ac ſpiritu præditi (*a*). Res ſane deploranda eſt, tunc ſibi homines maxime videri perſpi-

a.

liud eſt bonum niſi per illam. Amare autem eam nequit, niſi ejus reminiſci, & eam ſtuduerit intelligere. Clarum eſt ergo rationalem creaturam totum ſuum poſſe & velle ad memorandum, & intelligendum, & amandum ſummum bonum impendere debere, ad quod ipſum eſſe ſuum ſe cognoſcit habere. Menol. c. LXVIII. p. 25. A. C.

(*a*) Quales noſtri præſertim ævi nobis deſcribit R A C I N E la Relig. Chant. VI.
Mais un ſublime eſprit vous brave hautement
Et ſe vante aujourd'hui, de penſer librement.
Il doute, il en fait gloire, & ſans inquietude
Porte juſqu'au tombeau ſa noble incertitude.
Tout etoit adoré dans le ſiècle Payen:
Par un excés contraire on n'adore plus rien.

caces, quando maxima laborant cæcitate; atque hoc adhuc gloriæ ducere, & excellentis rationis habere argumentum, quam longiſſime a ratione aberrare. Prodit hoc corruptionem ac perverſitatem naturæ noſtræ, quæ cum anterioribus temporibus ita in omnem ſuperſtitionem prona raperetur, ut cultum omnibus fere rebus tribueret ſub gentilitate, nunc hunc nec ſummo amplius DEO tribuere velit.

IV. Adhuc meliorem ſanioremque de religione cultuque DEI ſupremi opinionem geſſit EPICURUS: quamvis divinam negaret providentiam, Deos tamen colendos putavit ob præſtantiam. Sed enim fatendum eſt, ſublata providentia, optimum religionis nervum ſuccidi, vera amoris, pietatis ac juſtitiæ etiam ratione exulante. Cum enim ſpectamus *hominem*, animal hoc providum, ut cum CICERONE (*a*) loquar, *ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & conſilii præclara quadam conditione generatum* a ſupremo DEO ſingulariter cogitationis, diſcretionis, intellectionisque munere inſtructum, ut poſſit judicare de iis rebus, quæ ſibi bene fiunt, deque illis, qui ſibi bene faciunt, erga quos ſuapte natura grati animi, amoris,

Cauſa eſt, quod plerumque providentiam etiam negant.

a.

(*a*) L. I. de Legibus.

reverentiæque igniculos ſentiat, & ad præſtandum obſervantem animum incitetur; facile patet, has omnes rationes perire, ſi divina non credatur providentia. Unde apud eundem PLUTARCHUM (*a*) Epicureus negans providentiam ita inducitur de cultu divino loquens: Τὸ μὲν ἀνδρεῖον ἔθυον, οὐ προσέχουσιν οὐδέν μοι θεοῖς. *Rem ſacram ſtrenue* ſcilicet *feci: neque enim Diis de me ulla cura eſt.* Aliter ſciſcunt, qui providentem Deum ſtatuunt, ut apud CICERONEM (*b*) mentem ſuam exponunt: *Majorum inſtituta tueri ſacris ceremoniisque retinendis ſapientis eſt. Eſſe vero præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cœleſtium cogit confiteri: quamobrem religio propaganda etiam eſt, quæ eſt juncta cum cognitione naturæ.*

Quæ cum religione intime juncta eſt.

V. Cel. PASCHALIS licet demonſtrationis veræ religionis opus haud perfecerit, inſignes tamen in eam rem obſervationes reliquit, quibus in hoc argumento verſari docti viri cum fructu utantur. Vult autem (*c*), ut abhorrentibus alienisque a religione monſtretur primum,

(*a*) Contra Epicureos.
(*b*) Lib. II. de Divinat.
(*c*) Penſées de M. PASCAL. art. 28.

primum, eam rationi non adverſari. Quo quidem nihil facilius eſt, ſi ſemel in animum induxerit homo, quid DEO Creatori & Conſervatori debeat, a quo quidquid ſumus, & habemus, eſt totum: qui etiam, quod nobis deeſt, poteſt præſtare, & benefacere. Igitur a nobis laudem, & gratiarum actionem de acceptis beneficiis jure expoſcit, fiduciam & preces de accipiendis porro poſtulat, præſertim autem amorem, qui non poteſt non eſſe obſervantiæ, & gratificandi ſtudio plenus erga illum, quem & ſuum auctorem, & curam ſui gerentem agnoſcit creatura. Illuſt. Cameracenſium præſul FENELONIUS inter alias quæſtiones ad illam a duce Aurelianenſi propoſitam; an Ens infinite perfectum ab infinities inferioribus & inæqualibus entibus, cultum aliquem poſſit exigere, eam obligationem in idem deducit, ut refert auctor vitæ illius. DEUS eſt creator omnium, ajebat, qui omnia in omnibus operatur: is eſt ubique præſens, ſemper corporibus formas, & motus tribuens, ſpiritibus vera lumina, & perfectum amorem. In hoc deinde amore cultus divini rationem conſtituit. Qua de re nunc eo ſumus ſolliciti, quatenus naturalem DEUM colendi obligationem contingit: quæ nos non ad internos tantum, verum etiam

externos eosque publicos divini cultus actus obſtringit, in quibus maxime conſiſtit religio hominibus in ſocietatem vitæ coeuntibus, quibus primum officium eſſe colendi DEUM ratio dictat multo magis, quam alia officia erga ſocios in commercio & communitate humana. Quo enim arctius obſtricti ſumus curatori & benefactori ſummo, quam aliis qui ſe mutuo in ſocietate ſuſtinent & fovent æquales, eo major eſt obligatio cultus & obſervantiæ. Nec quod ſint, qui huic muneri deſint, colligi poteſt naturale hoc non eſſe debitum ac inſtinctum; cum videamus nonnunquam homines contra alia omnia jura agere, atque naturæ rationisque principia evertere. In nullis tamen aliis peccatis conſcientia ſceleris tantopere cruciat homines, quam ſi in DEUM deliquiſſe interius convincuntur, quem agnoſcunt nullius rei ignarum, atque omnipotentem ſcelerum vindicem, ſi etiam omnem pietatis ſenſum exuiſſe videantur, qua affici debent omnes, qui, quid DEO in acceptis referant, ſecum perpendunt.

Ex obligatione nimirum qua erga DEUM *obſtringimur.*

VI. In hoc autem inſtinctus ille naturalis cultus & religionis conſiſtit a DEO nobis inſitus, & creaturæ rationali intimus, ut ratione & intellectu agnoſcens beneficia voluntatis ob ea affectu effe-

ratur

ratur & ſtudio: ut poſſit ſcire, quem in finem ſit conditus acceptis facultatibus mentis ex rebus creatis agnoſcendi Creatorem, ac ſummum bonum, in quo unice mens delectetur & quieſcat: ut ex omni hac cognitione ſtudium & amorem concipiat dignum, nihilque vereatur magis quam quidquam hic ſuæ deeſſe obligationi tot nominibus debitæ. Quisque autem pro modulo ſuo plus minusve eſt hic ſagax: nullus tamen non plures obligationis ſuæ titulos & cauſas ſuapte perſpiciet. *Qui minimus inter homines*, recte MORNÆUS (a) advertit, *colliget & illico inferet: parenti obſequium, benefico domino fidem, gubernatori invocationem deberi. Hæc enim neceſſario ſeſe conſequuntur, DEUS homo, religio; pater, filius obſequium; dominus, ſubditus ſervitium; donator, acceptor gratiarum actio; beneficus, beneficiarius hominium: vel potius creditor, debitor obligatio.* Res luculenter in ſtudio & obſervantia filiorum erga parentes patet. Simul enim ac infans parentes cognoſcit, naturali inſtinctu fertur ad amandum, atque pro immani ſcelere habet non ſolum odiſſe parentes, verum etiam pietatis officia non præſtitiſſe. *Optima*, inquit VALERIUS Max.

(a) Ph. MORNÆUS de verit. Rel. chr. c. 20.

a. Max. (a) *rerum natura pietatis eſt magiſtra, quæ nullo vocis miniſterio, nullo uſu litterarum indigens, propriis ac tacitis viribus charitatem parentum pectoribus liberorum infudit.* Quis vero ſibi in animum inducat, hunc inſtinctum ita indidiſſe homini Creatorem, ut erga ſeipſum tanquam Ens ſummum, primam cauſam, & auctorem unicum eo uti hominem nolit, atque adeo communem naturæ ſenſum pervertere. Idem de aliis naturalis juſtitiæ officiis ac lege patet. *Eſt quidem vera lex*, loquitur CICERO, *diffuſa in omnes, conſtans, ſempiterna. Huic legi non abrogari fas eſt, neque derogari in hac ali-*
b. *quid licet, neque tota abrogari poteſt* (b). Solent, qui has transgrediuntur leges, atque in easdem peccant, dignas dare pœnas. Quid igitur ſi quis in amoris ac obſervantiæ leges delinquat erga Creatorem: an ulla majori ſupplicio digna res exiſtere valeat? Contra quam ſe creaturæ omnes in vindictam debeant erigere.

Unde omnium

VII. Hæc ſunt in cauſa, quare tanto ſem-

(a) Lib. V. c. 4. Ex. 5.
(b) Quæ reſpiciens ingenioſus RACINE cum quadam amœna canit ſimplicitate:

Je l'apporte en naiſſant, elle eſt ecrite en moi
Cette loi, qui m'inſtruit de tout ce que je doi
A mon pere, a mon fils, a ma femme, a moi meme.

ſemper conſenſu in ſocietatibus humanis religio fuerit exculta, atque cernamus, omni tempore & loco exercitam intimam DEUM religioſe colendi contentionem, quamvis in eo aberraverint bruta cæcitate permulti, ut ſæpe nec verum Numen, nec verum cultum obſervaverint. Nihilominus tamen in iſta varietate inter ipſos etiam gentiles conſenſum aliquem obſervare licet in colendo primo aliquo principio. Τὴν πρωτίστην ἀρχὴν, inquit PROCLUS(a), πᾶσαι θρησκεῖαι καὶ αἱρέσεις συγχωροῦσι εἶναι, καὶ θεὸν πάντες ἄνθρωποι καλοῦσι βοηθόν. *Primum aliquod principium cœtus religioſi ac ſectæ omnes agnoſcunt, DEUM omnes homines pro auxilio invocant. Quamvis plures eſſe Deos, qui orbis gerant curam, non omnes credant.* In magnis neceſſitatibus cernimus omnes manus ſupplices ad cœlum erigere, illinc quicunque injuſte preſſi auxilium ſperant; qui motus, ut jam notavit TERTULLIANUS, communes ſunt omnibus hominibus. Atque ad hodiernum uſque diem Chriſtiani, Judæi, Gentiles, ac Mahumetani in generali religionis notione conſpirant. gentium conſenſu ſemper religio retenta eſt. a.

VIII. Neque tuto conſiſtere ſocietates humanæ poſſunt ſine religionis vinculo, ſine Neq; ſocietates humanæ aut respublicæ tuto ſine reli-

(a) IV. in TIMÆUM.

rum ſpectantibus, in varias prolapſos fuiſſe aberrationes. De antiquis temporibus hujus rei apertiſſima documenta præbet idololatria undique terrarum pervagata apud gentes etiam ſapientia, ſcientiaque claras, Chaldæos, Ægyptios, Græcos, Romanos. Noſtris temporibus id atteſtantur complures, qui rationis lumini nimium indulgentes non ſolum opinione de cultu DEI & religione exciderunt, verum etiam in turpem ſunt prolapſi Atheiſmum. Exiſtunt hodie qui paſſim rationi omne de divinis arbitrium abjudicant, & tamen rationem ubique crepant. Rationem penitus abjicere, aut eam ubique audire velle, æque periculoſum eſt: haud ſæcus ac omnia ſine diſcrimine credere, vel nihil omnino credere ſunt ſcopuli utrinque oppoſiti, a quibus cavendum quam maxime eſt. Medio igitur incedendum, quæ eſt via regia: atque errantium damno cauti in cauſa religionis fallacem rationis ductum minime ſequamur, nec talem eam habeamus, ac ſi ſufficiens ſit a DEO officia, quæ a nobis requirit, præſtanda, aut nos beatos reddendos.

Sapientiſſimi quique Philoſophi hic cæcutiverunt.

II. Verum eſt philoſophos aliter plerumque ſenſiſſe, ac vulgus, eosque multos ſuperſtitionibus plebis adverſos fuiſſe, quin eam ad veritatem deducere potue-

tuerint, aut palam auſi ſint edicere ſententiam. Attamen inter ſeipſos diſſentiebant, & veritatibus multa jungebant mendacia. Sunt, qui hoc ipſum quod Philoſophi antiqui nonnunquam habuerunt veritatis, a revelata doctrina hauſiſſe primum ſuſpicentur: quod vel apud Judæos peregrinati didicerint, aut ab Ægyptiis, a CHAMO illinc commigrante, aut ab Iſraelitis edocti fuerint; quamvis nunquam puritatem doctrinæ conſervarint. Quam ſunt abſurda & erronea quæ de prima rerum origine ac principio tradiderunt? Illud THALES in aqua, ANAXIMENES in aere, HERACLITUS in igne collocabat. ANAXAGORAS, qui videri poterat primus ſapienter de primo Ente ſenſiſſe, ſe tamen ad hoc ſolum natum putabat, ut ſolem ac lunam contemplaretur.

III. Ut reliquis omiſſis de præcipuis tantum ſectis aliquid dicam. Quid Pyrrhonici de divinis, & ſupra naturam noſtram poſitis rite ſentire poterant, qui etiam in rebus naturalibus perpetuam ἐποχὴν ſervabant, atque omnia in dubium vocabant. Stoici DEO tanquam primo principio agenti materiam addebant, ut primum principium patiens, quam etiam æternam exiſtimabant. Deum ignem faciebant, intellectu tamen præ-

Præſertim in doctrina de primo rerum principio & origine.

ditum: animos hominum ex æthere & Deo eſſe, quos mirum non eſt æternos non feciſſe, cum eorum etiam Deus corruptioni obnoxius ſit. Platonici propius veritati accedere viſi ſunt, SOCRATE theologiam fabuloſam ridente, ac Deum rerum conditorem ens ἀυτοφυὲς μοναδικὸν agnoſcente, cui PLATO aliquem Trinitatis conceptum adjunxiſſe viſus eſt. Attamen materiam æternam fecit, non capiens mundi productionem ex nihilo: materiæ huic originem mali adſcripſit, hinc corpus dictitans malum eſſe. De anima, cum recte ſentiret, immortalitate conſtituta, plures tamen errores admiſit, eam jam fuiſſe in mundo ſuperiore, antequam in inferiorem deſcenderet, eamque transmigrare de corpore in corpus, unde tamen in ipſam DEI ſubſtantiam, quo emanarit, refunderetur. Peripatetici duce ARISTOTELE videntur etiam Deum τὸ πρῶτον κινοῦν agnoviſſe; providentiamque ex parte ſaltem negavit ARISTOTELES, unde & religionis nervos excidit, colendum DEUM ratus tantum plebis cauſa, de anima obſcure locutus.

Itemque doctrina de moribus &c.

IV. In doctrina morum mala etiam bonis miſcebant. Pulchra SOCRATES de moribus tradidit, at ea vitiis horrendis contra ipſam naturam contaminavit, haud

haud ſecus ac PLATO in ſua republica etiam communionem uxorum ſtatuens, ac ebrietatem religionis cauſa probans. Præclaram alias doctrinam de abſtractione a ſenſibilibus, ac converſione mentis ad ſuperiora, unionemque cum DEO ex paulo ante allato errore de animæ ſubſtantia exſculpſit. ARISTOTELIS doctrina de anima, ac providentia non potuit ſobriam morum doctrinam gignere. Stoici ſummum bonum in hac vita quærebant. Concludam PAULINI, ſive ANTONII cujusdam carmine contra gentes, quod nobis MURATORIUS in Anecdotis *T. I.* ſervavit, ac primum edidit:

Philoſophos credam quidquam rationis habere
Qui ratione carent, quibus eſt ſapientia vana?
Sunt Cynici canibus ſimiles, quod nomine produnt.
Sunt & ſectantes incerti dogma PLATONIS,
Quos quæſita diu animæ ſubſtantia turbat,
Tractantes ſemper nec definire valentes;
Unde PLATONIS amant de anima deſcribere librum.
Qui præter titulum nil certi continet intus
&c. (a)

V. Quo

(a) Et M. RACINE Ode 2. Philoſophos graphice deſcribit:

Que de Héros fameux! quels graves perſonnages!
Que vois je? la diſcorde au milieu de ces Sages;

D 2 Es

A Deo igitur edoceri nos oportet, modum eum colendi.

V. Quo igitur nos vertamus, cum apud homines omnia incerta, tot mendacia, atque omnia ſuperſtitionibus repleta cernamus, ratione id unice valente, ut ſuam imbecillitatem, ac ignorantiam prodat, ſicque ad alium nos doctorem ducat, qui doceat recte DEUM, ac divina, quatenus ad noſtram felicitatem conſequendam, atque divini Numinis gloriam promovendam opus eſt intelligere, eum cultu, religioneque rite proſequi. Quæ enim doctrina & cultus aliunde eſt, corruptione & ſuperſtitione ſcatet: undique falſitas aperte elucet, unde ex divina tantum revelatione de vero DEI cultu conſtare poteſt: neque aliter ſolida beatitas conſtitui, & acquiri valet. Quamvis etiam natura ipſa, ac ratio omni homini inſpiret eſſe reverendum DEUM ac colendum; attamen non docet, qualem a nobis requirat cultum, imo potius ratio ſuggerit, non noſtro arbitrio, ſed divina determinatione quadam conſtitui debere. Neque etiam

Dio-

Et de maîtres, entr'eux ſans ceſſe diviſés,
Naiſſent des ſectateurs l'un a l'autre oppoſés.
Nos folles vanités font pleurer Heraclite;
Ces memes vanités font rire Democrite.
Quel remede a nos maux, que des ris ou des pleurs?
Qu'ils en cherchent la cauſe, & gueriſſent nos cœurs.

θεογνωσία naturalis de DEO cognitio ad nos beandos ſufficit. Opus eſt igitur doctrina cœleſti, in qua de ſua voluntate erga nos, noſtraque obligatione erga ipſum certiores reddamur.

VI. Quæ cum ita ſint, quin revera exiſtat talis revelata doctrina ambigi non poteſt. Cum ſapientiſſimus, ac benigniſſimus DEUS, certe in tam neceſſario providentiæ capite defuturus præſumi non poſſit. Et revera nulla unquam fuit religio, quæ revelationem non venditaverit; ut adeo ſolum reſidua ſit quæſtio, quænam inter contrariantes ſibi vera ſit ac genuina, de ejus neceſſitate ac exiſtentia conſpirantibus omnibus. Quod manifeſte oſtendit DEUM non fuiſſe paſſum, humanum genus in re tam neceſſaria deſtitui, qua ſuapte natura juvari non potuit. *Quia fieri non potuit*, eleganter omnia hæc LACTANTIUS ediſſerit, *ut homini per ſeipſum ratio divina innoteſceret, non eſt paſſus hominem DEUS ſuum lumen ſapientiæ requirentem diutius oberrare, ac ſine ullo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos ejus aliquando, & notionem veritatis munus ſuum fecit, ut & humanam ſapientiam nullam eſſe monſtraret, & erranti ac vago viam conſequendæ immortalitatis oſtenderet.* Nec de DEO ſupponendum, eum in re adeo neceſſaria defuiſſe.

CAPUT VI.

Neque originem, neque remedium malorum, niſi DEO *docente & revelante novimus.*

I.

c origi- m, nec emedium nalorum naturali- ter ſci- mus.

Quam parum vero homo ſibi ipſi ſatisfacere poſſit, quam inſufficiens mundus hic aſpectabilis ad eum beandum ſit, miſeriarum revolutiones manifeſtant, quibus a primo vitalis auræ momento afflictamur. Qualiter affecti in ſqualido carcere materni uteri concluſi delituerimus, memoria non ſuggerit; neque quam miſere naſcamur, quam acerbe ſtatim lacrimemur, innoteſceret, niſi in aliis exemplum ſtatus illius ac conditionis cerneremus. *Jacet manibus, pedibusque devinctis flens animal ceteris imperaturum, & a ſuppliciis vitam auſpicatur, unam tantum ob culpam, quia natum eſt* (a). Sed hæc initia ſunt tantum dolorum homini cuicunque, neque ab hac ſorte exemtus eſt ullus cujuscunque fortunæ; qui vero æquali ærumna naſcentes afficimur omnes, deinceps per reliquam ætatem tantummodo partiri, & inter nos tribuere dolores videri poſſumus,

(a) PLINIUS Lib. VII. Hiſt. natur.

mus, cum alius ſic, alter autem ſic iis conficiatur. Quisquis ſecum reputat præterlapſos vitæ ſuæ annos, integram miſeriarum ſeriem, longamque catenam inveniet, qua a primo vitæ, nativitatisque tempore dire fuerit detentus, & inceſſanter diſcruciatus. Quænam hujus tanti, tam omnia pervadentis mali cauſa, ut homo cum miſeria naſcatur?

Cui tantum in vita reſtat ſuperare dolorum?

Dolores, quos adulti perferimus poſſint eſſe pœnæ malefactorum; ſed cur infans, qui neſcit adhuc fari, ratione uti, jam ſentit ſupplicium? An non recte gentiles ſapientes naturam non matrem, ſed novercam in homine agnoverint, quæ in lucem edat hominem corpore nudo, fragili, & infirmo, animo autem anxio ad moleſtias?

Multitudo malorum multos induxit ad negandam Providentiam.

II. Ratio, quæ eſt maximum in homine naturæ donum, non ſolum non minuit doloris ſenſum, ſed auget, quando nobis ob oculos ponit ejus magnitudinem, quæ quo eſt acutior & perſpicacior, eo deformiorem nobis depingit noſtri ſtatus imaginem, atque hominem vix non in deſperationem agit, imo etiam plures in irreligioſitatis abyſſum detruſit, ut ad negandum DEUM, aut providentiam præcipites ruerent. *Deus*

a. *quidem*, inquit EPICURUS (*a*), *aut vult tollere mala & non poteſt, itaque imbecillis eſt: aut poteſt & non vult, atque eſt invidus; aut neque vult, neque poteſt, igitur & imbecillis fuerit inviduſque.* Vah blaſphemiam! Et tamen apud homines, præſertim qui ſibi aſtuti videntur, quanta ſcandala, quam abſurdas opiniones DEOque injurioſas iſtæc malorum conſideratio omni tempore, hoc etiam maxime ævo pepererit, nos alio loco expo-
b. ſuimus (*b*). Ut vero offendit maxime hominem miſerum naſci, quo tempore adhuc impotens contrahendæ proprio nomine culpæ; id multo adhuc magis debuit videri paradoxum, quare ſæpe malis boni ſtudioſi, & virtutis amantes inceſſerentur. *Quare bonis viris multa mala accidant, cum ſit providentia?* Quod tam multos contra divinam providentiam murmurare fecit, religionemque in eorum cordibus extinxit.

Sed cum res hominum tanta caligine volvi
Aſpicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rurſus labefacta cadebat
Religio,

De ſe canit CLAUDIANUS: qua de difficultate nos paulo poſt.

III. Nunc

(a) Apud LACTANT. de ira DEI. c. 13.
(b) De radiis Divinit. in operibus provid.

III. Nunc de eo potiſſimum malo nobis negotium eſt, quod tanta copia contra rerum ordinem & naturam in rebus omnibus creatis præſertim in præſtantiſſima creaturarum homine, inolevit, ac graſſatur, quo in prava omnia præceps ruit. Equidem de divina ſapientia dubitandum non eſt, ſatis illam callere mala, a ſe permitti ſolita, in bonum univerſi convertere. Dubitare etiam de divina bonitate nullatenus licet: quod ſicut liberaliſſima voluntate in ejus natura adornanda eſt uſus, ita in ea exornanda, bonoque in ſtatu ſervanda nec invidia, nec imbecillitate ſit impeditus: ſecus ac antea ratiocinantem EPICURUM ingratiſſimum ſane erga divinam beneficentiam audivimus, cum ipſum illud divinum bonum, quo a DEO optimo fine inſtructus eſt homo, liberum intelligo arbitrium, prodat, hominem accuſandum non DEUM. Homo male uſus divino dono, propria ſponte in malum morale labitur, & ſic divinam juſtitiam quaſi cogit ad infligendum malum pœnæ: juſtiſſime etiam hominem, per quæ peccat, punit, id eſt corruptione ſaltem privatione eorum bonorum, quæ homini fuerunt inſtrumenta nequitiæ, ut in malum jam prona voluntas abripiatur, quod libere elegit. Et quoniam cernimus, o-

Debet eſſe cauſa, cur Deus tot mala phyſica & moralia permittat.

mnes homines ita proclives in deterius ferri, certe aliqua cauſa ſubſit oportet & culpa, quæ DEUM juſtum commoverit, hæc omnia ita permittere, quin poſſint obſiſtere ſanctiſſimis finibus, quos in mundi creatione ſibi præfixit, etiam peccata hominum, quæ videntur ad imperfectionem univerſi tendere, ut S. AUG. (a) trita illa & tantopere vexata ſententia ſciſcit: *Eſt ergo in malorum poteſtate peccare, ut autem hoc vel hoc illa malitia faciant, non eſt in eorum poteſtate, ſed DEI dividentis tenebras, & ordinantis eas, ut hinc etiam eo, quod contra DEI voluntatem agunt, nonniſi DEI voluntas impleatur.* Ita etiam in malo pœnæ non delectatur DEUS miſeria hominis peccatoris, ſua culpa ſeſe malis implicantis, ſed quia juſtus eſt malum impunitum relinquere nequit: quin igitur miſeria omnis humana culpæ ipſius ſit imputanda, dubium non eſt.

At natura hanc cauſam non docet.

IV. Hæc miſeria, quæ hominem a prima nativitatis hora uſque ad extremum vitæ articulum perſequitur, qua de cauſa ita in hominem debachatur? Naturamque accuſemus, anne *parens melior homini, an triſtior noverca fuerit*, ut cum PLINIO loquar. At DEUS eſt au-

(a) Lib. de Prædeſtinatione Sanctorum.

auctor naturæ, qui non poteſt, niſi bona quæque & optima efficere. Anne eſt aliquid præter DEUM inter mundi principia ſtatuendum, coæternum malum cum Manichæis, materia cum Philoſophis? At impotens DEUS fuerit, aut inſipiens, qui non potuerit nec ſciverit opus ſuum ab infeſtationibus & corruptionibus ejusmodi malignis præſervare. Homo igitur proprio vitio talis ſit oportet: homo ipſe omne malum, quo ab utero matris ſuæ afficitur, ſibi conciliarit (*a*). PLATO quidem rem vidit, ſed cauſam ignoravit, ut de eo dici ſolet. Vidit quidem cum homine non recte agi. Nec aliter ſapiens quisque judicare poteſt, quin ſub DEO juſto nonniſi reus miſer eſſe poſſit:

(*a*) RACINE Chant. 3.

L'etre toujours heureux rend heureux ſes ouvrages,
Il s'aime, ſon amour s'etend ſur ſes images.
Il nous punit: De quoi? nous l'a t-il revelé?
La terre eſt un exil: pourquoi ſuis je exilé?
Qui ſuis je? mais helas? plus je veux me connoitre,
Plus la peine, & le trouble en moi ſemblent renaitre.
Qui ſuis je? Qui pourra me le developper?
Voila PLATON, voila le nœud, qu'il faut couper.

PLATON ne parle plus.

dicamenta fidei, & *aſperſit ea ſuper morbos orbis terrarum*, ut loquitur (*a*) S.
a. b. AUGUSTINUS. (*b*)

CAP. VII.

(*a*) Lib. VI. c. 4. Confeſſ.

(*b*) RACINE Chant. 3.

PLATON ne parle plus, ou je l'antens lui-meme,
Avouer le beſoin d'un oracle ſupreme.
PLATON ne parle plus, quel ſera mon ſecours?
Il faut donc me reſoudre a m'ignorer toujours,
Dans ce nuage epais flambeau peut me luire.
Dans ce dedale obſcur, quel fil peut me conduire!
Qui me debrouillera ce cahos plein d'horreur?
Mon cœur deſeſperé ſe livre a ſa fureur.
Vivre ſans ſe connoitre eſt un trop dur ſupplice:
Que par pitié du moins la mort m'anéantiſſe.
O ciel! c'eſt ta rigueur que j'implore a genoux:
Daigne ecraſer enfin l'objet de ton courroux.
Montagnes, couvres moi: terre ouvre tes abimes:
Si je ſuis ſi coupable, englouti tous mes crimes,
Et periſſe a jamais le jour infortuné,
Ou l'on dit a mon pere, un enfant vous eſt né.
De mon état cruel, quand je me deſeſpere,
Et ſens avec PLATON, qu'il faut qu'un DIEU m'eclaire.

CAPUT VII.

Neque niſi eodem revelante Numine ſtatum animæ noſtræ immortalis in altera vita novimus.

I.

> *Nec felices nos natura, & res omnes præſentes reddere valent.*

Cumulus iſte malorum, perplexum reddat hominem neceſſum eſt, quod cum felicitate ſua, cujus deſiderio quivis tantopere tenetur, ex adverſo pugnet. Videmus homines, quo tempore etiam nullum ſenſum mali, aut ſaltem nullam attentionem ad illud fovent, nunquam tamen plene beatos ſe deprehendere: imo ſatis intelligunt, nihil fluxum & tranſitorium hujus mundi poſſe exſatiare deſiderium ſuum, quam blande etiam afficiat, & delectet. Sic dum nihil ardentius quærimus ſemper quam vere beari, ſentimus tamen quam parum in his terris voti hujus noſtri compotes eſſe poſſimus: & dum quærimus ac inhiamus, luculenter prodimus nos quæſitum necdum poſſidere: deſiderium enim & perfecta felicitas ſimul conſiſtere nequeunt, ut recte obſervavit illuſtriſſimus Bossuet Introductione in Philoſophiam. Sane ut homo ſit omni ex parte

beatus,

beatus, & acquiſita bonorum ſorte contentus, opus eſt, ut ejus deſiderium ſit undique expletum, & eæ, quæ ſunt in homine præcipuæ facultates, & nobiliſſimæ, adeptæ ſint bonum, quod earum cupiditatem ſatiet: at plane experimur in nulla re, quæ corporis ſenſibus objecta percipitur, voluntatem hominum conquieſcere vel intellectum expleri; nam quantacunque ſenſuum voluptate perfundatur homo, quantiscunque opibus abundet, licet delicatiſſimo cibo & potu fruatur, nunquam ſaturatur omnino, ſemper enim plura, & majora bona appetit (*a*). Neque ſeipſo homo beatus eſſe poteſt: imo nihil magis, ut quotidie experimur, noſtram felicitatem impedit, quam nos ipſi tam miſeri, tam male affecti, tam inconſtantes: præter nos vero omnia ſunt fluxa, deſideria noſtra minime ſaturantia: unde ergo, non dicam pertingere per nos ipſos ad beatitatem noſtram, ſed vel rationis ductu viam & rationem eo pertingendi indagare poterimus?

Cum mens noſtra ad ſublimiora & æterna aſpiret.

II. Suppoſita præſertim opinione de immortalitate animæ, quæ omnium gentium ſemper & ſapientum quorumvis conſenſu eſt aſſerta: unde neceſſe eſt ani-

(*a*) Alexand. Valignanius apud Possevinum Bibl. ſel. S. I. L. X. c. 5.

animam morte corporis ſupereſſe (*a*), ac gaudii & miſeriæ non ſolum eſſe capacem, verum etiam haud dubie tunc ſolum in ſuo termino futuram, cum in hac mortalitate nihil ſit in quo poſſit ſtabiliter conquieſcere. Quæ quies, & ſumma felicitas inde aliquando in ipſo DEO futura arguitur; quod facultates humanæ potiſſimum relationem in eum oſtendant, atque cognitiones vel innatæ, vel acquiſitæ ad illum tanquam ſummum bonum, taleque Ens ſumme perfectum, quale deſiderio noſtro ſatiando unice quadrat, ducant. Ab eo poſſidendo nos moles hujus carnalis corporis impedit, imperfectioque facultatum noſtræ animæ dum in hac mortali vita degimus, clare oſtenditur. Argumentum etiam nobis præbent imperfectiones rerum omnium, quas mundus hic viſibilis complectitur, alibi eam ſummam perfectionem, quæ conditorem hujus mundi decet eſſe quærendam, eaque inventa animum noſtrum demum fore exſatiandum. Quæ ſatietas ex imperfecta rerum cognitione, & manca deſideriorum noſtrorum expletione haberi nequit. Ipſe corporis ſtatus in homine, ſecus ac in aliis omnibus animantibus erectus,

E atque

(*a*) Vid. Hug. GROTII Demonſt. chriſt. relig. L. I. §. 22.

atque ad ſuperiora reſpiciens, etiam nos commonet, aliorſum nos aſpirare & tendere: anima vero ſe ſolet cogitatione & cognitione ſupra hunc mundum efferre, inque hoc univerſo tanta moliri & perſpicere, quæ ejus præſtantem naturam tam bene indicent, quam ex operibus hujus mundi DEUS agnoſcitur; ut naturali lumine ſapientes olim agnoverunt. *Mentem hominis*, inquit CICERO (*a*), *quamvis eam non videas, tamen ut DEUM agnoſcis ex operibus ejus, ſic ex memoria rerum, & inventione, & celeritate motus, omnique pulchritudine virtutis, mentem agnoſcito.*

Animæ immortalitas nos ſolicitos de altera vita reddere debet.

III. Quæ animæ facultates & operationes nos convincunt naturam ejus non ſolum eſſe a corporea toto genere diverſam, conſequenter incorpoream, verum etiam vere ſpiritualem, ut quæ contra naturam materiæ libertate, & decreto voluntatis ad operandum feratur; habeatque poteſtatem in ſuos affectus. Nulla enim res corporea vim liberam habet, qua naturalem appetitum & motum cohibeat, cum materia pondere ſuo naturalique appetitu feratur, quem anima pro lubitu & voluntate ſua ſupprimit, repugnantemque huic habet appetitum, quo ſæpe abutitur. Quin etiam animalis

(*a*) In Tuſculanis.

animalis & corporalis ſtatus ad intelligendum, reminiſcendumque, præſertim quæ æterna & ſpiritualia ſunt, ineptus eſt, ſecus ac anima hominis, quæ tum ſeipſam, cum ipſum etiam DEUM, certe incorporeum, cognoſcit. & cogitat, intelligentia ultra omnia tempora ſe effert, viqne memoriæ ac providentiæ in ſe revocat præterita tempora, quamdiu jam præterierunt; futura etiam ſagacitate proſpicit, rerum ordines ac leges æternum profuturas præſcribit &c. quæ omnia eſſentiam ejus prorſus incorruptibilem conſequenter immortalem oſtendunt. Materia utpote ex partibus conſtans non poteſt ejusmodi ſuiipſius conſcientiam individualem habere, qualem animam experimur habere, dum cogitat: quo in actu ſimplicitas ſumma cum intelligentia enitet, quæ, cum nihil habeat contrarium, interitus ſit expers neceſſe eſt. Hæc ſimplicitas etiam in diverſis ſenſationibus animalibus, quando ad animæ perceptionem deferuntur, deprehenditur, una enim operatione tranſiguntur, quæcunque a diverſis ſenſibus uno etiam tempore ſentiuntur, calor v. g. in manu, odor in naribus &c. voluptas ſimul & dolor. Unde efficitur, animam in una facultate conſiſtere; conſequenter ſimplicem intelli-

gentem, non corpoream, indiviſibilem incorruptibilem, & denique immortalem eſſe, quia nihil corrumpi poteſt, niſi per ſeparationem. Iſta ſubſtantia utique deterioris conditionis non eſt, ſed multo excellentioris rebus aliis, rerum autem eſſentiæ ſunt incorruptibiles, ac ſemper manent: ut quæ a ſolo DEO creatæ per continuationem virtutis creandi unice conſerventur, neque poſſint deſinere in exiſtendo, durante illa creandi vi: quæ cum DEO ſoli propria ſit, (ut nimirum ex nihilo aliquid proferat) ejus etiam omnipotentiæ ſolius eſt rem ad nihilum reducere. Igitur nonniſi temere talis annihilatio ſine evidenti experientia ſupponitur præſertim in nobiliſſima creatura qualis anima eſt, quam neque a DEO eſſe annihilandam præſumendum eſt; cum, ſicuti mors annihilatio corporum non eſt, ſed ſeparatio ſolum ab anima, & reſolutio in elementa; ita nec mors annihilatio animæ dici poſſit, ſed ſolum ſejunctio a corpore. *Ut revertatur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad DEUM, qui dedit illum.* Quæ omnia nos ſolicitos reddere debent de altera, poſt hanc, vita, deque ſtatu animæ poſt mortem. Et cum ipſa anima de ratione ſtatus illius taceat, a DEO eſt inquirendus.

IV. De-

IV. Deprehendimus nos non minus de æternitate noſtra, quam præſenti vita cogitare, ac ſolicitos eſſe. Sunt quædam animantia, quæ curam aliquam futuri habere videntur, ſed ea omnis ad præſentem vitam pertinet, & ſiſtit in coacervandis neceſſariis hujus vitæ. At homo de immortalitate nominis etiam poſt hanc vitam maxima cura tangitur. Quod prodit innata illa omnibus famæ poſt mortem cupiditas, quæ ab enormibus criminibus etiam eos aliquando retrahit, qui poſt mortem nihil credunt ſupereſſe; tantus eſt infamiæ etiam poſt mortem metus, qui non aliunde, quam a teſtimonio & conſcientia immortalitatis poteſt provenire; quam etiam impii omnia caduca fingentes penitus ex animo delere nequeunt; ut immortales eſſe cupiant, dum ſe mortales eſſe putant. Quod deſiderium non aliunde eſſe poteſt, quam quod perſuaſi ſimus, poſt mortem etiam nos eo in ſtatu futuros, ut intelligamus quæ honeſtæ, & laudabiles opiniones de nobis habeantur, ex quibus nos delectationem capiamus. Quod enim commodum ſperetur ex celebritate nominis apud alios eo tempore, quo nobis ipſis ſumus incogniti? Quid mea referat, me in oblivionem venire apud eos, qui ſibi perſuaderent me in nihi-

Quo magis adhuc incitamur deſiderio immortalitatis, quod in nobis ardet.

lum relapſum. Sane hoc immortalitatis votum ac ſtudium immortalitatem meam demonſtrat, cum nihil non impendant mortales, ad immortalem ſuam apud poſteros conſervandam memoriam. In hac etiam vita nihil magis ſoliciti ſumus, quam vitam quam longiſſime protrahere, genus etiam in mille progenies propagare, nec corpus poſt mortem ſine memoria relinquimus. *Quid procreatio liberorum, quid propagatio nominis, quid ipſa ſepulcrorum monumenta ſignificant, niſi nos futura cogitare?* ut dudum CICERO perſpexit: noſtris vero temporibus multi pro omnium luculentiſſimo immortalitatis argumento agnoverunt deſiderium, quod in nobis ardet, ut nunquam non ſimus. Quamvis enim in omni rerum natura animadvertamus ſtudium, & anniſum propriæ conſervationis, in ſolo tamen homine hoc ſtudium ad æternitatem & durationem etiam poſt mortem protenditur: ut adeo nos circumſpectos reddat, quomodo poſt hanc vitam feliciter degamus.

Et veræ felicitatis, quam hic boni potiſſimum non conſequuntur.

V. Et quoniam tam parum felicitatis in hac vita conſequimur, ubi omnia, miſeria, doloribus, ærumnis plena, anne præſumendum de optimo Numine, eum nos voluiſſe tantum creare ad lacrimas? aut nos poſſe ſemper relin-

querere in ſtatu malis cumulato? Certe ſperandum de immenſa ejus bonitate, ſupereſſe alteram vitam, qua ſimus futuri vere beati: niſi jam noſtram felicitatem in præſentium bonorum uſura collocaverimus vitam animalem, & ſceleribus contaminatam ducentes. Quorum ſors ſane beatior foret, ſi poſt hanc vitam nulla altera ſupereſſet, quod utique ferre divina juſtitia non poteſt, ut mali ſint felices, boni nec hic nec alibi boni aliquid ſperandum habeant. Certe quod in hac vita plerumque malis bene ſit, & bonis male, ſapientes quique ad agnoſcendam immortalitatem, & alteram vitam ſunt adducti: nec aliter prudenter judicari poteſt de DEI æquitate, cum comperiamus, & quotidie oculis cernamus, qui pure & ſancte vivunt, honeſtatem colant, DEOque ſerviunt ex toto corde, tamen ærumnis confici, aut egeſtate, vi, tyrannide, & ſervitute premi, omnia denique ſufferre adverſa: cum impii, ac irreligioſi homines, nec DEO nec hominibus juſtitiam præſtantes, bonis affluant, ac in delitiis vitam tranquillam ac proſperam agant. *Vidi lacrimas innocentium, & neminem conſolatorem,* (*a*) in hac nimirum vita: opus eſt igitur, a. ut in alia vita a DEO exſpectent bona,

(*a*) Eccleſ. IV.

cui fideles fuerunt ipſum reverentes, & colentes, gloriam ejus promoventes, cujus intereſt, cuique, quod juſtum eſt, reddere.

Cum gloriam Dei deceat, ut ſint creaturæ rationales ſine fine laudantes Deum.

VI. Ne autem aliquis conjiciat DEI juſtitiam, quod in altera quadam vita quibusdam adhuc aliqua bona reddat, facere quod ſuum eſt, ſi bona illa tanto tempore retribuat, quo æquitas flagitat, non æternitas: ad alias etiam divinas perfectiones attendere opus eſt, præſertim bonitatem DEI, cujus manifeſtandæ gratia hunc mundum condidit. Quæ cum ſit communicativa ſui: annon Ens ſumme perfectum ſeſe modo perfectiſſimo communicet per creaturas ſpirituales, & æternas? Quæ cum ſolæ capaces ſint intelligentiæ, etiam ſolæ afficere DEUM gloria poſſunt, eumque honorare grata agnitione divini Numinis, ſummæque ejus perfectionis reſplendentis ex operibus illius. Oportet ergo non ſolum eſſe, ſed etiam ſemper eſſe tales ſpiritus, quouſque ſcopus hic promovendæ divinæ gloriæ perdurat, id eſt in omnem æternitatem; ut dignum eſt divinæ magnitudini, nunquam ab illius cognitione & veneratione ceſſare. Quæ divinæ gloriæ agnitio cum in hac vita adhuc exigua ſit, ob craſſam corporis maſſam & imbecillitatem intelligentiæ, olim conſummanda

manda erit, & in perpetuas æternitates producenda, ut ſit digna ſupremo Numine, ſuisque perfectionibus apta.

VII. Ne tamen in hac etiam vita muneri noſtro de promovenda DEI gloria, ac noſtra ſic conſectanda ſalute deſimus, ſedulo curandum, inquirendumque quibus potiſſimum officiis DEUS a nobis honorari velit: qua via nos ad felicitatem noſtram procedere jubeat, ne in altera vita, atque æternitate potius infelicitatis pœna a juſto DEO irrogetur, quod certe in iſta diſparitate morum, & cultus religioſi, eventurum ambigi nequit. Itaque voluntas divina in hac re eſt indaganda, quam facientes præmia, & felicitatem piis in altera vita repoſitam adipiſcamur, pœnas econtra evitemus. Unde vero melius hæc omnia diſcamus, quam docente ipſo divino Numine, cum longe experientia noverimus humana omnia ſtudia hic nihil dignum proferre, neque nos edocere de vero animæ poſt hanc vitam ſtatu felici, aut infelici: imo depravatam indolem noſtram vi omni conari cogitationem & curam ab illa abducere in contraria quæque. Quo igitur nos convertamus niſi ad ipſum benigniſſimum Numen, ut nos doceat facere voluntates ſuas, verumque & ſibi placitum impendere cultum,

Quam gloriam DEI hic etiam religione in DEUM promovere debemus a DEO edocti.

ac religionem, ſicque deducat in viam rectam, & perducat ad felicem æternitatem.

CAPUT VIII.

Apud Chriſtianos indicia, ac ſigna veræ religionis, ac doctrinæ revelatæ haberi.

I.

Indagandum ubi doctrina vera a DEO revelata habeatur.

Cum igitur non ſolum non inconveniens ſit, perfectiſſimæ, quam de DEO concipimus, notioni, verum etiam, præſertim hoc humanæ naturæ vitio laborantis ſtatu, neceſſarium, ut præter generalem ſeſe creaturæ rationali manifeſtandi modum naturalem, ſingulariter DEUS revelet, quæ ad ſui cultum & religionem, ad noſtram conditionem ſtatumque, præſertim futuræ vitæ felicitatem, ac rationem, ad eam pertingendi, cognoſcendam pertinent: circumſpiciendum homini, ac ſtudioſa electio facienda, ubi verus cultus & religio juxta DEI beneplacitum obtineat, inter tot DEUM, Deoſque colendi, fingendique ritus. Ubi divina genuina obtineat revelatio: cujus hæc potiſſimum eſſe poſſunt criteria. Si ſint ejuſmodi revelatæ veritates, quæ lumina naturæ indita illuſtrent,

ſtrent, inter ſe conſpirent, nec a ſeipſis diſſentiant in quoquam: ſi dignam de DEO opinionem ingerant, ſi ampliſſima majeſtate, bonitate, ſapientia ſupremi Numinis digna promiſſa complectantur, obſequium a nobis & cultum ſincerum expetant, a malis avocent, ad honeſta provocent: ſi ſtatum noſtrum, & conditionem bonorum & malorum futuræ vitæ, ac felicitatis veræ nobis patefaciant: ſi verum miſeriarum, ac illius mali quod in nobis ſentimus fontem prodant, unde accidit ut in res contrarias ruamus illis, in quibus bonitatem, honeſtatemque ineſſe pacata ratio & ſana agnoſcit: unde, ut diximus, multi diligenti indagatione, attentioneque ſuopte rationis ductu in eam cogitationem inciderunt, aliquid corruptionis humanæ naturæ alicubi accidiſſe.

Quæ debet ſe probare per motiva credibilitatis natura ſuperiora.

II. At fieri poſſit, ut ſubdole aliquis ad hæc criteria exactam effingeret doctrinam, eamque pro revelata venditaret. Et certe nullum caput ex allatis eſt, quod non a ſapientibus hujus ſæculi quodammodo agnitum & illuſtratum fuerit. Agnovit PLATO animas antequam corpori jungerentur aliquo ſcelere debuiſſe eſſe contaminatas. Felicitatem alterius vitæ uſque ad ἀποθέωσιν idem, ac uſque hodie Japonii extulerunt, pro purgatione

ne & expiatione ſcelerum in hac vita commiſſorum metempſychoſin ſtatuentes. Sæpe etiam Philoſophi tradiderunt quæ honeſtatem ſpirent, a malis avocent, & quamvis ſuperſtitionibus vulgi obſiſtere non poſſent, apud ſeipſos eas irriſerunt, ac dignam de DEO notionem habuerunt, aut ſaltem naturaliter habere potuiſſent. Ex quibus eluceſcit, non ſic poſſe quemquam allatis divinæ revelationis criteriis acquieſcere, & adhuc præſtantiora, diviniora que revelatarum veritatum ſigna & argumenta requiri, eaque publica in magno aliquo cœtu & ſocietate, cum præſumi de DEO non poſſit, eum rem adeo neceſſariam omnibus & ſingulis, ac ſalutarem, pauciſſimis tantum patefactam velle. Nemo non agnoſcit me hic loqui de motivis illis credibilitatis, quæ ſigna complectuntur natura ſuperiora, quæ conſequenter a ſolo DEO provenire poſſint ad confirmationem, faciendamque fidem revelationis a ſe factæ. E. g. Si res nonnunquam longe poſt futuræ prædicantur, aut prædictæ jam impletæ exhibeantur: ſi miracula edantur,

Quæ eſt optima probandi veram religionem

III. Hæc methodus vel inde citius approbationem meretur, quod a ratione ſtatim nos ad auctoritatem adducit, cum experientia magiſtra edoceamur, quam

parum

parum ſibi conſtans & ſtabilis permanere ſoleat ratio, ſi ſibi ipſi diu relinquatur. Deinde facilis nobis hoc modo ſolutu redditur ea objectio, qua ſcripturam per eccleſiam, & eccleſiam per ſcripturam probare vitioſo circuitu nobis imputant. Non enim eccleſiæ generalem notionem, quatenus eos complectitur, qui congruis inſtitutis, ritibus, & religione divini Numinis cultui ſe adſtringunt, probamus per ſcripturam: ſed talem eccleſiam, aut conſtitutos a DEO illius fundatores priores ſtatuimus ipſa ſcriptura, ſignis evidentibus auctoritatis divinæ inſtructos, quæ nobis exiſtant certiſſima credibilitatis motiva. Deinceps contra eos, qni nobiſcum ſcripturæ auctoritatem agnoſcunt tales eccleſiæ affectiones ex ſcriptura deſumimus, qualibus eam ſingulari munificentia imbuere DEUS voluit, & perfectam illuſtremque reddere.

revelationemque, ratio.

IV. Itaque demonſtrandum eſt, veram doctrinam revelatam, ac religionem apud eos eſſe, ac fuiſſe ſemper, quorum nos contextam a MOYSE hiſtoriam in ſacris litteris exorſam, ab aliis deinceps continuatam habemus. Quæ religio, cum mundi exordio inchoata, ampliorem ſucceſſu temporis divina benignitate ſpeciem nacta, ad ſummum ſplendo-

Quam apud chriſtianos obtineri, qua ratione demonſtrandum.

rem,

rem a CHRISTO eſt perducta, toto orbe ad unam illius ſocietatem vocato, coronidem vero in æterna patria conſequetur. De qua nobis deinceps ordine inſtituetur ſermo, dum prius paucis declaraverimus, quo ea ſucceſſu temporum velut ab incunabulis excreverit & perfecta ſit. Ubi triplex veluti ejus ætas ſpectari debet. Prima ſub naturali lege: quando in nullum certum & publicum coiit corpus, patribus familiæ incumbente onere, ut filios ſuos circa religionem inſtruerent: quod fieri potuit eadem traditionis ſucceſſione perpetua, qua generatio proceſſit, niſi patres ſuo defuiſſent muneri, ipſique avitam traditamque neglexiſſent doctrinam, nec filiis rite communicaſſent. Placuit ergo divino conſilio ſingularem ſibi ſegregare populum cui manifeſtaret voluntatem ſuam, revelaretque. Atque id præſtitit
a. multifariam multisque modis olim (*a*) DEUS loquens patribus in prophetis: noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio. Quodſi ergo prophetæ ſeſe divina auctoritate inſtructos monſtrarent, audiendi erant, atque divina per illos ſuſcipienda voluntas & mandata. Idem adhuc etiam magis ipſi Filio, ſi talem ſe demon-

(*a*) Hebr. I. 1.

demonſtraret operibus & comprobaret, quod feciſſe CHRISTUM ſuo loco oſtendemus, præſtandum fuiſſe, dubitabit nemo. At ſi placuit divino Numini, ut poſt Filium, & quos ipſe per ſe Spiritum ſanctum inſpiratos miſerat, publicum nullum relinqueret prophetiæ miniſterium, ſed tantum inſtrueret tribunal, quod legitima ornaret auctoritate ſuo nomine, id audiendum & ſuſcipiendum eſſe quis abnuet? In his fundamentum totius noſtræ demonſtrationis præſentis veræ religionis veræque eccleſiæ contra falſas quaſque ſiſtit. Quodſi ergo oſtenderimus eos omnes, qui nobis divinam revelationem reliquerunt, divina auctoritate rite inſtructos ſeſe probaſſe, patebit eam religionem, quæ in fide in Meſſiam ab origine mundi crevit, eſſe veram: idque tam quoad vetus teſtamentum, ubi multifariam multiſque modis olim DEUS locutus eſt patribus in prophetis, quam etiam ac maxime, quoad novum teſtamentum, quo locutus eſt nobis in Filio, quem injuria reſpuunt Judæi, ſi is legitime ſe miſſum, & divina auctoritate inſtructum probavit, haud ſecus ac ejus diſcipuli, per quos nobis divinam voluntatem & legem novam dedit, eccleſiamque fundavit, cui verbi ſui depoſitum concredidit:

didit; quo continetur totius veræ religionis ab origine mundi proceſſus, & totum divinæ diſpenſationis circa humanum genus grande opus. Demonſtrabimus autem hæc omnia nobis manifeſtata & revelata eſſe in religione ſub nomine mediatoris & redemtoris generis humani inde a primordiis generis humani.

Pro qua nimirum pugnant criteria revelationis, & veræ religionis.

V. Hæc itaque omnium aptiſſime tum rerum contingentium a primo Ente neceſſario creationem, productionemque pandit, ac præcipue hominis plaſmationem, rationalis animæ originem, auræque divinæ inſpirationem explicat: cum ab aliis contra omnem veriſimilitudinem mundus aut ab æterno perſiſtens ex materia præexiſtente, aut ex atomis compactus, ac homo fungi inſtar e terra prognatus, perhibeatur. Appoſite porro quam maxime a primo ſtatim ortu ſingularis DEI cum homine commercii rationem ediſſerit. Quo DEUS hominem cæterarum rerum Dominum, & curatorem conſtituit: ipſum vero hominem ad cultum ſuum deſtinavit, legibus talibus devinxit, quæ obſequium & reverentiam ſupremi Numinis decent, quarumve bonitatem & convenientiam cum recta ratione, ejus lumen poſſit agnoſcere: cum res provocent, quas ipſa natura & ratio

vir-

virtutis loco habet, ab illis vero avocent, quæ ſanæ rationi adverſantur. Provocat autem promiſſis menti humanæ unice gratiſſimis, felicitatis in contemplatione fruitioneque ſummi DEI, homini tamen naturæ conatu & viribus impervia. Cui religioni id quoque robur addit, quod ſua primordia ab ipſis mundi incunabulis repetat, cum dubium non ſit DEUM primum hoc in creatione mundi intendiſſe, ut quem ad ſuum cultum deſtinarat, illum ad hoc imbueret, inſtrueretque. Addit momentum MOYSIS antiquitas, hæc omnia nobis enarrantis, qui primus habetur ſcriptor, quique propior rebus, quas enarrat, quam ullus alius vera præ aliis ſcribere potuit.

Quæ etiam nos edocet naturam animæ noſtræ, ac ſtatum illius felicitatis veræ.

VI. Hæc porro religio omnium optime nobis illas veritates explicat, quas paulo ante commemoravimus, quasque ratio nobis quidem aperit, ſed veluti attonitos nos relinquit. Primum dum immortalitatem animæ extra dubium ponit, cujus naturam nemo melius argumentis ſuaſibilibus demonſtrare poteſt; atque quæcunque quidem producuntur hoc maxime evincunt, nos naturam animæ non ſatis perſpectam habere: conſequenter ſi qui idonei auctores certi nobis aliquid de hac re afferant, illud

F ample-

amplectendum eſt; ſi præſertim ratio accuratius conſulta ſuadeat, potius, quam diſſuadeat. Atqui vero religio, quam nos veram ſumus demonſtraturi, pro immortalitate humanæ mentis ſtat, ac Moyses quidem de divina illius origine excellentiſſimum præbet documentum, dum ad imaginem DEI hominem creatum, ac animam eſſe divinum ſpiraculum prodit. Sicuti enim DEUS mortuorum non eſt DEUS, ita nec imago DEI, vel divinum ſpiraculum mortale eſſe poteſt: Christus autem hanc hominibus a prima mundi origine creditam doctrinam, ac jam olim ore divino propalatam non ſolum evolvit, explicavit, fortiſſimeque aſſeruit, ſed etiam ea omnia, quæ ad ſtatum immortalitatis hujus pertinent, rationi impervia divini conſilii myſteria docuit. *Secundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto JESU ante tempora ſæcularia. Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri JESU Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per evangelium* (a). Ita ut uſque ad contemtum præſentis vitæ nos immortalitatis, ac æternæ felicitatis ſpe repleverit,

docens,

(a) 2. Timoth. I. 9. 10.

docens non eſſe timendos qui occidunt corpus &c.

VII. Tunc ergo primum hæc doctrina penitus propalata eſt. Animam eſſe ad imaginem DEI factam, atque flatu quodam divini Numinis inſpiratam, illi ſemper noverunt, qui depoſitum divini retinuerunt verbi. Et licet hinc ſapientes quique, qui verum verbi revelati intellectum conſervant, nunquam dubitarint de immortali illius ſorte, tamen necdum ita clare patefacta tunc erat ea veritas, ut nullis penitus dubiis ſuccumberet apud illos ipſos, qui divinum agnoſcebant verbum; ut eo minus mirandum ſit, ſi alii hic minus inſtructi in varias inciderent aberrationes, etiam qui de ejus natura videbantur melius ſapere. Dum alii ambigerent eſſetne pro æterna quadam divinitatis ſcintilla habenda, an vero res creata? Anne e cœlis in terram illaberetur? An de uno in alterum ſucceſſive transmigraret corpus? An pars animæ mundi ſit, aut ens diſtinctum? Nihil dicam de ea, quæ omnium deterrima ex immortalitate animæ enata eſt opinio: ut quicunque re quapiam aut militari aut civili, arte vel ſcientia nomen ſibi comparaverat, Numen poſt mortem conſecraretur. Nihil item dicam de illa apud barbaras complures

Præſertim genuinum de immortalitatis poſt hanc vitam ſtatum.

gentes etiam hodie adhuc obtinente crudelitate, ut neceſſarii quique ſocii in alteram vitam ſponte aut invite tradantur. Quæ aliæque complures ſiniſtræ opinationes ex optima & ſumme neceſſaria immortalitatis animæ cognitione deſumebantur unica neglecta ſalutari de æterna illius felicitate in ſummi boni poſſeſſione adipiſcenda, quorſum tamen ſuapte natura inſatiabili felicitatis deſiderio ſuſpirat, nulla re tranſitura, imo nec ullo finito contenta bono. Quamvis propriis alis & contentione ſatis intelligat, quam voti ſui ſuapte ſit impos, corporis mole, & variorum caſuum ac neceſſitatum conflictu; etiam innata inertia & inteſtino diſſidio maxime præpedita, ut nihil divinitus edocta, nullum elabendi, atque ad felicitatem naturæ ſuæ congruam, quo æternum fruatur, evolandi inveniat modum & locum. Notavit S. AUGUSTINUS VARRONEM dum Deorum gentilium naturas ſingulas & munera ſingularia accurate deſcriberet, cum nihil intactum relinqueret de hoc uno unice neceſſa-
a. rio nihil poſuiſſe. *Oſtendens*, inquit (*a*), *in omnibus quod ſit cujusque munus*, & *propter quid cuique debeat ſupplicari: in qua univerſa diligentia nullos demonſtravit vel nominavit Deos a quibus vita æterna poſcen-*

(*a*) Aug. de civit. Dei. L. VI. c. 9. n. 5.

poſcenda ſit, propter quam, unam nos proprie chriſtiani ſumus.

VIII. Omnium autem luculentiſſime iſta religio labem & vulnus naturæ noſtræ, quod in nobis percipimus, ſed cauſam ex nobis ipſis indagare non poſſumus, detegit: peccatum nimirum primi parentis ADAMI, quod traductum cum omnibus ſuis funeſtis effectibus in nos poſteros ſcriptura ſacra prodit, quod *peccatum originale* audit, unde noſtræ omnes miſeriæ, ac corruptio deſcendit. (a). Cum ratio miſeriam quidem agnoſcat, de cauſa autem taceat. *Ut ſolum certum ſit*, quæ ſunt PLINII verba, *nihil eſſe certi, nec miſerius quidquam homine aut ſuperbius.* Et licet agnoverint multi appetitus vitioſos, & indomitas cupiditates eſſe ingentia mala, horum tamen originem nullus ſcivit: nec etiam religio alia eſt præter chriſtianam, quæ hunc hominis creaturæ alioquin tam præſtantis ſtatum ejusque cauſas expli-

Ac originem tot malorum, tam phyſicorum, quam moralium declarat.

 cet.

(a) Hoc peccatum cum negarent Pelagiani, S. AUGUSTINUS eis ſtatum miſerum hominis a primo conceptu ad mortem uſque oppoſuit, arguens: *DEUM aut injuſtitiæ, aut impotentiæ fore accuſandum, ſi innocens creatura tam infelix naſceretur; ſed quia nec injuſtus nec impotens ſit DEUS, reſtare, quod grave jugum ſuper filios ADAM non fuiſſet, niſi delicti originalis meritum præceſſiſſet.*

cet. Quæ nobis declarat, hominem non eſſe a DEO creatum tot ac tantis depravatis animi affectibus addictum, tam pronum ad malum, difficilem ad bonum, paſſim a recto & honeſto aberrantem, mille miſeriis, calamitatibus obnoxium: ſed noxam aliquam interceſſiſſe, qua meruerit ſtatu perfecto originario ſpoliari, ſuisque deſideriis, in quæ ſponte ruit, pomum vetitum guſtando, relinqui, DEO auferente dona ſua ſpecialia, quibus in prima creatione eum ornaverat, unde malum neceſſario in poſteros pervenire debuit: haud ſecus ac ſi princeps & judex reum nobilitate, bonis, & patria ſpoliat, conſequenter ejus etiam poſteritas illis orbata manet: ſcriptura commemorante, DEUM ſicuti homini dominium in res omnes dedit, ita in juſtam pœnam malis etiam phyſicis mundum infecerit, poſtquam propter inobedientiam ſe homo ejus poſſeſſione, fruitioneque indignum reddidit. Cujus duo exempla nobis ex ſcriptura ſuppetunt: dum DEUS propter hominem ſerpentem punivit, & inimicitias poſuit, terræ, ut ſpinas & tribulos homini proferret, denunciavit: deinde novis peccatis irritatus in diluvio ejus etiam faciem deturpavit. Mala phyſica, quomodo unice ex malo morali ſeu peccato orta,

ac in mundum illata ſint, hinc patet: nimirum homo dominio jure privatus in res hujus mundi, ad ſe, uſumque ſuum ſpectantes: quo dominio creaturæ rationalis in creaturas irrationales ſublato, ordo in his ceſſet, oportet, ac turbetur, hoc eſt, mala phyſica ſint, ac infeſtent nos.

Remedia item contra hæc mala præſcribit unice ſalutaria.

IX. Sicut autem nulla ratio, aut religio excepta chriſtiana malorum horum verum indicat fontem ac originem, ita multo minus docent, quomodo malis his pareтur medela. Sola religio noſtra morbo noſtro ſalutares præſcribit medicinas, contraria nimirum contrariis curando, ſuperbiam humilitate, cupiditatem continentia, mentis cæcitatem cœleſti doctrina ſanans; voluntatis refragariam pervicaciam dulci amoris & delectationis potu demulcens, idque per ſaluberrimum remedium efficacem a gratia DEI per Christum medicinam; per quem & DEO reconciliemur, ne ea privemur felicitate, quæ animos noſtros immortales in æternum recreet delectatione animæ, rationique unice deſiderabili, ipſius divinæ faciei contemplatione. Qua in re conſpiciuntur divini cujusdam Numinis characteres luculentiſſimi, infinitæ beneficentiæ, & juſtitiæ pari ſapientia temperatæ. Primum in eo cernitur, quod

beatitudine excidere hominem noluerit DEUS, cum ſe ea indignum reddidiſſet, alterum in eo, quod per factam talem ſibi injuriam reparare voluerit, qui majeſtati offenſæ juſta placationis menſura integerrime ſatisfaceret. Quæ omnia plana erunt ei, qui ſcripturarum monumenta, quibus hujus religionis ortus, progreſſus, & perfectio contenta ſunt, perſcrutari, eumque rerum ordinem qui a primo illius exordio ad nos uſque decurrit, ſecum attente perpendere & conſiderare voluerit.

Atque ſe apertiſſimis, diviniſſimisque motivis credibilitatis commendat.

X. Ut vero in hoc negotio ſummi momenti ſecure omnino procederemus, placuit præterea benigno Numini ſignis divinam revelationem, & religionem a falſa qualibet ſuperſtitione diſtinctam prodentibus, addere alia indicia, ac motiva credibilitatis longe apertiſſima, quæque non aliunde, quam a divino Numine poſſint ſuum habere ortum: ut ſic nullus levitatis poſſit argui, credens veritates revera a DEO eſſe, neque eſſe figmenta hominum, qui forte, quæ veriſimiliter de ſtatu hominis in hac & altera vita, deque DEO, & rebus divinis confinxerint, ac credulis obtruſerint pro divinis revelationibus, cujusmodi deceptiones frequentes fuiſſe intelligimus, hinc jure nobis cavemus ab illis:

de

de Moysis autem, qui primus origines ſcripſit veræ religionis, veracitate multa nos ambigere non ſinunt, quem DEI oraculo commendatum ac præfectum dubitare non licet: qui potuerit imponere populo ingenii adeo contumacis, legem tot ritibus gravatam præſertim circumciſione, quæ derideretur ab externis, nec niſi cum ingenti dolore ſuſciperetur; niſi conſtitiſſet a DEO hæc præſcribi, qui familiariter converſatus cum Patribus eſt, quique miraculis ſuam voluntatem declaravit, maxime in egreſſu Ægypti, & Chananeæ terræ ingreſſu: quæ miracula in eorum conſpectu conſcripſit, apud quos patravit, aut ſaltem apud eorum progenitores. Conſpectus autem miræ rei præſentis, fidem præteritarum narrationum conciliaverat, cum alias apud populum duræ cervicis, cujus multa millia morte plexerat, & quadraginta annis in eremo detinuerat, ſpe pinguis poſſeſſionis, obtenturus haud fuiſſet, ut pareret, nec jugum excuteret. Accedebant prædictiones, quarum eventus in quibusdam propior, de cæteris ſpem certam faciebat. Auxit autem plurimum fidem, quod poſterioribus etiam temporibus talia ſæpius fierent in eodem cœtu, atque ab illis ipſis hominibus, qui avitæ religioni adhæ-

ſerant. A quibus ea, quæ nos quotidie in chriſtiano orbe completa cernimus, tanto ante prædicta ſunt, tam dilucide & aperte, ut quandoque nec tempora, nec loca, nec perſonas tacerent. E quibus omnibus nunc per partes agemus; nunc autem veluti in pugno hic ponenda fuerunt, ut ſuperius a nobis explicata ratio clareſceret, nimirum eos, qui aut veram religionem deſcripſerunt, ac fundarunt divina auctoritate, aut qui cœtum conſtituerunt, in quo viguit vera religio, fuiſſe a DEO nobis declaratos per ſigna evidentia, quæ nobis eſſent motiva credibilitatis, quin ſcripturæ ipſæ ſuapte divinitatem proderent: non quod penitus hujusmodi notis carere ſcripturas etiam negemus; ſed quod pateat illos, quibus concredita ſunt eloquia DEI, & a quibus nos accipimus, comitata fuiſſe ſigna divinæ inſpirationis: quæ ſicut eorum veracitatem probarunt, ita etiam probant cœtus illius aut eccleſiæ divinam electionem & veracitatem in proponenda vera doctrina revelata, ut non ſit tantum mulieris inſtar Samaritanæ, ſed verum principium fidei, qua DEO credimus per eccleſiam, aut eccleſiæ fundatores.

CAP. IX.

CAPUT IX.

Sacram ſcripturam ſuam etiam veracitatem, divinitatemque multis argumentis commendare, oſtenditur.

I.

Itaque diſtincte agemus de characteribus ſacræ ſcripturæ, ac de motivis credibilitatis pro religione chriſtiana: quamvis enim utrumque horum ad eundem finem collimet, tamen diviſim conſiderari ambo merentur. Ut is, qui circa inſpirationem dubitat, ex ipſis etiam ſcripturis ſaltem convincatur, non habere ſe ullam juſtam dubitandi cauſam. Imprimis enim hic nihil reperiet, quod cum ſana ratione pugnet: quin vero harmoniam inter ea, quæ ſcriptura de DEO affirmat, & quæ de ipſo ex principiis rationis demonſtrantur, etiam quoad rationes actionum noſtrarum cum legibus naturæ & gratiæ conformandas deprehendet: quæ eſt illa demonſtrativa interpretandi methodus, quam multi in poteſtate ſitam exiſtimant. Certe fieri neceſſe eſt, ut genuina revelatio conveniat cum lumine rationis, huicque quo-

Sacra Scriptura ipſa contra incredulos loquitur.

quodammodo ſit ſuperſtructa, cum nullo modo credi poſſit lumen ſemel inditum a DEO, ab eo iterum extinguendum: quamvis plura continere debeat verbum revelatum, quam natura ſola docere poſſit, ne ſupervacaneum videatur: tamen rationis non eſt nullum miniſterium in apprehendendo, inter ſe comparando, & de pondere argumentorum ac rerum judicando. Certe ſcimus ſola ſcripturæ lectione complures Atheos de vera religione chriſtiana eſſe convictos (*a*).

Et divinas ſuas prodit origines multis argumentis.

II. Negari a nullo ſanæ mentis poteſt, illius originem ab ipſo DEO eſſe repetendam, cum a quocunque alio profecta eſſet ſine divino conſilio conſiſtere haud

(a) Quale exemplum habetur in doctiſſimo viro Franciſco JUNIO, uti ipſe de ſe refert, qui in juventute veneno Atheiſmi infectus, pii parentis ſui conſilio, & ſacræ ſcripturæ lectione ab hac peſte eſt liberatus. *Hic ergo*, de ſe memorat in vita ſua, *novum illud teſtamentum divinitus oblatum aperio: aliud agenti exhibet ſe mihi aſpectu primo auguſtiſſimum illud caput JOANNIS evangeliſtæ & apoſtoli:* In principio erat &c. *lego partem capitis, & ita commoveor legens, ut repente divinitatem argumenti, & ſcripti majeſtatem, auctoritatemque ſenſerim longo intervallo omnibus eloquentiæ humanæ fluminibus praeuntem &c.* Rem totam refert Albertus FABRICIUS ſua in Bibliotheca.

haud potuiſſet in ejus omnium temporum approbatione tantus conſenſus, cum ſit ſcriptum omnium antiquiſſimum, quod hujus univerſi creationem, hominum ac nationum origines, imperiorum ortus, annorum a mundi primordiis ſeriem enarret, de DEO, rebusque divinis ſublimiſſima myſteria pandat, de ſtatu noſtro, fine ultimo, ac felicitate æterna præclara documenta præbeat, unum DEUM nobis repræſentando ſummis perfectionibus auguſtiſſimum, ſapientiſſimum, ſanctiſſimum, omnipotentem, benigniſſimum, juſtiſſimum, veraciſſimum, admirabile etiam temperamentum inter has perfectiones exhibendo in veteri & evangelica lege, viam demonſtrando per virtutum ſemitas, idque inter tantam variis longiſſime diſſitis temporibus ſcriptorum varietatem conſtanti adeo conſenſu & harmonia eorum librorum omnium, qui volumine ſacro continentur: novi præſertim cum veteris teſtamenti ſcriptoribus convenientibus: & cum hoc ab illo antiquatum ſit, nihilominus unum alterius divinitatem probat, ac luculentum invicem præbent teſtimonium: tum mutuo etiam ſibi, tum ſingulariter quæque ſcriptura de ſua inſpiratione toties teſtatur, ut impudentiſſimi poſt homines natos

eſſent,

eſſent, ſi hoc nomine lectoribus illudere vellent ſcriptores, nec in ulla amplius re fidem mererentur: cum tamen tot ac tantas apertiſſimas ſcriptura veritates contineat, quas quilibet poſſit agnoſcere, inter ſublimiſſima myſteria ſapientiſſimis etiam hominibus admirationi exiſtentia; ita ut pro omni hominum genere & ſtatu apta ſit doctrina illius, ſublimitatem ſimul ac ſimplicitatem ſummam undique ſpirans, quarum hæc illam extollat, res maximas & excellentiſſimas ſtilo ſimpliciſſimo absque ullo verborum fuco proferendo, illa hanc ſummopere commendet propter inaffectatæ ſimplicitatis maximam efficacitatem & virtutem, quam exerit in humanas mentes, negotia denique & officia omnia hujus vitæ, veritatibus ejus non ſolum in præteritarum & præſentium rerum narratione non fallentibus, ſed nec in longiſſime poſt futuris: ut de futuris confidenter, de præteritis & præſentibus vere, aperte, opportune, omnia divine loquatur, nihil diſſimulando, nihil tempori dando, omnia utilitati ac inſtructioni hominum, & gloriæ DEI.

a. (a) *Omnis enim ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia,*

ut

(a) 2. Tim. III. 16.

ut perfectus ſit homo DEI, ad omne opus bonum inſtructus.

III. Quantis tenebris obvolutæ forent primæ rerum origines, hominum præſertim fata, niſi nobis a MOYSE eorum omnium accurata memoria fuiſſet ſervata? Neque vero ad paſcendam curioſitatem hæc conferunt, ſed hinc in cognitionem veri Numinis ac ſtatus noſtri perducimur, ac veri illius cultus, religionisque. Ignoratio mundi a DEO conditi cauſa fere unica extitit oblivionis divini Numinis, ac quarumvis ſuperſtitionum. Cum contra veritas exiſtentiæ DEI non aliunde luculentius, quam ex hiſtoria creationis demonſtretur. Neque enim hæc DEI exiſtentia in ſacris litteris unice tanquam doctrina, quæ fide ſimpliciter ſit amplectenda proponitur, ſed argumentis ab hujus univerſi creatione petitis ſolide confirmata ſiſtitur. Quod fuit verum DEI conſilium ponendi nobis ob oculos creationis hiſtoriam. Unde nos non ſolum in cognitionem Entis neceſſarii, quod ſit cauſa rerum contingentium hujus univerſi, deducimur, verum etiam edocemur contra erroneas omnes alias opiniones de ortu mundi veram a mente æterna rationem productionis rerum, fruſtra contra creationem Moſaicam

Præſertim in hiſtoria primæ rerum originis.

ſeſe

ſeſe opponentibus multis philoſopho-rum, aut etiam aliis conantibus explica-tiorem reddere illam, ſecundum varias hypotheſes phyſicas varie a variis exco-gitatas. Qua ratione ſimplicitati ſenſus Moſaici vim intulerunt per commenta ſua: cum MOYSES rem habere potue-rit per traditionem ab ADAMO per MA-THUSALEM ad NOE, hinc per SEMUM ad ABRAHAMUM, inde per JACOBUM ad Iſraelitas Ægyptiacos transmiſſa, a qui-bus fideliter retenta MOYSES habuit; aut certe redargui mendacii potuiſſet, ſi a-liud quid ſcripſiſſet, quam quod tradi-tio illis adhuc temporibus facile memo-ria retinuit: cum reliqui omnes, qui de ortu & origine rerum ſententias prodi-derunt, ſine omni dubio MOYSE ſint lon-ge poſteriores: quorum tamen antiquio-res propius accedunt MOYSI in prima ſubſtrata materia deſignanda, ſicuti THA-LES aquam, PHERECYDES Syrus terram, PYTHAGORAS Monadas, ARISTOTELES ὕλην, EMPEDOCLES & DEMOCRITUS ato-mos, alii *multorum* nomen, ac denique chaos inſtituerunt. Cur autem plerique in abſurdas opinationes provecti ſint, inde venit, quod ulterius rem explicare ſuſceperint, quam a MOYSE factum.

Ac reliquis hiſtoriæ cap.

IV. Non minus ex reliquis hiſtoriæ partibus primorum præſertim mundi tempo-

temporum veritas, & conſequenter divinitas ſacræ ſcripturæ eluceſcit, cum Moysis ſcriptis deinceps omnis oeconomia divinæ revelationis innitatur: antiquitatis enim reliquiæ olim jam confirmarunt Moysis fidem, cum nihil unquam afferri adverſus eam potuerit, utut facillime falſitatis convinci potuiſſet, ſi aliter res ſeſe habuiſſent, præſertim poſt diluvium, ac propioribus Moysi temporibus, florentibus eo tempore peritia populis Ægyptiis, Aſſyriis, aliisque, qui incredibilem antiquitatem jactabant. Quorum populorum linguam, ſapientiamque, cum conſtet, ſibi Moysen maxime familiarem reddidiſſe, quod auſus fuerit brevem adeo ætatem rebus hiſce tribuere, niſi divinitus de veritate ſua convictus, probabile haud ſit; ut optime obſervat *Jacobus* Jacelotus (*a*). Cum econtra monumenta antiquitatis & reliquiæ omnes, quarum apud auctores aliqua mentio extat, quæve ætatem tulerunt, confirmandis Moſaicis traditionibus inſervire, adhuc hodie poſt tantum effluxum tempus, deprehendantur, quorum utique multo major olim fuerit oportet numerus, præſertim publicis in anathematis, ſepulchris, trophæis, urbibus, templis, aliisque rebus,

(*a*) Diſſertations ſur l'exiſtence de DIEU &c.

bus poſteritati conſecratis: hymnis item, ac carminibus, quibus antiquiſſimis temporibus rerum geſtarum conſervabatur memoria. Græca documenta, quæ uſque hodie ſunt conſervata, etiam narrationibus Moſaicis teſtimonium reddunt, & quamvis uſque ad Olympiadum Epocham fabulis omnia ſint in hiſtoria conferta, in illis tamen plerumque aliquid veri deliteſcit, quod cum factis biblicis conſpiret. Quemadmodum autem ex nova artium inventione argumentum novitatis mundi ſuppetit, ita ex incertitudine hiſtoriarum antiquiorum, & fabuloſa antiquitate eadem novitas oſtenditur; haud ſecus ac litterarum recens inventio, ac librorum, quorum MOYSE nullum antiquius reperitur: qui autem poſtea ſunt editi præcipuarum rerum a MOYSE narratarum memoriam conſervant. (*a*)

a. Etiam mirabilem illam totius univerſi inundationem.

V. Unum adhuc maxime celebre hiſtoriæ caput diluvium nimirum expendere libet: quamvis enim, qui æternitatem mundi olim defenderunt, argumento a variis inundationibus, ac conflagrationibus mundi pro ſe uſi ſint, ad

(*a*) Loca ipſa vetuſtiſſimorum auctorum, ac pleniorem omnium a me dictorum demonſtrationem apud laudatum JAQUELOTUM, HUETIUM alioſque leguntur.

ad veritatem tamen hiſtoriæ Moſaicæ ac conſequenter fixam mundi creati Epocham nihil magis conducit, quam communis non ſolum fama & perſuaſio de diluvio, cui BEROSUS apud JOSEPHUM non minus aperte, quam ipſe MOYSES fidem facit. ABYDENUS apud EUSEBIUM, & LUCIANUS arcæ, PLUTARCHUS columbæ Noachicæ meminit; verum etiam multi effectus naturales hanc inundationem teſtantur, cum veriſimile haud ſit DEUM, cujus perfecta ſunt opera, in creatione orbis tam multa imperfecta, & perturbata reliquiſſe, ſed potius credibile diluvium hanc deſolationem, & *ἀταξίαν* induxiſſe in mari, fluminibus, montibus præſertim ignivomis, grandine, imbribus, & tempeſtatibus, aliisque malis tellurem infeſtantibus. Hodie etiam complures ad probandam diluvii univerſalitatem infallibile argumentum ſtatuunt in conchis & aliis marinis animalibus, ac plantis petræfactis, quæ paſſim per orbem terrarum longiſſime etiam a mari diſſitarum reperiuntur: quæ ſingula nec ſolum luſus naturæ eſſe poſſunt, nec cauſæ alicui naturali adſcribi, ſed rudera diluvii in univerſum orbem ſeſe diffundentis, ac relinquentis hinc inde marina ejusmodi animalia eſſe probantur.

Haud minus etiam novum teſtamentum præſefert ſuæ veracitatis, divinitatisque argumenta.

VI. Quoad novi teſtamenti veracitatem eo procedit melius probatio, quo propiora nobis ſunt geſta, ut quamvis totus mundus contra hanc novam religionis formam inſurrexerit, non tamen potuerit unquam ſublatam oſtendere fidem. Extant in monumentis contra chriſtianos editis paganorum adverſus CHRISTI doctrinam exceptiones, ſed nemo eorum auſus eſt unquam negare ea vere contigiſſe, quæ commentarii evangeliſtarum ad poſteritatem transmiſerunt. Cumque omnia geſta ſint medios inter infenſiſſimos hoſtes Judæos, qui omnem contradicendi contraeundique occaſionem arripiebant, qui fieri potuiſſet, ut hæc omnia ipſis videntibus & conniventibus in vulgus ſpargerentur? Imo ipſi adhuc teſtimonium rebus geſtis reddunt, & etiam in Talmudem miraculorum CHRISTI memoriam retulerunt, tam aſtuti alias ad rerum ſuarum defenſionem, & tanto odio in CHRISTUM & ejus ſectarios debachantes cum evangeliſtæ tam ἀπαθῶς & indifferenter ſe exhibeant, ut nunquam cum deſpectu & conviтiis de hoſtibus, judicibus, & lictoribus loquantur. Summas etiam virtutes, ipſum ejus triumphum, dum in cœlos evectus eſt, vix commemorant, nihil minus attendentes, quam res magnas & excel-

ſas

ſas extollere ad conciliandam lectoris fidem. Qui character apud omnes quatuor evangeliſtas quamvis diverſis temporibus & occaſionibus ſcripſerint, æqualiter tamen reperitur, quin potius in contemptibilibus rebus ac defectibus de ſe ipſis & ſociis referendis occupantur, quomodo eum deſeruerint præſentem, pro quo tamen abeunte, ac mortuo poſtea dira omnia ac mortem pertulerunt.

VII. Sumunt quidem hinc etiam occaſionem carpendi maligni & ſuperbi, quæcunque contemtibilia reperiunt in commentariis novi teſtamenti in deriſum & vituperium capientes, ipſam etiam humilitatem divini verbi, quod ſe uſque ad contemtiſſimam mortem demittere haud dubitaverit cavillantes. Sed cum hæc omnia non aliunde quam relatione ſcriptorum ſacrorum habeant, cur credunt, quæ hi humilia & abjecta ſcribunt, & non etiam quæ mirabilia & excelſa? Itaque qui non dubitarunt abjectiſſima quæque in vita CHRISTI deſcribere, fidem utique etiam merentur, ubi de illius poteſtate & magnificentia agunt. De quibus omnibus concorditer ſine ulla conſpiratione, & aſtuta collatione æqualiter agunt, ut vel inde patet, quod infideles & increduli pro

Quidquid maligni contra nitantur.

argumento ſuæ perverſitatis aſſumunt, dum contradictiones inter ipſos fingunt. Ex quo hoc ſolum proficiunt, ut magis ſimplicitas & fidelitas horum ſcriptorum eluceſcat, qui minime duxerint ſua ſcripta inter ſe conferre: alias enim non permiſiſſent negotium inter ſe conciliandi, quod quamvis feliciter ſemper cedat, & ceſſerit, multis tamen offenſioni fuit, ſed ſuperbis ſolum.

CAPUT X.

Divinitas veteris teſtamenti contra obtrectatores aſſeritur.

I.

Difficultates quas hic impii movent.

Tanta vero eſt nonnunquam humanæ mentis apud quosdam pervicacia, ut maximæ etiam argumentorum evidentiæ tenebras objiciant, atque religioni ſibi ducant, aliquid in religione credere, quod non manibus quaſi palpant: quaſi de geometrica re ageretur, aut de argumento undique ſuſpecto, in quo fraudes, & commenta laterent. Vana quævis ſuſpicio, aut non viſui ſubjecta patens veritas jam anxios, aut incredulos reddit. Quæ dubia hic eo ſpecioſiora ſunt, quod non deſint deceptionum errorum-

rorumque exempla; eo autem magis hic locum habere poſſunt, quod religionis veritas, inde a primordiis ſuis repetita, primas rerum adæquet origines, tanto a nobis intervallo remotas: atque qui res religionis etiam litteris conſignarunt longo temporum tractu a nobis diſtant, præſertim primi eorum ſcriptores, qui V. T. religionem deſcripſerunt a condito mundo principio ducto, inter quos primus MOYSES ter mille & ultra annis a noſtra ætate remotus: ut eo facilius ſit SPINOSIS, HOBBESIIS aliisque nodos difficultatum nectere, quo difficilius eſt per tantos temporum anfractus modos omnes & vias pure conſervatæ revelationis, quibus uſa eſt divina ſapientia, ediſſerere, & minutim explicare. Quamvis hinc nulla legitima dubitandi cauſa enaſcatur, quin potius de divina pietate & ſapientia ſit concipienda fiducia, neutiquam hic defuiſſe, & ſuæ gloriæ, noſtræque ſaluti, cui nos committere, quam noſtræ ſagacitati longe conſultius eſt.

II. Tam vero ſunt levia, quæ hic afferre ſolent, ut mirum ſit, ea incidere aut occupare potuiſſe viros, qui nomen ſibi & claritatem ex litteris quærunt. Inter quos etiam critici quidam, quamvis divinam auctoritatem ſcripturæ ve-

Aut moveri poſſe exiſtimant ob hiſtoriam Vet. Teſt.

teri haud demant; nec audeant fœdus illud, quod per MOYSEN cum Iſraelitica gente iniit, in controverſiam vocare, ipſo CHRISTO præſertim *Jo. V.* 46. 47. apertum MOYSI præbente teſtimonium, totoque novo teſtamento veteri mutuis vinculis innexo; nihilominus hic nonnulla commenti ſunt, quæ objici poſſe viderentur. Exempli cauſa quod primaria hiſtoriæ Moſaicæ capita teſtimoniis extraneis non ſatis firmentur, quæ MOYSES tam præciſe definivit, quoad ætatem e. g. conditi orbis ad ſua uſque tempora, quoad univerſale diluvium, confuſionem linguarum, diſperſionem gentium. Quod eſt ſane iniquum exigere, ſi illorum temporum hiſtorica, aut alia ætatem ferentia non habeantur monumenta. Ut, niſi alia falſitatis ſeſe prodant indicia, fides negari haud poſſit auctori ejus antiquitatis, cui alter par haud accedit; aut certe ad poſterorum ætatem haud pervenerunt teſtimonia. Quod poſtremum tamen prorſus affirmare haud licet. Conſervata ſunt monumenta, & a noſtris jam olim producta, quibus ea, quæ a MOYSE narrantur, confirmentur. Quæ vero ſunt arcaniora, hiſtoria creationis, cum univerſitatis rerum, tum etiam primorum parentum, eorumque peccati &c. quæ hic

potuiſſe

potuiſſe ſuſpecta videri ſuſpicatur Jo. CLERICUS (*a*), ea ejusmodi ſunt, præ quibus alia omnia, ab aliis prolata de his rebus ac phænomenis, puerilia apparent, ſi cum narratione MOYSIS conferantur. Nec morari potuerunt, quæ de diluvio totam terram inundante, de arca omnis generis animantia ſalvante, de geſtis patriarcharum miris, fatis, ac propagatione celeri gentis Iſraeliticæ narrantur difficultatibus implexa, quibus judice CLERICO ethnicorum animi ab iis credendis alieni fieri poterant. Quæ omnia quam vana ſint, ſuapte ſe produnt, ut ob ea fides haudquaquam detrahi poſſit hiſtoriæ, quæ ab integra natione tanquam divinitus revelata ſemper eſt habita, illis libris comprehenſa, quibus gens illa jura ſua, & prærogativas omnes ſeſe debere nunquam dubitavit, maxima ſollicitudine ſemper in ipſo etiam ſacrario cuſtodivit, continua ſolemni ac religioſa lectione trivit, ſuſcepta obligatione, ac religione ſumma, ne adderetur demereturve vel minimum. Quod nullo negotio caveri potuit circa libros in omnium memoria, oculis & manibus verſantes apud populum peculiaribus plane ritibus deditum, eorumque tenaciſſimum uſque ad hodiernum diem;

(*a*) Hiſt. eccl. duor. prim. ſæc. a Chro nato Prol. c. 8.

licet fata diverſa & dira in diviſionibus, captivitatibus, ac diſperſione nunc totali per univerſum orbem experiantur. Quo propius autem ad ipſam rerum originem pertingatur, eo difficilius fraus facta poteſt concipi a Moyse in rerum confictarum enarratione, quando eorum adhuc memoria in traditione, aut memomoria haberi potuit. Quæ documenta quamvis non poſſint nunc æque deſiderari poſt tantam temporum intercapedinem, tamen nunquam aliquid contrarium eſt demonſtratum ex illis, qui inde ab antiquiſſimis temporibus de fundationibus regnorum, urbium, ac populorum aliquid memoriæ prodiderunt: neque ex monumentis antiquitatis eſt protractum in fanis, altaribus, ſtatuis, ſepulchris, trophæis, commentariis publicis, inſcriptionibus, columnis, monetis, legibus, ritibus, rythmis aut cantilenis, quod hic difficultatem faciat. Quoad hiſtoriam ipſam res adhuc eſt magis in ſalvo, cum nihil ſupra bella Thebanum, aut Trojanum a doctis hucuſque ſit notatum in ſincera hiſtoria apud quascunque nationes, neque ab impugnatoribus ac hoſtibus noſtræ religionis antiquis Celso, Porphyrio, Juliano hac de re aliquid objectum. Nullum etiam veſtigium in artibus, ſcien-

tiis, litteris hiſtoriisque antiquiſſimorum regnorum præſertim Aſſyriorum ac Sycioniorum adverſum deprehenditur.

III. Solum Ægyptiorum & Chinenſium annales hic negotium faceſſere poſſent. Quoniam vero cum prioribus, Ægyptiis nempe, ætatem trivit MOYSES, credibile haud eſt, earum rerum ac originum ignarum fuiſſe, ſi ſuo jam tempore diuturnam adeo annorum ſeriem ſibi tribuiſſent, mundi epocham, a ſe conſtitutam, longe excedentem; ut ipſe, teſtibus ipſis Ægyptiis, aut ſaltem Iſraelitis in Ægypto natis & educatis auderet aliam longe poſteriorem originem ſtatuere, eamque ex maledicto ſemine CHAM tribueret nationi Ægyptiacæ; quin ſe redarguendum falſitatisque convincendum timeret ex reſiduis forte antiquitatis monumentis in templis, ſepulchris, pyramidibus, obeliſcis, ruina Thebarum, reliquiis labyrinthi, hieroglyphis, ſyringibus &c. ut recte obſervat JAQUELOTUS in ſuis de exiſtentia DEI diſſertationibus. Ubi hoc argumentum ex hiſtoria rerum accuratiſſime pertractat, atque examinat præſertim chronologicam MANETHONIS Ægypti hiſtoriam ſub PTOLEMÆO *Philadelpho* in lucem editam. Oſtendit nimirum accurate JAQUELOTUS, quam nihil

Præſertim natales mundi.

hil

hil agat auctor iſte in confuſa rerum ac perſonarum ſeu regum Ægypti ſerie ac numero ad annorum extenſionem jactatam apud gentem ſuam, ætatem potius ex aſtrorum computationibus, quam hominum generationibus ac ſucceſſione dimetiendo. Quod idem de Chinenſibus eſt obſervatum a doctis, quorum annales nunc primum, a quo tempore inferendæ religionis chriſtianæ commercium nos inter ac Chinenſes intercedit, huc ſunt delati, ultra diluvium ſecundum computum hebraicum, non vero LXX. (ut ſaltem ex hac parte ſalva res ſit) regni illius antiquitatem proferentes. Doctiſſimus Freretius(a) ex ipſa Chinenſium chronologia oſtendit, regnum illud ab Yaone & Chunone pluribus poſt vocationem Abrahami annis eſſe fundatum, atque immenſa annorum ſpatia, quæ ei tribuunt Chinenſes eſſe periodos aſtronomicas inventas ad conjunctionem planetarum in certis conſtellationibus conſtituendam. Qua de re legendi ſunt, quos laudavimus, qui de hac re curatius egerunt auctores.

Veritas & ſinceritas a Moysi deſcriptæ & inſtitutæ religionis proba-

IV. Hæc quidem Moysi ſcriptori antiquiſſimo fidem & auctoritatem conciliant ſummam, quoad res hiſtoricas ab eo litteris demandatas, ſed non fuit iſtud

(a) *Mem.* de l'Acad. des belles lettres.

iſtud conſilium & ſcopus ſcripturæ ab ipſo exaratæ. Ad altiorem finem cultus nimirum & religionis erga DEUM omnia pertinuerunt, quæcunque litteris conſignavit, præſertim autem ea, quæ ſpectant populum a DEO ſibi peculiariter electum & confœderatum: cujus non ſolum res conſcripſit, verum etiam teſtamenti facti mediator fuit; legis quidem illius lator, quam DEUS ut conditionem fœderis ſervandam voluerat, conductor ad promiſſam ex parte DEI terram Canaan. Uti vero in reliqui orbis hiſtoria rem a mundi incunabulis repetit; ita multo operoſius hoc ceu præcipuum ſcriptionis ſuæ argumentum pertractat, a prima vocatione ABRAHAM exorſus, quocum prima fœderis ſunt jacta fundamenta, eo a terra ſua exire juſſo, circumciſionis in ſignum fœderis onere impoſito, quo deinceps ejus poſteri filii ſemper ſunt uſi, ſingulari DEI protectione & affatu. Quæ ſecundum omnes circumſtantias enarrantur a MOYSE, & totam generationis electæ hiſtoriam conficiunt, ut, ſi vel unica circumſtantia a MOYSE conficta fuiſſet, tota hiſtoria labaſceret. Atqui hoc a MOYSE fieri haud magis potuiſſet, quam ſi nunc ſcriptor aliquis integræ nationis hiſtoriam texeret, penitus e cerebro excogitatam,

tur præſertim ex miraculis.

gitatam, obtrudereque eam geſtiret nationi illi tanquam omnia ſua, eaque ſingularia prorſus & divina privilegia, ſingularisque religionis formam continentem; qualem ſuis præſcripſit MOYSES, atque promiſſionum divinarum obtinendarum cauſa in promiſſa terra, eduxit ex Ægypto tanto prodigiorum apparatu, quæ ei impoſitam a ſupremo Numine miſſionem & auctoritatem aperte demonſtrant, quam de ſe MOYSES edixit, & pro cujus veritate ſtant quæcunque ſcripſit & geſſit ſumme miranda ſtupendaque: primum in eductione populi ex Ægypto renitente rege, tandemque poſt plura ad eum deterrendum facta portenta, occiſione omnium primogenitorum, exceptis Hebræis una nocte a propoſito revocato, ut jam libere populum dimitteret; at poſtea ductus pœnitentia perſequeretur, iterum magis adhuc deluſus, & cum integro exercitu ſuo in mari demerſus, quod paulo ante populus Iſraeliticus aquis murorum inſtar diviſis ac erectis ſtantibus pervaſerat ſecurus ac ſiccis pedibus, inde ad montem pergens, ubi legem reciperet terribili ſplendidiſſimo manifeſtiſſimoque modo per MOYSEN a monte allatam: miraculis deinceps ſemper accumulatis, & in columna nubis ac lucis

perpetuo

perpetuo ob oculos verſantibus, imo per eſum mannæ intimos ſenſus pervadentibus, ac veluti in ſuccum & ſanguinem converſis a ſexcentis hominum millibus, qui licet durius nonnunquam habiti, & diutius in eremo detenti, a terra tam ipſis deſiderata excluſi, tamen parent ſæpius quidem in murmur erumpentes, quin tamen unquam vim, quam facile etiam poſſent, exererent in duces ſuos, per integros quadraginta annos, in deſerto, ubi niſi divinitus vitæ neceſſaria quoad victum & veſtitum fuiſſent ſuppeditata, vitam certe traducere haud potuiſſent.

V. Exurgit hic præſertim SPINOSA, & quia pro DEO nil niſi naturam habet, exploſa vult omnia miracula hæc, cui ſuccenturiat HOBBESIUS, amboque omnia iſta pro ejusmodi eventibus habent, quorum veras cauſas naturales rudis populus ignorarit; ſacer vero ſcriptor eas omnes circumſtantias nobis haud patefecerit, ex quibus nos conjicere proceſſum naturæ convenientem in hiſce rebus valeremus. Quod quam frivolum ſit & inane illæ ipſæ circumſtantiæ, quæ de miris ejusmodi factis referuntur, luce clarius produnt. Quomodo enim columna conſtanter de die inſtar nubis, de nocte vero inſtar lucis eſſe, præ-

Quæ ab objectionibus vindicantur.

ſtianorum conſenſum omnium temporum faciendum manifeſtis argumentis foret, ut quid obtineretur ſecundum accuratas æquasque critices regulas. Agmen hic iterum SPINOSA ducit, quamvis plerasque, quas profert, leves conjecturas, ex R. ABEN-EZRA mutuet, quæ ipſæ hoc ad ſummum poſſent probare, non omnium omnino partium MOYSEN eſſe auctorem: quod ad rei momentum nihil confert, ad probandam religionis ac ſcriptorum Moſaicorum veritatem: quæ in ſalvo eſt, dummodo de bona fide conſcriptorum ſacrorum librorum conſtet, quæ quoad ſubſtantiam nihil mutationis tulerit; cum hinc & inde quandam adjici particulam in veteri teſtamento eo minus ſuſpectum ſit, quo donum inſpirationis fuit perennius, ut explicationis aut etiam continuationis cauſa quædam addi eadem divina auctoritate potuerint, qua primo libri ipſi ſunt conſcripti. Hac auctoritate ſcripſiſſe MOYSEN non uno loco in ipſius libris refertur, DEO ſingillatim præcipiente quædam, quæ litteris conſignaret. Quibus cum reliqua, quæ MOYSI attribuuntur, in orationis ſerie cohæreant, quin ea etiam conſcripſerit, ambigendi nulla cauſa eſt. Ut adeo res controverſa ad exiguas particulas recidat,

dat, quæ aut perſonam propriam, aut rerum appellationes, forte a MOYSIS ævo alienas ſpectant. Quæ etſi alteri manui tribuerentur, nihil referret, Quamquam, ut hoc in præſenti argumento fiat, nulla urget neceſſitas: cum aut a MOYSE divina inſpiratione, ac prophetico ſpiritu poni potuerint: atque ita comparata ſint pleraque, quæ ſine invidia dicere potuit: uti ſunt ea, quæ ad ſui commendationem referre videtur, aut ab ipſius tempore remota & poſteriora, vel quæ etiam veritati repugnare volunt: e.g. de regibus Edom, Iſraelis termino non adeo ſtricte ſumto, de Cananæis, & quæ ſunt alia ab aliis in lucem clariſſimam deducta, & tironibus in theologiæ prolegomenis explicari ſolita.

VII. Adhuc leviora ſunt, quæ ex hu- ana proferunt philoſophia, ſecundum am vellent ſeſe explicaſſe ſcriptores ros, dum de rerum naturalium creane & curſu agunt. Etiam cuperent ea ıcipia & phyſiologiam adoptatam, xplicatam in ſcripturis, quam iſti ns excogitarunt. Ægre ferunt ſeſe ılaribus notionibus perſuaſionibus- ıccommodaſſe in rerum natura: nec runt ſeipſos cum de ſummis rebus, ıo cumprimis Numine, ſermocir, ratiocinanturque, humano mo-

Et quæ deinceps divinitus geſta circa fœdus per MOYSEN pactum aſſeruntur.

iſtud pertinuerunt; eodem divino ſpiritu prophetis reliquis, quo eorum anteſignanus M o y s e s agitabatur, ſeſe ad M o y s e n referentibus in ſuis dictis ac geſtis, atque mutuo ſibi teſtimonium perenne reddentibus, evidentibus divinæ virtutis ſignis: ut ſi in uno hæc demonſtrata ſit virtus, ob mutuum neceſſariumque nexum, reliquis omnibus opituletur demonſtratio. Quo factum, ut omnibus temporibus, quibus miracula, & prophetiæ viguerunt, catena quædam aurea divinæ providentiæ obtinuiſſe recte dicatur: dum poſteriores Judæi viderunt ſuo tempore in arca M o y s i s, aut ei ſuperaddito templo mira fieri, aut a prophetis futura circa viciſſitudinem regni Judaici aliorumque regnorum & monarchiarum prædici (quod factum eſt nominibus etiam, & momento temporis ſæculorum & annorum complurium tractu ante deſignatis) ut tam bene quodvis horum factorum ad auctoritatem legis Moſaicæ confirmandam faceret, quam ad ipſius præſentis prophetæ aut ſtatus rationes & commoda: quandoquidem prophetæ plerique reſtaurationem cultus divini ſecundum legem M o y s i s collapſam præ oculis habuerunt; eidem vitam, fortunas omnes & emolumenta conſecrarunt;

runt; odia, perſecutiones, ac mortem ipſam pertulerunt: nihil aut potentiam principum timendo, aut popularem captando auram, pleni pietate & zelo, non ſolum integras priores legis ſcripturas vindicarunt, verum etiam ſuas magnam partem litteris conſignarunt.

A ſuppoſitione aut quavis corruptione libera.

VIII. Quod vel unum ſufficit ad extremum impiorum deſtruendum perfugium, quaſi poſteriore ævo aut corrupti ſint ſacri codices, aut penitus ſuis auctoribus ſuppoſiti. Præprimis hic auctoritate libri IV. Esdræ abutuntur multis fabulis ſcatente, atque aperta indicia præbente poſt CHRISTI demum tempora eum librum fuiſſe confictum: cum veri Esdræ libri altum de hac re teneant ſilentium, imo tam ſæpe populum a captivitate reducem ad obſervantiam, & religioſa officia ſecundum legem MOYSIS, ceu omnibus cognitam, & in omnium manibus verſantem, hortentur: neque unus Esdras, inter alios tot religioſos homines, Levitas præſertim & ſacerdotes, facinus hoc unquam ſuſcipere aut effectum ire potuiſſet: quando tot libros, quibus tunc canon conſtabat, legales & propheticos ſecundum diverſiſſimos genios, quibus conſtant, fingere debuiſſet, impoſtor ſane egregius & ſimul propheta, in illis certe

prophetiatum oraculis, quæ poſt ſua demum tempora ſunt completæ. Inanius adhuc eſt, quod de JOSIÆ temporibus in libris Regum relatum afferunt, ob librum legis in templo tunc repertum. Nec deſunt, qui fingere ſint auſi, HELCIÆ ſacerdotis fraude ibi fuiſſe ſuppoſitum, ſine vel leviſſima ſaltem conjectura & ratione, tantum ut impietati aliquid velificent; cum contra apertæ rationi conveniens ſit, eum codicem, autographum nimirum MOYSIS, repertum eſſe, quem ille in latere arcæ ponendum Deut. XXXI. 26. præcepit, unde diuturna ante JOSIAM populi infidelitate ac idololatria ſemotus ac deperditus facile eſſe potuit. At, ut penitus ex omnium manibus unquam tolleretur vel lex MOYSIS, vel alii quicunque ſacri libri, id fieri nullo pacto, arte, aut tempore potuit: cum ipſa lege MOYSIS, ac poſtea ſtatim libris JOSUE tam ſtudioſe & ſevere fuerit inculcatum, ut legem quam ſollicite maxime cuſtodirent. Et licet ſub judicibus per vices ab ejus obſervantia deſciverint, idolis ſervientes, tamen jugiter ad veterem obſervantiam legis redierunt, & in gratiam ac fœdus DEI ſunt recepti, quin unquam de perdita lege ſuppoſita aut corrupta mentio aut redargutio facta legatur. Deinceps

ſub

ſub regibus præſertim poſt diviſum regnum, ea jactura aut corruptio adhuc multo minus fieri potuit, reipublicæ ſtatu non ſolum in diverſos ordines prophetarum, Levitarum, ſapientum & vulgi partito, verum etiam ipſo inter ſe diviſo regno; quod licet poſtea ſaltem in regno Iſraelitico ceſſarit, tamen ſemper legis codices utrinque ſumma cura ſunt conſervati apud Judæos & Samaritanos, hodieque habentur litteris diverſi, ſubſtantia iidem. Hactenus vero cum ad chriſtianos æque abierint omnes veteris teſtamenti libri, fieri nunquam poterit aliqua aut ſuppoſitio aut depravatio ſingulari invigilante providentia, ne verbum, quod ex ore divino prodiit, ullo caſu, incuria, aut malitia hominum pereat, aut corrumpatur: cum alias id, quod bono noſtro ille ex ore dedit DEUS, nobis in deceptionem vergere poſſit, quod quam a divina bonitate & ſapientia ſit alienum, ſimul quivis intelliget, ſtatuetque, ſummam eſſe in DEUM blaſphemiam, hoc de providentiſſima DEI voluntate aſſerere. Per quam oſtenditur nec fieri quidem poſſe, ut in verbum divinum revelatum mutatio aliqua veniat aut depravatio apud eum cœtum, qui jugiter a DEO pro cultu veræ religionis præſtando conſervatur: cum is verbo

illo, ceu cibo humanum corpus, ſuſtentetur jugiter, cito, deſtitutus hoc cœleſti nutrimento, emarciturus. Fit autem per congruam hanc eſcam, ut licet particulæ ſubſtantiales per tempora & momenta mutentur, idem tamen ſemper ſubſiſtat corpus convenienti temperatione, idemque reputetur quoad actiones etiam ſuas. Atque ita eccleſia DEI a primis ſuis ad nos uſque incunabulis, partibus ejus licet mutatis, idem hodie quod alias ſemper præbet teſtimonium de commiſſo ſibi divino verbo, quo nutritur, licet in virilem per CHRISTUM conſtituta ætatem ſolidiorem cibum ſit nacta, idem tamen corpus perſeverat, & idem teſtimonium perhibet.

CAPUT XI.

Divinitas novi teſtamenti adverſus dubia & objectiones defenditur.

I.

De doctrina chriſtiana hic nulla eſt controverſia.

Vetus teſtamentum ab exceptionibus incredulorum vindicavimus; idem nunc circa novum eſt præſtandum: non quidem circa doctrinam in eo contentam & traditam, qui operoſioris diſcuſſionis eſt labor, hic non neceſſarius, niſi eatenus

tenus, ut conſtet nec in credendis, nec in agendis quidquam in religione chriſtiana præſcribi, quod ſanæ rationi ſit adverſum. Supra rationem autem eſſe multa, ratio myſteriorum flagitat, quibus ſe intellectus humanus ſubmittendi nullam difficultatem pati poteſt, ſi cogitet, hæc revelari de rebus naturæ ſphæram excedentibus, de quibus, haud evidenter perceptis, judicare ipſe ex lumine ſuo haud poſſit, aut debeat: dummodo in illis dogmatis, quæ lumine naturali etiam innoteſcunt, e. g. de DEO conditore ac proviſore rerum, nihil contrarium a ratione contineatur; in agendis autem ea præſcribantur, quæ circa officia DEO, nobis, & aliis debita recte congruant: quod manifeſtiſſime deprehenditur in chriſtianis placitis, de DEO amando ſuper omnia, proximo ſicut nos, virtutibus gloriæ divinæ, ſaluti propriæ, aliorumque commodis ſervientibus: difficultatibus, harum rerum exercitium impedientibus, per oblationem præſentis gratiæ, ac promiſſionem futuræ mercedis allevatis.

II. Difficultas ergo hic potiſſimum circa facta movetur, quæ in ſcripturis ſacris referuntur, atque ad prima religionis chriſtianæ fundamenta pertinent, quæ ſi labaſcant, reliqua corruant neceſſe eſt: ut

Solum de factis eſt quæſtio, quibus divinitatem veritatem.

que ſuam prodit chriſtiana religio.

ut ſi primi religionis conditores aut feſellerint, aut falſi ſint, error poſtea facile ſerpere potuerit, ſequentibus priorum veſtigiis incedentibus, nec valentibus ſucceſſu temporis examinare res a memoria longius remotas. Quod nobis jam examen eo difficilius eſſe contendunt, quo a primordiis chriſtianiſmi remotiores ſimus, atque illis credere debeamus, qui ad nos ſcripto & traditione hæc tranſmiſerunt; nullam autem capere factorum experientiam jam poſſimus aut evidentiam. Quæ ſi hic valent, concidit omnis hiſtorica fides, atque omnium earum rerum certitudo, quæ non ſolum a temporibus, ſed etiam oculis & ſenſibus noſtris remotæ ſunt, quas nonniſi teſtium depoſitione credimus. Nec unquam res fuit, quæ tanta teſtimoniorum copia & fide fuerit aſſerta, quam prima religionis chriſtianæ hiſtoria & acta; nec ulla res majore difficultate fingi aut obtrudi potuiſſet quam religio chriſtiana, quæ tamen toto adverſante orbe brevi univerſum occupavit, nihil impedientibus diris obſtaculis, præjudiciis, adverſariis; qui nihil intactum reliquerunt, quo infamare & expugnare res noſtras poſſent. Et licet pauca eorum operum ſuperſint, quæ primis temporibus, ubi adhuc evidenter conſtare de factis illis

potuit,

potuit, contra christianos ſunt edita, tamen objectiones omnes in libris illis ſunt conſervatæ ad hæc uſque tempora, quibus noſtram impetiverunt religionem: in quibus videre licet non eos rem hiſtoricam ſed dogmaticam aggreſſos fuiſſe, ut noſtris neceſſitas non incubuerit facta hæc multis aſtruendi in dubium haud revocata, & partim in adverſariorum etiam publicis monumentis conſignata, ut non ſemel noſtri huc provocarunt. Nobis vero eo minus circa ea omnia relinquitur dubium, quo majori periculo fortunarum omnium ac ipſius vitæ diſpendio pro harum rerum veritate ſteterunt primi illi oculati, aut certe non adeo remoti teſtes: qui in re tanti momenti, quæ negotium orbis tunc faciebat, nihil moliri potuiſſent, in qua falli aut fallere tam difficultatis quam periculi res plena fuit; ut ſi de ullo, ſenſibus præſentibus haud expoſito facto, nobis judicandi aliqua facultas ſit, de hac certe ſumma eſſe debeat.

III. Quæſtio omnis & ſuſpicio ad primos teſtes auctoreſque redit, qui res chriſtianas primi annunciarunt, deſcripſeruntque, primum prædicatione evangelii in univerſo orbe, alterum in ſcripturis. Igitur quæſtio eſt, an meras fabulas attulerint, & univerſo mundo perſua-

Deque fide & ſinceritate eorum, qui primi teſtes fuerunt.

ſuadere potuerint? Rem hanc atque auſum noſtris applicemus temporibus. Imaginemur nobis quosdam, qui excogitatis ſubtiliter placitis quibusdam ad extraordinarium aliquod vitæ genus totum orbem inducendum ſibi negotium ſumſerint & conſilium: cujus rei cauſa auctorem aliquem ſupra hominum genus elatum finxerint, de quo natales, vitæ genus, geſta omnis generis ac fata articulatim recenſeant; circumſtantias omnes temporis, loci, perſonarum &c. minutim referant, de rebus, quæ publice geſtæ ſunt, ſuntque facta inſignia, extraordinaria implicata rebus publicis: cujusmodi hic circumſtantiæ fuerunt, ſtatui orbis Romani tum rerum potientis, ac Judaici non amplius ſuis finibus recluſi, ſed per orbem ſparſi, ac poſtea penitus diſperſi. Quis hic cogitatione comprehendere ſuppoſitionem valeat, toto orbe ad rei novitatem concitato, atque totis viribus adverſante, & extrema quæque contra moliente? Et tamen nec unus quidem adverſarius hactenus productus eſt teſtis, qui tunc, cum hæc agerentur, ſcriberentur, prædicarentur undique terrarum, conficta diceret, ſaltem quæ ſpectant perſonam JESU *Nazareni* in Judæa vitam agentis, imperante TIBERIO diſcipulos congregantis, qui

doctri-

doctrinam ab eo acceptam propagarint, poſtquam is a præſide Romano impulſu Judæorum, eorum præſertim, quæ apud eos in auctoritate fuerunt principum, ſacerdotum, ſcribarum, ſectarumque ſapientiæ nomine clararum, eſſet morti traditus. Imo habemus aperta teſtimonia adverſarios omnes ipſosque infenſiſſimos hoſtes hæc & alia, ipſa etiam miracula haud penitus negaſſe, utique convictos. Et ſane impoſſibile fuiſſet ejusmodi, ceu in propatulo & in conſpectu omnium geſta, confinxiſſe, librosque, qui hæc geſta referrent & aſſeverarent, per orbem ſparſiſſe, ad mutandum vitæ genus, mores, religionem, totumque hominem: idque non uno aliquo commentario ſed pluribus, a pluribus auctoribus conſcriptis, ad integras ſocietates ac nationes datis: quorum ſcriptorum unumquodque eadem factorum capita, idem doctrinæ plane novæ & hactenus inauditæ, & ab hominum affectionibus moribusque alienæ complecteretur, ut tamen ipſa ſcripta aperta indicia & documenta præbeant, non ab uno & eodem auctore emanaſſe, aut, pluribus inter ſe colludentibus, conſarcinata decipiendi animo: cum nihil minus agant, quam ut inter ſe contuliſſe materiam ſtruemque ſcribendi, aliquid diſſimulaſſe,

aut

ſceptarum habebant, ut illi convinci poſſe putarentur falſorum factorum, apud quos geſta ea ſint, idque recenti adhuc memoria, eo tempore, quo res adhuc gerebatur. Fieri ergo imprimis non poterat, ut hominum ingens multitudo facta eſſe, recenter aut fieri ſe inſpicientibus ac teſtibus crederent, quæ falſa eſſent. Faſcinari aliquando poteſt unus alterve oculus, ut quæ non ſunt, eſſe, quæ non videt, videre ſe putet; integras autem nationes de integra factorum ſerie perſuadere velle, eaſdem falſitates pluribus annis continuis repetitionibus inculcare, in re, quæ omnium in ſe attentionem rapit: quæ, quod unice cordi eſt, & maximi intereſt, cultum religionis novum, arduum vitæ genus, ac generalem totius orbis converſionem poſt ſe trahit: qui id a ſe fieri potuiſſe primi evangelii præcones exiſtimari poſſunt? An ſimplicitate ſtupiditateque, an vero artificio & ingenii calliditate uſi? Neutrum hic proficere poterat, ut penitus incredulos conſtringamus, qui modo ſtultitiam, modo aſtutiam prætendunt principia mutantes, prout ad rem ſuam eſſe noſcunt. Quo ipſo non ſolum ſatis declarant, quam a ratione vera, & conſtanti, & veritatis ſtudio ſint alieni, verum etiam novis ſeſe involvunt

vunt

vunt difficultatibus. Aut enim callidi fuerunt ac veteratorii, aut ſtupidi & ipſi falſa perſuaſione ducti; aut fefellerunt, aut falſi ſunt. Primum dici non poteſt, ut res & facta proferrent tam illuſtria & omnium ſenſibus expoſita, oculos vidiſſe perſuaderent, quæ non viderunt; aures audiiſſe, quæ non audierunt; manus contrectaſſe, quæ non palparunt. Idque facerent nullo ſuo commodo, ſed præſenti periculo falſitatis detegendæ.

V. Non res narrabant, quæ diu ante, aut in remotis locis, aut coram paucis ſunt geſtæ teſtibus, qui aut obierunt, aut præſentes non ſunt, aut quorum nihil intereſt factane ſint, nec ne, quæ feruntur. Contra hæc omnia apoſtoli omnia implent ſuis prædicationibus, de rebus adhuc oculis obverſantibus, paucis annis, ac diebus, omnibus completis, illis ipſis in locis primum ubi acciderunt, coram illis, qui res eas ipſi vidiſſe debuerunt. Narrantur autem res inſignes, ſingulares, ſtupendæ, & ſumma miracula, infirmorum ſanitati, mortuorum vitæ reſtitutorum, qui ipſi adhuc vivebant, in illis locis degentes, quibus hæc denunciabantur. Narrantur res, quarum veritatem aut falſitatem retegere omnium intereſt, tam eorum apud quos iſta prædicantur, quorum re-

ligionis ac ſacri cultus formam novum inſtitutum antiquat, ad nova & difficilia præcepta & vitæ genus adigit, ſtatum omnem commovet, ſacrum mutat, profanum inquietat, maxime autem eos, apud quos & quibuscum acta omnia ſunt, conturbat & offendit, Judæos inquam, qui ut hoſtes veritatis, blaſphemi ac parricidii horrendi & inauditi rei aguntur, perpetrati in DEI Filio: pro quo habendus inducitur homo, in hominum exiſtimatione miſer, omnium eorum incommodorum accumulatione, quæ hanc vitam duram faciunt. Cui nativitas & parentes obſcuri, vita pauper & laborioſa, ærumnis, invidiæ & detractioni expoſita, finis denique vitæ acerbiſſimus, ac contumelia plenus. Quæ omnia pari fidelitate referunt verbis & ſcripto, quam ea, quæ magnificentiam illius ſpectant: ut ſatis prodant, ſe unam veritatem propoſitam habere, nihil attento, quod in animis audientium præjudicium poſſet enaſci, tam de ſe, quam de magiſtro; ea omnia etiam referentes, quæ in deteriorem partem trahi potuiſſent. Quod bonam eorum prodit fidem & ſimplicitatem ad fallendum minime factam aptamque, ut potius ipſis impoſitum fuiſſe exiſtimari poſſet, ſi ullus potuiſſet eſſe deceptioni & errori lo-

cus

cus in rebus tam manifeſtis, tam variis, ſecum per integram hiſtoriæ & geſtorum ſeriem nexis & admirandis, ut ratione omni ac ſenſibus privatos eſſe neceſſum fuiſſet, qui ea ſibi aut aliis perſuadere voluiſſent: nec prorſus fieri potuiſſet, ut in nullo unquam, inter tot ac tanta miracula, falſitas & præſtigiæ ſeſe prodidiſſent. Præſertim ſi apoſtoli ipſi decipi debuiſſent individui comites, & inſpectores rerum omnium, qui, quæ maxime attentionem merentur, miracula & prodigia, uti a magiſtro promiſſum acceperunt, eadem & majora etiam perpetrarunt, in ſe experti Spiritu ſancto recepto, quod ipſi de CHRISTO aliis deprædicabant: eademque dona illis conferebant, quos in ſuas partes traxerant, tanto numero, & tam ſubita converſione, ut plura ſæpe uno die chriſtianæ religioni aggregarentur millia, ex illis, qui paulo ante adverſarii ſummi fuerant: quos mente captos ſubito aſſerendum foret, niſi divinum opus, & mutatio dextræ excelſi hæc foret, atque prorſus convincentia huc induxiſſent argumenta, & rationes.

Spectata præſertim ſorte & conditione primorum te-

VI. Ita quidem nec decipere nec decipi potuiſſe, a quibus primum evangelium eſt denunciatum & receptum, ſatis luculenter patet; quod ad veritatem religio-

ſtium auctorumque propagatæ religionis.

ligionis chriſtianæ omnino eſt ſatis, cum in bona aut mala fide eorum, qui conditores fuerunt chriſtianiſmi, rei totum pendeat momentum. At non minus certum & demonſtratum eſt, nec, ſi potuiſſent decipere, id facere voluiſſe, aut velle potuiſſe. Hoc omnino præſumendum eſt de illis, quos qui fraudis & fallaciæ accuſaret vel levi ſuſpicione & fundamento, hactenus ex infenſiſſimis hoſtibus, qui nunquam defuerunt primis potiſſimum temporibus, repertus ſit nemo. Nec potuerit famæ eorum labis aliquid aut dedecoris affingi hactenus ab ullo, quin ea caſtiſſima morum diſciplina & ſanctitate, qua alios inſtituerunt, ipſi exemplo præierint. Qui haud minus dederunt ingenui animi & ſinceritatis ſpecimina omnino præſtantiſſima maxime in ſcriptis ſuis, de ſeipſis & aliis nævos minime tacendo. Neque etiam gloriæ & utilitatis gratia, quibus ad illuſtria facinora deſignanda ſolent homines provocari, hæc ab ipſis ſuſcepta videri queant: quos conſtat illis rebus omnibus fuiſſe privatos, quæ voluptati aut ambitioni humanæ grata ſunt: imo his omnibus adverſa, & ſponte elegiſſe conſectatosque fuiſſe, & illata libenter ac fortiter pertuliſſe noſcuntur. Non ſibi gloriam quærebant DEI operi

&

& CHRISTI unice intenti, ejusque inſiſtentes veſtigiis in egeſtate ſumma & opprobrio vixerunt, ſolam paupertatem ingentem & unicum reputando theſaurum. Quam etiam res ſtupendas & prodigia ediderunt, non ſibi id, ſed unice magiſtro adſcribebant; ſibi unice gloriæ deputantes ejus poſſe dici ſervos, & pro illius nomine ac fide propaganda orbem omnem prædicando peragrare, non potentiam aut divitias, ſed converſionem hominum, & ſalutem eorum quærendo, a quibus affligebantur, ſuppliciis ac morti ipſi deſtinati, quæ non inſperata ipſis veniebant, ſed a magiſtro prædicta erant: non inviti patiebantur aut refugientes, ſed ipſi periculis obviam ibant omnibus, nullam ſibi requiem concedentes, vitam in lacrymis & laboribus transegerunt, terminarunt diris ſuppliciis ac morte acerbiſſima, atque hæc omnia in teſtimonium earum rerum, atque evangelii, quod annunciabant, quod viderant oculis, quod ſpectarant & contrectarunt manibus de verbo vitæ (*a*). Idque tanta conſtantia, ut nullis cruciatibus, vel unus inter tot, nullo mortis genere ad retractationem a ſe dictorum adduci unquam potuerit. Quis non mente & ſenſibus omnibus captum exiſtimaret,

(a) Jo. XXI. 24. 2. Pet. I. 16.

qui nulla ſpe aut commodo inductus ſeſe ac vitam omnem atrociſſimis tormentis exponeret? Quæ unquam veritas tantis eſt aſſerta, tam fortibus teſtibus? Quid verum haberi poteſt, ſi hæc ita firmata in dubium revocentur? Quotidie cernimus tormentorum vi latentiſſima crimina detegi ac extorqueri. Quei fieri potuiſſent, ut tot inter impoſtores toties tortos, ſuppliciis omnibus mactatos, nullus unquam ad impoſturam detegendam confitendamque fuiſſet inductus, ex omnis generis & conditionis hominibus, illis autem præcipue, qui ob ſimplicitatem & ruditatem ad ejusmodi verſutias minime ſunt capaces & accommodati? Qui interim vitam ſuam inter has omnes acerbitates in exercitio jugi ſublimium & admirandarum virtutum tranſigunt, præſertim charitatis in DEUM & proximum, etiam inimicum: pro malis bona retribuentes, omnia aliorum, nihil ſuis commodis deferentes, mala fortiſſimo perferentes animo & libenti ob ſpem futuræ vitæ, quæ unica cauſa virtutum, laborum & tolerantiæ eorum.

Quibus etiam ſupponi ſcripta & doctrina ab aliis haud potuiſſent.

VII. Quod ſi fraudis & ſuppoſitionis culpa in eos refundenda cenſeatur, qui CHRISTI & apoſtolorum nomine tanquam rem bellam inſtar poetarum confinxerint, ex quorum ſcriptorum quidem genere,

natæ, ut nihil diſſimulemus, ingens cir- ſucceden-
cumfertur multitudo, non ſolum extra- ti ævo
nearum materiarum, verum etiam ad aut cor-
hunc ipſum cenſum pertinentium evan- rumpi.
geliorum, & actorum, aliorumque codicum apocryphorum tam veteris, quam novi teſtamenti: proferenda eſt in medium, vel una conjecturæ hujus, ac ſuppoſitionis ratio juxta accuratæ criticæ regulas, quibus genuina a ſpuriis dijudicantur opera. An aliquid referatur uſibus, moribus, ſtatui politico, & ſacro, hiſtoriæ eorum temporum illuſtriſſimorum, ſub florentiſſimo imperatorum Romanorum imperio, rerumque Judaicarum, quoad leges, cæremonias, politiam, magiſtratum tum ſacrum, cum profanum, opiniones, conſuetudines, ſectas Judæorum, aliunde nobis innoteſcentes: quoad computationem temporum, aut locorum ſitum, quorum frequens fit mentio præſertim regionum, ac urbium celeberrimarum, apud quas, ſeu ad quas ſcriptis omnia iſta ſunt exarata, epiſtolis e. g. S. PAULI ad Romanos, Corinthios, Epheſios &c. quarum autographa ſollicite conſervabant urbium earum eccleſiæ, eaque producebant primis adhuc temporibus contra eas ipſas fraudes, quas hic imputant, nimirum adverſus conficta ab hæreticis ſub

nominibus apoſtolorum ſcripta. *Percurre*, inquit (*a*) TERTULLIANUS, *ecclesias apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur.* Qua arte fieri potuiſſet, ut tot in locis celeberrimis, in quibus commercia, politia, artes & ſcientiæ homines maxime perpoliarant, communis ſuſciperetur perſuaſio, ſcriptas ſibi eſſe epiſtolas, atque alias allatas eſſe ſcripturas, ac fidem annunciatam, eccleſias fundatas peregrinæ ante incognitæ religionis: ſi hæc aliter ſe habuiſſent, quomodo ad cultum hominis vulgaris contumelioſa morte affecti inducti fuiſſent? Quomodo epiſtolas ſibi & ſcripta obtrudi ſiviſſent, atque perſuaderi eas ad ſe datas, ſuis in manibus ac cuſtodia jam antea conſervatas fuiſſe, ut nunquam alicui tot in eccleſiis fraudis notitia patuerit? *Ecquid*, dicere cum laudato (*b*) TERTULLIANO licet, *veriſimile eſt, ut tot ac tantæ in unam fidem erraverint? Nullus inter multos eventus unus eſt. Exitus variaſſe debuerat error doctrinæ eccleſiarum.* Hoc indicio manifeſtiſſimo ſpuriæ a genuinis primis temporibus diſcerne-

(*a*) De Præſcript. c. 36.
(*b*) Ibid. c. 28.

nebantur ſcripturæ ab hæreticis confictæ, quas nobis in exemplum objiciunt, cauſæ noſtræ potius patrocinio quam damno. Poſſumus enim ad veterum examen provocare, & convincere incredulos accurata veteris eccleſiæ cura & vigilantia; qua factum eſt, ut licet de omnibus ſcripturis non penitus apud omnes idem teneretur eccleſias, nulla tamen unquam in catalogum ſacrorum ſcriptorum fuerit relata, quæ poſtea ut apocrypha fuerit deprehenſa; ſed omnia tanquam apoſtolis recentiora repudiata in prima ſua origine: cum vera & genuina ſcripta antiquitate atque traditione perpetua ab apoſtolis in eccleſiis ab illis fundatis conſervata, & poſteris relicta fuerint quotidiano uſu, eoque publico in ſacris, & privato domeſtico trita, atque in omnium manibus verſata paſtorum præſertim & doctorum; qui ea, fidelibus expoſuerunt, in ſcriptis frequenter citaverunt, ut de tempore ad tempus non interrupto traditionis filo ad nos uſque integra pervenerint nullo authentiæ dubio relicto, ut omnis potius antiquitatis & hiſtoriæ fides, quam hæc corruere & ſuſpecta eſſe debeat.

VIII. Eadem argumenta valent, ſi increduli per partes ſaltem corruptas ſcri- Summa cautione & religio-

pturas

CAPUT XII.

Motiva credibilitatis pro veritate religionis chriſtianæ.

I.

Motiva credibilitatis maximum pondus pro veritate religionis chriſtianæ addunt.

Demonſtratio religionis chriſtianæ ex motivis credibilitatis arctiſſime cum oſtenſione veritatis, divinitatisque ſacræ ſcripturæ connexa eſt, eo ſolum capite diſcreta, quod aliquando religio vera, quamvis non ſine revelatione, tamen ſine ſcriptura fuerit, nec omnes veritates revelatæ ſcriptis emanarint; nihilominus idem illæ robur ac firmitatem ex motivis credibilitatis apud verum cœtum religioſum, aut ejus fundatores reperiundis habeant. Quoniam igitur prior tractatio ad hanc revocatur, pleraque huc diſtulimus tanquam ad principaliorem locum.

De veritate religionis chriſtianæ olim ac hodie contra infideles plurimi egerunt.

II. De veritate, illiusque, præ aliis omnibus religionum formis, non ſolum præſtantia, ſed etiam ſecura ad felicitatem via, ex antiquis & recentioribus multi præſtantiſſimi ſanctiſſimique viri egerunt. Primis ſæculis hujus tractationis neceſſitatem Judæi, ac præprimis gentiles fecerunt: hinc inſignes illi labores

JUSTI-

JUSTINI M. ATHENAGORÆ, ORIGENIS, TERTULLIANI, MINUTII, FELICIS, EUSEBII, aliorumque. Noſtris temporibus copia Atheiſtarum, Deiſtarum, Naturaliſtarum, Indifferentiſtarum eandem neceſſitatem induxit: ut tamen potius religionis univerſim, quam chriſtianæ, demonſtratio hodie facienda ſit, omnibus fatentibus fere, ſi aliqua religio ſit ſuſcipienda, optionem præ aliis chriſtianæ deberi: ſed plerumque ſcepticiſmo abripiuntur ſuperba ingenia, intellectumque captivare in obſequium fidei detrectant, & nunquam magis a vera ratione aberrant, quam dum ſibi maxime ſapere videntur. Quodſi enim ſemel verum lumen tali Pyrrhoniſtæ affulgeret, caneret cum celebri illo poeta chriſtiano PAULINO, ſive ANTONIO: (a)

Hæc ego cuncta prius clarum cum lumen adeptus,
Atque diu incertam, & tot tempeſtatibus actam
...cta ſalutari ſuſcepit eccleſia portu,
...ſque vagos fluctus tranquilla ſede locavit,
... mihi jam liceat, deterſa nube malorum
...mpore promiſſo lucem ſperare ſerenam.

...rſpiciendo etiam præ omnibus aliis re...ionis ſocietatibus in chriſtiana religione

(a) Carmine contra gentes apud MURATORIUM.

ne ac revelatione dubia & tenebras in natura detegi, officia & obligationes naturales firmari, viam reconciliationis cum DEO oſtendi, humilitate ac fiducia nos inſtrui, pacatos & quietos in hac vita reddi, ſtatumque alterius vitæ præſtantiſſimum declarari cum ſummis de DEO diviniſque rebus myſteriis: hæc, inquam, omnia perſpiciendo cum eodem canerent:

Diſcuſſi fateor, ſectas Antonius omnes,
Plurima quæſivi, per ſingula quæque cucurri,
Sed nihil inveni melius quam credere Chriſto.

Si præſertim motiva illa credibilitatis ſecum reputarent, de quibus modo breviter agere nobis propoſitum eſt: miracula nimirum primorum hujus religionis auctorum, impletionem prophetiarum, mirabilem progreſſum evangelii, præſertim inter medias perſecutiones, tormenta ac mortes. Ubi perſpicitur populorum ſubjectio, humanæ rationis confuſio, ſtultitia crucis triumphantis in ſapientiam ſæculi &c.

Miracula Chriſti etiam ab hoſtibus agnita, ac apertiſſima pro *chriſtiana*

III. Ut vero ordine quædam de miris ejuſmodi effectibus in chriſtiana religione conſpicuis dicam, a miraculis proprie ſic dictis incipiam, quamvis inter res miras reliqua etiam a nobis afferenda collocentur, oporteat. Ejuſmodi mira-

miracula, quin in quorum gratiam fiunt; eorum doctrinam confirment, ac miſſionem a DEO oſtendant, dubitandum non eſt: dummodo probetur, ea nec præſtigias fuiſſe, nec aliunde quam a DEO provenire, nec eſſe effectus purè naturales. Nullum vero horum de CHRISTI miraculis aſſeri poteſt. Effectus enim pure naturales non fuiſſe, ipſi jurati CHRISTI hoſtes Judæi fatentur, dum hæc Beelzebub principi dæmoniorum tribuunt, agnoſcuntque CHRISTUM multa ſigna facere. Neque alii deinceps hoſtes CHRISTI, CELSUS e. c. & JULIANUS auſi ſunt negare omnia CHRISTI miracula: hinc conati ſunt ſuorum etiam miracula, præſertim APOLLONII obtrudere. Sed noſtri evidenter latentes ibi præſtigias oſtenderunt, demonſtrarunt autem in miraculis CHRISTI nullis hujusmodi artibus & aſtui dæmonis locum fuiſſe: per artem enim occultam facta, nullus unquam dicere auſus fuit, neque vero graviſſimorum, & chronicorum morborum ſubita curatio, imo a mortuis reſuſcitatio, arte aliqua humana fieri poſſunt; nec fraus intercedere potuit, cum ejusmodi revocationes ad vitam factæ fuerint jam tumulato corpore, aut ad tumulum delato, aut omnibus de vera morte perſuaſis; ita ut

religione invictum argumentum.

populus CHRISTUM derideret, dum filiam NAIRI dormire ſolum videbatur aſſerere. Reliqua miracula geſta ſunt plerumque inſpectante populo, invidioſeque opera CHRISTI obſervante. Publice etiam curati, aliaque miracula experti, teſtimonium præbebant. Sicut QUADRATUS, dum ÆLIO ADRIANO pro chriſtianis apologiam obtulit de ſua adhuc ætate teſtatur apud EUSEBIUM. *Quæ*, ibi inquit, *præſtabat opera Salvator, ſemper erant conſpicua* (τοῦ δὲ Σωτῆρος τὰ ἔργα ἀεὶ παρῆν· ἀληθῆ γὰρ ἦν) *a præſtigiis enim longe aberant, & a morbis curari, & a mortuis homines excitari non vidimus duntaxat, ſed & ipſi a mortuis excitati perſtitere vivi: nec modo Salvatore in terris adhuc peregrinante viſi, ſed illo etiam in cælos abeunte ſuperfuere diutius, adeo ut eorum quidam noſtra etiam tempora attigerant.* Similia ARISTIDES ad ADRIANUM retuliſſe fertur. Eadem miracula nec a maligno ſpiritu provenire potuiſſe invicte probavit contra Judæos ipſe CHRISTUS, & patet evidenter, quod ea præjudicio erant dæmonibus, a quorum cultu religio chriſtiana abſtrahit, & unus DEI cultus reſtituitur, damnatis magicis artibus, & acciſa dæmonum poteſtate: agnoſcentibus, & frementibus eorum cultoribus ethnicis, illiusque nomine

mine uſque ad hodiernum diem illi e corporibus hominum pelluntur; qualem perſeverantem ſui deſpectum neutiquam ferret, aut ſimularet malignus ille ſpiritus ac ſuperbus. Quare dicendum, a bono Spiritu, a DEO ea provenire, nec diffiteri potuerunt Talmudiſtæ, eam vim ſubreptæ a CHRISTO divinæ poteſtati per ſchemhamphoras tribuentes, nec MAHOMED negavit. Dum vero DEUS ea ſine cauſa non facit, ſed tunc quando ſingulariter hominum attentionem vult excitare, & ad aliquid inſuetum deſtinare, perhibent ea invictum pro chriſtiana doctrina argumentum: unde etiam multi Judæi tenaces legis Moſaicæ in CHRISTUM tamen credebant, cujusmodi fuere Nazaræi, & Ebionitæ: & noſtris temporibus SPINOSA agnovit, ſi ſibi poſſet perſuadere LAZARI reſuſcitationem, ſe haud ægre fore chriſtianum. Certe DEUS non quidem tam LAZARI, ſed CHRISTI reſurrectionem pro evidenti chriſtianæ religionis ſigno conſtituit, unde etiam tot hominum teſtimonio eam aſſeruit, qui in re patente ſenſibus falli ad unum omnes haud potuerunt, neque ex compoſito fallere voluiſſe exiſtimari poſſunt, ut occultum conſilium inter tot ſimplices, etiam mulieres non proderetur, obſer-

 van-

vantibus & ſignantibus tanto ſtudio ſepulchrum CHRISTI ejus inimicis.

Vaticinia completa nexum V. & N. Teſtamenti, atque utriusque veritatem demonſtrant.

IV. Accedit proxime aliud non minus divinum ſignum, ac nota a vaticiniis & prædictionibus futurarum rerum contingentium, quæ ſane prænoſcere humanum intellectum tranſcendit, & ſolius ſupremi Numinis eſt. Ex iſtis autem prædictionibus tam in veteris quam novi fœderis paginis, vinculum etiam illud & nexus, quod religionem Judaicam antiquam & chriſtianam intercedit, patet, ut quæ non ſolum teſtimonium ſibi mutuo ferant, ac iisdem motivis credibilitatis ſe probent, ſed etiam fata propria longe ante prædicant: ſicuti antiqui teſtamenti prophetæ minime reticuerunt rejectionem antiqui, & conſtitutionem novi teſtamenti. Et quoniam eorum prædictiones in aliquibus apertiores exiſtunt, eventumque certum ſunt conſecutæ, de reliquarum fide nullus ambigendi locus eſt, præſertim apud eos, qui fidem divinam in prophetis agnoſcunt, Judæos intelligo. Quamvis tanta ſit harum prophetiarum copia & varietas, ut nemo ſanus earum fide non moveatur (a). Nihil conſultius ſit, quam ipſos

(a) *Infinita ſane*, ut EUSEBII verbis utar, *aliaque omnia varia*, & *de omnibus communibus pariter & particularibus*, *quaque*

ipſos ſacros codices conſulere, ac prophetas legere, attentione habita inſigniorum, præprimis prophetiarum de Hierichuntis e. g. inſtauratore, de CYRO, de Hieroſolymorum & Tyri excidio, de imperatorum in Perſica, Græcaque monarchia ſucceſſione in libris V. Teſt. ac maxime in DANIELE. Nos poſtea diſcutiemus, quæ ad rem noſtram propius faciunt; quæque tam perſpicua ſunt, ut vel ipſe JULIANUS infenſiſſimus chriſtianæ religionis hoſtis non aliter eludere potuerit, quam aſſerendo poſt eventum primum, quæ DANIELI tribuuntur eſſe ſcripta. Ea vero præcipue ſunt notanda vaticinia, quæ chriſtianam religionem ſpectant, cujusmodi non minus in novo, quam veteri teſtamento plurima extant, imo dicere licet ad CHRISTUM, ab eoque fundatam eccleſiam omnes pertinere prophetias. Ante exor-

jam ſingulos ſpectarent homines jam integras univerſitates, proprieque de rebus Hebræorum; atque ſimiliter de externis gentibus, ut ſunt everſiones urbium, temporum mutationes, rerum viciſſitudines, ad futurorumque bonorum præſentiam, & contraria immitenda mala, ut gentium ſubjugationes, ac ſervitutem, urbium obſidiones, integrorum regnorum everſiones vel inſtaurationes, atque alia infinita longis poſt temporibus eventura prænunciavere. In proœmio nuper primum ex Walachia allato ac edito.

tam chriſtianam etiam religionem non Judaicos ſolum prophetas huc collimare conſtat, ſed cum Messiæ liberatoris adventus & exſpectatio omnes omnino homines quam maxime attineat, nec ſpes aliqua ſalutis eſſe potuerit absque ejus notitia, factum eſt divina providentia, ut extincta fere Salvatoris memoria, etiam a vatibus ſubinde excitaretur, cujusmodi plures Sybillæ numerantur, quamvis eorum carmina genuina ætatem non tulerint, de illis tamen in ſcriptoribus etiam gentilibus ſervatæ ſunt reliquiæ. Uti apud Virgilium, quidquid aliqui contradicant, Cumæi carminis vaticinium pertinere ſum perſuaſus ad tunc temporis adventurum Salvatorem, cujus rei fama tum erat celebris: *Pluribus*, ut atteſtatur Tacitus, *perſuaſio inerat, antiquis ſacerdotum libris contineri eo ipſo tempore fore, ut valeſceret oriens, profectique Judæa rerum potirentur.* Et Suetonius: *Percrebuerat oriente toto vetus & conſtans opinio, eſſe in fatis, ut Judæa profecti rerum potirentur.* Mirum vero haud eſt, hos vaticinia hujusmodi ſuis moribus & notionibus de terreno principatu accommodaſſe, haud ſecus ac Judæi, in quorum libris ac prophetis tota Christi vita, ac

fata

fata tum ſua, tum eccleſiæ ſunt prænunciata (a). a.

V. Quoniam igitur huc prophetiæ ſpectarunt, qua ratione per CHRISTUM regnum aliquod cœleſte in terris inſtrueretur, nihil admirabilius, quam ut CHRISTI tempore omnia ad hoc altum DEI implendum conſilium fuerint apta & diſpoſita, DEO etiam regnorum fata dirigente ad opus iſtud magnum: ſuccubuerant reliqua, & convenerant in Romano imperio, id quod pacem in u-

Maximum veritatis chriſtianæ mundi principiis tam adverſæ argumentum ejus mirabilis propagatio.

K 5 niverſo

(a) *Edixerunt nimirum prophetæ*, ſunt verba EUSEBII, *fore, ut nominatim Chriſtus, idemque verbum DEI, ipſeque DEUS, ac Dominus, & magnus quidam angelus conſilii inter homines verſaturus eſſet univerſo orbi, gentium Græcarum pariter & Barbararum futurus doctor veræ cognitionis DEI, & pietatis in DEUM, univerſi opificem, ſicut evangelicum profitetur præconium, illumque ipſum futurum puerum, filiumque hominis vocatum iri, ut qui genus ab hominibus ducturus ſit, naſciturumque ex Virgine nova quadam atque inuſitata generationis ratione. Et quidem, quod maxime dignum eſt admiratione, nec locum nativitatis ejus Bethlehem . . . ſilentio involventes prætererunt . . . ſicut etiam tempus adventus ejus & apparitionis, iisdem veluti rebus præmonſtrantes divino ore nunciavere &c.* Adi ipſum EUSEBIUM omnia per longum enarrantem de CHRISTO vaticinia. Demonſt. Evang. L. I. c. I. apud FABRICIUM.

niverſo orbe ſub AUGUSTO conciliarat. Quæ pax gentiles ad reſtituenda aurea ab oraculis prænunciata tempora, Judæos ad ſuſcipiendum MESSIAM a prophetis promiſſum præpararet, ſceptro ſuo etiam per Romanos toti orbi dominantes ablato. Adeſt CHRISTUS pauper & humilis, ac aliquos ſimplices ſibi primum adjungit diſcipulos, jubens pauciſſimis verbis ut ſe ſequerentur: cumque aliqui verbis illius offenſi iterum diſcederent, tantum abeſt, ut ſtudium & affectum proderet factionem ſibi conciliandi, ut ad reliquos converſus diceret: *Numquid & vos vultis abire?* Quei accidere ſine divino conſilio potuiſſet, ut totus ſic poſt eum abiret mundus? Equidem PORPHYRIUS & JULIANUS arguunt vel imperitiam hiſtorici mentientis, vel ſtultitiam eorum, qui ſtatim ſecuti ſint Salvatorem, quaſi irrationabiliter quemlibet vocantem hominem ſint
a. ſecuti; ut memorat D. HIERONYMUS (*a*). Sed edicant, qua ratione ſtulti iſti eo tempore, quo philoſophia, humanaque ſapientia tam alte aſcenderat; potuerint officium novæ doctrinæ in toto orbe propagandum ſuſcipere, & tam
b. ſtrenue proſequi (*b*)? Quomodo piſcato-

(*a*) In Matth. L. I. c. 9.

(*b*) *Quis non*, loquor cum EUSEBIO, *divi-*

ſcatores ſine experientia tantum auſi fuerint, ut novam peregrinam, & ſapientiæ hujus mundi inimicam ſuis inimicis & perſecutoribus perſuadere ſibi ſumerent religionem, religioni omnium nationum oppoſitam, philoſophis omnibus contranitentem, rationi ſimplicium imperceptibilem, ſublimiſſimæ etiam ſapientiæ & perſpicaciæ, cum omnium autem præjudiciis ex adverſo pugnantem? Quomodo illi evertere conari potuiſſent omnes religiones, ad ſilentium revocare omnes ſapientes, vincere oppoſitiones intellectus humani, ac mutare præoccupantes mentem opiniones. Auſi ergo fuiſſent homines viles & impotentes, quod maxima principum ac tyrannorum potentia fruſtra tentaret, nulla humana ſagacitas ſuſciperet? Quodſi noſtris

num illorum virorum ſpiritum admiretur. quis non diſciplinam & dogmata religionis ipſorum, & philoſophiæ fateatur genuina & veriſſima eſſe, ſiquidem demonſtrationem præſeferunt, non quidem comtis atque ornatis verbis, neque vi dicendi, aut perverſi artificii argumentationibus ad decipiendum comparatis, ſed ſimplici & remoto a fraude doctrinæ genere, cujus genuinæ, ſinceræque veritati fidem facit virtus, & cognitio Numinis, quæ in divinis illis viris fuit. Demonſtrat. Evangel. L. I. c. 1. Quod quidem Eusebius de Prophetis dicit, ſed multo magis ad apoſtolos referri *poteſt.*

noſtris temporibus tales homines exurgerent, qui conarentur contrariam ejusmodi ſenſibus & opinionibus obtrudere ſectam, quam iſti deriſui ſe exponerent? Atqui hoc præſtiterunt apoſtoli, atque ad noſtra uſque tempora præſtant præcones evangelii apud quasvis gentes, novum hodie præcipue orbem, nullis inducti commodis aut utilitatibus, quin in tormenta ac mortem irruentes: neque ut perſuadeant ſuam doctrinam, ea docent, quæ placent palatui & affectui humano, quibus poſſint benevolentiam eorum conciliare, quos tanto ſtudio & labore ad ſuam doctrinam inflectere laborant, nulli parcentes operæ, itineri etiam in remotiſſimas regiones ſe dantes, ac totum peragrantes orbem.

Sine humanis auxiliis, imo medias inter perſecutiones morte ſua ingenti numero hominum veritatem ceu obſignantium.

VI. Poſt hæc omnia in favorem religionis chriſtianæ tam proſpero ſucceſſu facta Justinus, Irenæus, Origenes, Tertullianus, Arnobius non poſſunt ſatis admirari ac deprædicare proſperum evangelii curſum, ejusque ampliſſimum apud omnes gentes ſemen. Eusebio in hiſtoria eccleſiaſtica conſilium fuit, ut propagatæ chriſtianæ religionis inter medias perſecutiones per orbem terrarum texeret hiſtoriam. Idem noſtris temporibus egerunt alii, qui ſingularibus operibus admi-

admirabilem chriſtianorum ſacrorum per totum orbem propagationem expoſuerunt. Quæ certe ſine ingenti miraculo fieri haud potuit, ut homines deſtituti auctoritate, artibus & opibus, omni denique potentia privati, quin imo principibus & poteſtatibus ſeſe totis viribus opponentibus, potuerint humanis mentibus perſuadere doctrinam tam extraneam & ingratam. Cujus propagationis curſum tantum abeſt, ut molitiones & conſilia atrociſſimis perſecutionibus ſiſtere potuerint, ut potius hinc augmentum ſumſerit, prout jam olim Tertullianus potuit ipſis inimicis, ac perſecutoribus in faciem exprobrare. Quodque omnium admirabiliſſimum, iſta propagatio facta inter ipſos inimicos & perſecutores, ut hi etiam ceſſerint, & ſeſe tradiderint ſectæ, quam maxime oderunt, & exciſam penitus petebant; cum cernerent invictam martyrum conſtantiam pro hac religione alacriter tormenta omnia & mortem oppetentium, ſicque ſanguine ſuo veritatem obſignantium, qui fidem, ſi qui ulli, merentur teſtes, ſanguinem pro veritate cum vita profundentes: quæ fortitudo invicta, ut eſt veritatis invictum argumentum, ita divinum, non humanum opus, cum non ſolum apoſtoli, iique qui operum

mira-

mirabilium CHRISTI teſtes extiterunt, ſed etiam quibus ſolum per famam, & fidem de eo conſtitit, vitam ac ſanguinem ita profuderint. Judæi quidem, qui CHRISTUM ejusque miracula perſpexerunt divina vindicta, uti de illis prædictum erat, ſurdi & cæci ad hæc omnia erant, quamvis per legem & prophetas præparati: gentiles autem, qui nullum exſpectabant Meſſiam, nihil de lege & prophetis inaudierant, nec CHRISTUM ejusque opera viderant: nihilominus pro eo vitam ſuam exponunt, & ſanguinem; & ex perſecutoribus fiunt acerrimi defenſores, nullis minis, tormentis, aut aliis artibus a propoſito dimovendi; & ſapientiſſimi quique huic ſe dedunt dogmati, uti patet ex ſummis philoſophis, ac maximis viris DIONYSIO Areopagita, CLEMENTE Romano & ALEXANDRINO, JUSTINO, ATHENAGORA, CYPRIANO, ac innumeris aliis. Et quamvis ex philoſophis gentilibus hoſtes haberet maximos religio chriſtiana, qui omnes ingenii & induſtriæ vires ad eam deprimendam impenderent, atque infernales portæ etiam in ipſa eccleſia adverſarios hæreticos ſuſcitarent, aliaque magna ſe proderent ſcandala; nihil tamen horum illius propagationi celeri obicem ponere potuit.

CAP. XIII.

CAPUT XIII.

nſtratio religionis chriſtianæ ſin- gulariter ex prophetiis veteris teſtamenti.

I.

e nunc generatim de argumentis Omnia
ævidentibus ad demonſtrandam re- ante Chri-
is chriſtianæ veritatem, ſeu motivis ſtum ad
ilitatis diximus, ſingillatim ſunt, eum per-
ıi exigentia, in qua cardo vertitur, tinuerunt.
anda. Quam nimirum jam olim
ı CELSUM ORIGENES diſcipli-
lemonſtrationis propriam religio-
riſtianæ, atque apoſtolus I.Cor. II.
emonſtrationem ſpiritus & virtutis
: *Utpote,* ſunt verba ORIGENIS (*a*),
per prophetias fidem aſtruente iis,
e CHRISTO feruntur, virtute vero
odigia, quæ facta credimus, tum ar-
tis aliis, tum quia ſuperſunt nunc
veſtigia duntaxat apud eos, qui vi-
juxta voluntatem ipſius. Ab illis
nur, quæ repetuntur ab anteriori-
CHRISTI adventu temporibus. In
ſtimonium ac demonſtratio eſt eo
or, quod ab ipſis repetatur adver-
ſariis,

(*a*) L. I. contra CELSUM.

ſtariis, qui viciſſim nobis ac mutuo perhibent teſtimonium, gentiles & Judæi: gentiles rerum hiſtoria & veritate agnita in illis rebus, quæ manifeſtiſſima de CHRISTO attinent vaticinia. Sed his fidem detrahunt, poſteriora eventis dictitantes, Judæi hic cauſam noſtram agunt, falſitate calumniæ de prophetarum ſuppoſitione prodita. Et ſane neceſſum foret, totum ad fabulas referre vetus teſtamentum: geſtaque & religio, ſeu verus DEI cultus exſibilandus omnis, qui totus ſeſe ad CHRISTUM referebat, tanquam objectum ſpei, & reconciliationis noſtræ faciendæ, tanquam unicum fundamentum, vigor & pretium omnis operis religioſi ad DEI cultum pertinentis. Quid enim dignum DEO in externis ritibus, quibus DEUS colebatur præſertim ſacrificiis ſeu mactatione animalium, de ſe reperiebatur, niſi referantur ad ſacrificium illud, quo CHRISTUS ſeipſum pro peccatis noſtris ac redemtione obtulit? Ut haud dubitem, ſacrificiorum perpetuum apud quasvis gentes conſervatum uſum, eſſe habitæ apud eos, de reconciliatione per CHRISTUM notitiæ & revelationis veſtigium; cum inde a primo mundi exordio victimas obtinuiſſe conſtet, atque in illis cultus DEO placitus & acceptus poſi-

oſitus; quod præciſe ob animalium
ıactationem ſanguinisque effuſionem
er ſe inutilem & crudelem factum eſſe
nis credat, niſi ad expiationem Chri-
ri revocentur. Idem de omni illo ap-
aratu cæremoniarum veteris teſtamenti
ariter dici poteſt, quæ in ſeipſis ſpe-
tatæ, nec divinam ſatis decuiſſent ma-
ſtatem, nec noſtris opitulari poterant
ecesſitatibus, inanes & ſuperſtitioſæ vi-
e, niſi ad ingerendam conſervandam-
ue Christi memoriam, homines ad
jus adventum præparandos, officium
lius ac munera, quibus pro noſtra ſa-
ıte perfunctus eſt, repræſentanda, e-
ısque anticipatam figuram ideamque
nprimendam, comparatæ fuiſſent. Qua
e cauſa etiam ſeparatio ſtirpis Abraha-
ıidæ, ex qua Christus oriundus
ıerat, facta; DEO nationem, in na-
ione tribum, in tribu familiam pecu-
arem deſignando & conſervando, hunc
pſum in finem, ſingulari providentia,
ıe antea confunderetur aut periret, non
tirps tantum & tribus, ſed etiam fixa
lius ſedes & imperium, donec veniſ-
et Christus: cultu unius DEI ac
eri Numinis undique terrarum extin-
to, hic in terræ aliquo angulo conſer-
atur, unde poſt in omnem terram ve-
æ religionis ac fidei lux reſplenderet ac-

cendereturque, & per orbem propagaretur, uni prius loco addictus eam ipſam ob cauſam, ut CHRISTO locus conſervaretur ortus ſui, obeundæque legitime miſſionis ſuæ.

Omnia etiam de Chriſto dudum ante præſignata & prædicta ſunt.

II. Huc ergo omnia velut ad centrum radii circuli, ita ad CHRISTUM non ſolum, quæ poſt ejus adventum, ſed etiam, quæ antea in religione veri Numinis ſunt geſta, unice pertinent. Atque in hoc ſiſtit nexus ille & colligatio religionis veræ, quæ ſola eſt ac fuit ſemper chriſtiana in CHRISTUM mediatorem tam in veteri, quam novo teſtamento. Qua de cauſa recte S. AUGU-
a. STINUS (*a*) vetus teſtamentum dixit eſſe occultationem novi, novum autem revelationem veteris. Atqui huc redit demonſtratio religionis chriſtianæ ex novi & veteris teſtamenti contentione, atque prophetiarum eventibus. Demonſtratione hac præter alios operoſius *Dan.* HUETIUS eſt perfunctus, paralleliſmum ac comparationem prædictionum inſtituens ad CHRISTUM pertinentium, quæ extant in veteri teſtamento de CHRISTO: fideliter excerptis teſtimoniis ipſis, propoſitione nona ſuæ demonſtrationis evangelicæ, ex utriusque teſta-

(*a*) De civit. DEI. L. XVI. c. 26.

teſtamenti libris, & ex adverſo utrinque verbis ipſis ſacri textus repræſentatis: quo faciliime extaret mirifica eorum conſpiratio & concordia, conſtaretque amborum teſtamentorum manifeſta inter ſe relatio ac nexus inter ea, quæ de CHRISTO ſunt prædicta in veteri teſtamento, & poſtea in novo impleta, quemadmodum naſci, vivere & mori debuit; ac revera natus, vixit, & mortuus eſt. Quæ non ſolum eſt optima religionis chriſtianæ contra Judæos demonſtratio, verum etiam religionis veræ univerſim contra quosvis illius adverſarios: Dum ea ſummi DEI opere & conſilio inita oſtenditur; quando quæ circa eam noviſſimis temporibus acciderunt, diu ante demonſtrantur fuiſſe annunciata: quod a ſolo DEO fieri potuit, qui mundum hunc gubernat, & ſolus, quæ a voluntate & cauſis liberis futura contingentia dependent, novit & ordinavit, præſertim quæ ad cultum ſuum & religionem pertinent per CHRISTUM inſtaurandam: de quo omnia minutim & per capita prædixit per prophetas, de ortu, patria, nomine, vitæ genere, ſtudiis, geſtis, caſibus & fatis vitæ, mortis, & quæ mortem ſunt conſecuta, quoad ipſum a mortuis reſurgentem, atque eccleſiam ab eo fundatam. *Nam*, ut recte obſervat

Dan. HUETIUS (a), *etiamſi horum ſignorum aliquod in alio forte idem appareat: puta, ſi quem alium vel DAVIDE ortum reperias, vel Bethlehemi natum, vel prophetam, vel ſacerdotem, vel paſtorem, vel concionatorem, vel pacificum, vel ſanctum, vel humilem, vel pauperem, vel principem, vel regem, vel fortem, vel legumlatorem, vel falſo accuſatum, vel nefaria morte extinctum; at hæc in ſe, qui complexus fuerit univerſa, ſi veteres replicemus memorias, præter JESUM reperiemus omnino neminem.* Hoc igitur eſt robuſtiſſimum demonſtrandi veram religionem genus ex completione prophetiarum in CHRISTO: ut nihil de ejus nativitate, vita, miraculis, doctrina, paſſione, morte, reſurrectione, eccleſiæ per apoſtolos propagatione referant novi teſtamenti ſcriptores, quod non dudum ante prophetæ in veteri teſtamento prædixerunt per partes, non una aliqua ſerie & contextu geſtorum, quod eſt hiſtoriæ non prophetiæ; nec etiam eadem ſingula claritate, ne poſſent ab hominibus præverti aut inverti divina conſilia; fideſque, qua hic ambulamus, locum haberet, quæ eſt donum DEI; & in ænigmate. Ut tamen ſecuritati noſtræ hic omnino conſultum voluerit DEUS, tutos nos præſtando,

(a) Prop. X. c. 171. n. 1.

ſtando, ne aut prophetæ deciperentur, aut deciperent; ſed plene convicti eſſent & certi, de veritate ſuorum vaticiniorum eo tempore, quando ea fundebant per divini Numinis apparentis & loquentis majeſtatem, ſingularem DEI vocationem, modo per ſigna quædam & miracula, modo per complementum prophetiarum propiora ſpectantium tempora; quo cætera adhuc implenda cum his connexa plenam merebantur & accipiebant fidem. Nobis vero præſentibus, atque poſt completionem fere omnium (niſi quæ noviſſima ſpectant tempora & diem) viventibus, tanta affulget veritas, lux, & certitudo, ut cæci ſint, qui ad eam palpitent homines, ex mentis perſpicacia ac ingenii acumine gloriam aucupantes, quando vel maxime omnem deſeruerunt rationem, & ſcientiam novi Pyrrhoniſtæ.

III. Sed perfidi & obcæcati maxime hic tenentur Judæi ſuis, quorum ſanguine & ſtemmate gloriantur, prophetis, niſi mentem exuiſſent convicti. Nec malis ſuis ſapere volunt, ſub quibus gemunt vagi & diſperſi per orbem, atque terra promiſſa extorres, omni exuti principatu & poſſeſſione, quam patres eorum ſingulari privilegio acceperant,

Prophetia JACOBI Gen. 49.

tenuerantque uſque ad præſignatum a prophetis tempus venturi Meſſiæ: quouſque in celebri patriarchæ JACOB vaticinio (*a*) prædictum eſt, non auferendum ſceptrum de JUDA, aut ducem ſeu legislatorem de femore ejus, donec veniat *Schilo*. Quem alium nunquam intellexerunt veteres Hebræi quam Meſſiam: ut triplex Targum ſeu paraphraſis Chaldaica Onkeli, Jonathani & Hieroſolymitana pro ſchilo *Rex Meſſias* poſuerit cum ipſis etiam Talmudicis, atque ex recentioribus R. SALOM, KIMCHI, BECHAI & aliis diffiteri haud audentibus: ſuntque meræ nugæ, quas quidam afferunt de villa *Schilo*, quæ quando fuerit deſtructa, tribus Juda regno ſit potitura, contra apertam totius prophetiæ ſententiam & contextum, qui ita penitus in contrarium ſenſum mutatur. Meſſiæ autem convenit, ſive cum LXX. interpreteris *qui mittendus eſt*; aut, *cui repoſita ſunt*, aut *filius ejus*, juxta communem Hebræorum interpretationem: qui, ut diximus, conſtanter prophetiam de Meſſia intellexerunt. Nunc autem, niſi obſtinatio obeſſet, & divina vindicta teneret, poſtquam omnes prophetiæ circumſtantiæ ſunt completæ, & ad tempora CHRISTI, quoad omnes partes qua-

(*a*) Gen. XLIX. 8. &c.

quadrant ac reſpondent, multo faciliorem interpretationem habet. Videmus CHRISTI JESU tempore ſceptrum de Juda ablatum eſſe, dum apud eam ſolam uſque ad CHRISTUM promiſſa terræ portio manſit, cæteris tribubus decem per SALMANASAREM regem in captivitatem abductis, nunquam poſtea regno potitis: tribus vero Juda etiamſi & ipſa in captivitatem Babylonicam fuerit abducta, ab ea tamen redux, habuit adhuc reges aliquos, & deinceps ſemper in poſſeſſione ſortis ſuæ permanſit, reipublicæ formam habens cum congruenti poteſtate. Quod tanquam peculiare tribui Juda a patriarcha eſt deſignatum, quæ a tempore ROBOAMI diſtinctum ab Iſraelitico, ſexcentis annis ante Judaicum exciſo, conſtituebat regnum, tribum quidem Benjamin, ſed exiguo numero, in ſuo complexa gremio, nec non eam Leviticæ tribus partem, quæ ſacris in templo Hieroſolymitano fuerat deſtinata: cum a primæva terræ ſanctæ diſtributione tribus Levi nullam peculiarem terræ ſanctæ portionem in poſſeſſionem acceperit, per totam ſparſa rempublicam ſacris principaliter præfecta. Quare licet Machabæi Leviticæ ſtirpis eſſent, quoad paternum ſtemma, materno tamen ex tribu Juda erant: nec a-

lio quam tribus Judaicæ nomine & auctoritate gubernacula tenebant in Judaico ſolo & regno, cum tribui Leviticæ, ut diximus, peculiare nullum ſit. Atque adeo proprio nomine ſceptrum haud tenebant, quod in terra Juda ad tribum Judam pertinebat, nulla ad Machabæos pertinente, niſi collata a tribu Juda, poteſtate. Quæ idcirco jure regni non excidit, dum principes ſibi ex indigena tribu Levi aſſumſit; haud ſecus ac Romanum regnum non ideo Romanum eſſe deſiit, dum maxime etiam florens alios quam Romanos habuit imperatores; cum uſque ad CHRISTUM verum fuerit ex duobus regnis duodecim tribuum Iſraeliticum concidiſſe, decem tribubus ultra Euphraten permanentibus, ſtetiſſe autem regnum Juda uſque ad CHRISTUM ſceptrum tenens ducali, legislatoria ac judiciali poteſtate inſtructa, tum in ſynedrio, cum in principibus ſuis: donec veniſſet, qui mittendus fuerat Meſſias, ex ſtirpe JUDA, filius DAVID: qui quod fuerit exſpectatio gentium eventus prodidit, ad hodiernum uſque diem gentibus in eum credentibus, ablato ſceptro de JUDA ac duce de femore ejus, regnoque Judaico multo evidentius quam Iſraelitico everſo.

IV. Hæc

IV. Hæc eſt inſignis cumprimis prophetia ex prima ætate ſelectæ ſtirpis Abrahamidæ in ſelectum populum, ex quo oriundus Meſſias erat, deſignata hic ex duodecim filiis Jacobi Juda, cujus e poſteris & ſanguine naſci debebat: quemadmodum poſtea etiam ipſa familia eſt notata, Isai nimirum & Davidis poſtquam jam in integrum populum & regnum excreverat tribus Juda. Atque illo tempore, & illis deinceps, quæ vocantur tempora prophetarum, ex quo cœpit prophetare Samuel, frequentiſſima jam fuerunt vaticinia prophetarum. Quamvis, ut recte obſervat S. Augustinus (a), & ipſum Noe patriarcham, in cujus diebus univerſa terra diluvio deleta eſt, & alios ſupra & infra uſque ad hoc tempus, quo reges in DEI populo eſſe cœperunt, propter quædam per eos futura ſive quoquo modo ſignificata, ſive prædicta, quæ pertinent ad civitatem DEI regnumque cœlorum, non immerito poſſimus appellare prophetas, præſertim, quia nonnullos eorum id expreſſius legimus nuncupatos, ſicut Abraham, ſicut Moysen &c. Et ſane toties Abrahamo facta promiſſione, benedicendas in ſemine ejus omnes gentes, quæ clarior poteſt eſſe de Christo

Aliæ item patriarcharum, ac Moysis præcipuæ.

(a) Lib. XVII. de Civ. DEI c. 1.

chriſtianaque eccleſia prophetia? In MOYSE vero præterquam, quod typus & imago inſignis tam in lege & ritibus omnibus ab eo inſtitutis habeatur, tamen Deuteronomii XVIII. 15. habetur clara prophetia a CHRISTO etiam (*a*) Judæis & ab apoſtolis in Actis citata primum verbis MOYSIS, poſtea verbis DEI repetita. *Prophetam*, ſunt verba MOYSIS, *de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus DEUS tuus: ipſum audies* Et poſtea ipſe DEUS loquitur: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi. Qui autem verba ejus audire noluerit, ego ultor exiſtam.* Cum vero eodem libro Deut. XXXIV. 10. expreſſe habeatur, non ſurrexiſſe ultra prophetam in Iſrael ſicut MOYSES, facile patet ſimilitudinem iſtam repetendam eſſe ex lege nova danda, quod in CHRISTO impletum. Reliqui enim prophetæ interpretes tantum fuerunt veteris, eratque hoc primum miſſionis eorum omnium ſignum, ſi pro MOYSE & cum MOYSE eſſent. Qui autem dederit legem ut MOYSES, quacum teſtamentum novum DEUS conſtituerit, ac ſanxerit pactum, qui mandata

ta

(*a*) Jo. I. 45. Act. III. 22.

ta nova attulerit & legem, præter CHRISTUM, fuit nullus. Quapropter in ipſa ſtatim prophetia ultio, quam jam experiuntur Judæi, additur in eos, qui verba ejus audire noluerint.

V. Quæ ergo in MOYSI clarioribus verbis & aperta ſententia eſt expreſſa imago & figura CHRISTI Domini, ſi non ſemper eodem modo repræſentatur; nihil tamen obſtat, quo minus alia etiam dicta & facta in veteri teſtamento huc referantur per ſpiritualem ſenſum: qui locus etiam habet, dum hiſtorico ſuus integer conſtat intellectus. Sed non æque ad demonſtrationem aptus eſt, quam molimur, niſi aperta applicationis ejusmodi habeatur ratio, quales ſæpe manifeſte ſe produnt prophetiæ, & a noſtris ſunt obſervatæ imprimis a S. AUGUSTINO lib. 17. de Civ. DEI. E. g. dum ANNA SAMUELIS mater prius ſterilis tantopere de enixo filio plaudit cantico, quod 1. Reg. II. habetur, ut mens a veritatis luce averſa ſit oportet judice AUGUSTINO(a), quæ non ſentiat ſupergredi modum fœminæ hujus dicta, quæ fudit. Ad Meſſiam autem ſi applicentur commodum habent ſenſum. Idem adhuc multo luculentius patet in DAVIDE & filio ejus SA-

Ac aliæ præſertim in perſonis Chriſtum repræſentantibus SAMUELE, DAVIDE, SALOMONE.

(a) De Civ. DEI. L. XVII. c. 4. n. 2.

SALOMONE, quos Meſſiæ typum fuiſſe nullus diffitetur, ſuntque pſalmi fere omnes clariſſimi hujus rei teſtes. In eo forte eſt DAVID, ut filii ſui SALOMONIS felicitatem deprædicet, ulterius abripitur mox divino Spiritu, & ad ea deprædicanda prolabitur, quæ minime cum regno SALOMONIS poſſunt conſiſtere, ad CHRISTUM referenda. Quod etiam in ſermone Domini facto ad NATHAN deprehenditur, ubi & ſui & filii in regno proſperitas ſumma denunciatur, atque talis, qualis ad litteram & hiſtoriam neutiquam in terreno SALOMONIS regno dignoſcitur, niſi ad ſpirituale per CHRISTUM, ex ſemine DAVIDIS natum, fundatum referantur. (a) *Cumque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de utero tuo, & firmabo regnum ejus. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni ejus uſque in ſempiternum &c. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum uſque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus jugiter.* Non eſt opus, hic explicare terminos *uſque in æternum, ſempiternum* contra Judæos adverſarios, qui ſenſum eorum maxime amplificant, & nunquam interiturum regnum

(a) 2. Reg. VII. 12.

gnum ſibi pollicentur terrenum, confuſo ſpirituali cum litterali ſenſu & terreno regno, quod in SALOMONE fuit; at longe dignius in Meſſia, quod jam in æternum ſtat.

VI. Idem in celebri ISAIÆ prophetia deprehendere licet, dum is regi ACHAZ ſignum offerret veritatis prophetiæ ſuæ de liberanda urbe Jeruſalem a Syris & ab Iſrael obſeſſa. *Propter hoc*, ſunt prophetæ verba (*a*), *dabit Dominus ipſe vobis ſignum. Ecce virgo concipiet & pariet filium, & vocabitur nomen ejus Emanuel.* Fuerit prophetia illa in uxore virgine ISAIÆ primum completa, hoc nihil impedit, quo minus ulterius pertinuerit ad Meſſiam: ea enim de nato hoc filio dicuntur poſtea, quæ minime in hunc ſolum quadrant. *Parvulus enim*, inquit de eo propheta (*b*), *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum ejus: & vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius, DEUS, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis. Multiplicabitur ejus imperium, & pacis non erit finis: ſuper ſolium David, & ſuper regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud & corroboret illud in judicio & juſtitia amodo & uſque in ſempiternum.* Quis hæc

Quo etiam celebris ISAIÆ pertinet, qui Chriſtum apertiſſime in in omnibus prædixit.

b.

(*a*) Iſa. VII. 14.
(*b*) Iſa. IX. 6. &c.

hæc filio prophetæ coaptet, aut etiam filio Achaz Ezechiæ? Quod fecit
8. H. Grotius (*a*) abſurdiſſima ſententia & errore horrendo, dum factæ hujus prophetiæ tempore jam vixerit Ezechias natus antequam Achaz regnum ſuſciperet. Nec etiam in Meſſiam, qualem Judæi adhuc præſtolantur, hæc congruunt; accurate autem & ad amuſſim, quem chriſtiani jam adveniſſe colunt: qui parvulus in Bethlehem natus Filius DEI & hominis datus nobis: cujus principatus ſuper humerum fuit crucem portantis, indeque regnum ſibi novo victoriæ genere comparantis: admirabilis in operibus, conſiliarius in doctrina, DEUS in natura, fortis in tranſigenda vita, paſſione & morte ſubeunda, Pater futuri ſæculi, regni nimirum ſui, quod & nobis paravit, ac pacem conſtituit DEUM inter & homines: cujus multiplicatum eſt imperium in cœlo & in terra, conſtituta eccleſia, eique pax in æternum præſtita: atque ita ſuper ſolium David, ex ſtirpe ejus oriundus, & ſuper regnum illius ſpirituale ſedit, ut confirmet illud in judicio & juſtitia in ſempiternum. Alia ſunt, & quidem clariſſima in Isaia vaticinia, quæ vitam;

per

(*a*) Vid. M. Houteville la Religion chrétienne prouvée par les faits. T. II. c. 9.

paſſionem & mortem CHRISTI Domini per ſingulas nobis depingunt circumſtantias, præſertim cap. 52. & 53. ut a SS. PP. HIERONYMO & AUGUSTINO (a) evangeliſta quam propheta potius diceretur. a.

Tempus autem adventus illius omnino deſignavit DANIEL.

VII. Quod itidem de DANIELE dici poteſt, qui non ſolum tempus venturi Meſſiæ deſignavit, ſed etiam fata omnia tum ipſius Meſſiæ, cum etiam populi Judaici evidenter prodidit, prout omnia contigiſſe evidenter conſtat. Rem omnem DANIEL ita à GABRIELE archangelo didicit. (b) *Scito ergo & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem, hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt, & rurſum ædificabitur platea, & murus in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vaſtitas, & poſt finem ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una, & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium, & erit in templo abominatio deſolationis: & uſque ad conſummationem* b.

&

(a) S. HIER. ep. 117. S. AUG. de Civ. DEI L. XVIII. c. 29. (b) Dan. IX. 25.

& finem perſeverabit deſolatio. Quænam ſint hebdomadæ hic notatæ ambiguum eſſe non poteſt. Dierum enim hebdomadas eſſe non poſſe totus ſermonis contextus & ratio, hiſtoriaque manifeſte prodit: nec muros tam brevi ſpatio extructos eſſe potuiſſe, nec quidquam eorum completum eſſe, quæ hic enarrantur futura, palam eſt. Aliæ autem hebdomadæ quam dierum & annorum ſtylo ſcripturæ uſitatæ haud ſunt, nec pro lubitu fingere licet. Præſertim cum computatione hebdomadum annorum omnia rite conveniant, quod palmare eſt, & omnia Judæorum effugia evertit. Non eſt opus hic, diem & annum determinatum figere, quod ab aliis abunde eſt præſtitum, exigua vero paucorum annorum diſcrepantia ad rem nihil facit. Quamcunque enim epocham figas, elapſas eſſe hebdomadas ſeptuaginta, tot annorum intervalla dubitare amplius non ſinunt; poſt quas occidendus CHRISTUS prædicitur, civitas & ſanctuarium diſſipandum & devaſtandum, defectura hoſtia & ſacrificium: ut ſit in templo abominatio deſolationis, uſque ad conſummationem & finem perſeveraturæ. Quæ omnia dum accidiſſe conſtat manifeſtiſſime ex hiſtoria Judaica præfixo tempore, fruſtra

ſunt

ſunt omnia, quæ contra finguntur & ſtatuuntur computi. Ac mirum eſt MARSHAMUM Anglum tantum ſibi negotii ſupervacanei ſumſiſſe, ut hæc ANTIOCHO applicaret, cum, ſi etiam congrueret temporis computatio, minime reliqua convenirent, de occidendo CHRISTO, ſanctuario diſſipando, hoſtia & ſacrificio defecturo, perſeveratura uſque ad conſummationem atque finem abominatione deſolationis. Niſi forte hæc quodammodo, modo ſuperius explicato, deſignata fuerint ſub ANTIOCHO, poſtea vero plene completa, quo ſenſu nonnulli alii rem explicandam ſumſerunt. Sed melius tritæ & communi inſiſtitur viæ, quæ, licet non eodem prorſus progreſſu, eodem ſemper pertingit, ut conſtet circa CHRISTI tempora & impletas hebdomadas, & res in prophetia deſignatas.

VIII. Infinitus forem ſi omnia proſequi vellem, quæ tota in ſcriptura veteris teſtamenti ad CHRISTUM venturum attinent. Cum is præcipuum divinæ revelationis conſtitueret objectum, fueritque hoc caput omnis revelationis, ut is innoteſceret hominibus, in quo omnis ſpes & fiducia collocanda eſſet; id ſtrenue egerunt, quibus donum prophetiæ conceſſum eſt, impellente Domino,

Ut nihil circa Chriſtum geſtum, quod a prophetis non antea prædictum.

ut hoc argumentum ubique ſuſciperent & verſarent, temporibus præſertim propheticis, appropinquante magis adventus illius tempore. Quare conſultius eſt incredulos ad lectionem ipſius ſcripturæ ac prophetarum ablegare, quam aliqua hic excerpere: quo alii, præſertim *Dan.* HUETIUS, operoſius ſunt perfuncti labore, inter ſe conferendo & combinando, quæ in veteri teſtamento prænunciata ſunt de Chriſto, & in novo geſta ab eo referuntur. Quæ omnia collecta utrinque hiſtoriam complectuntur nativitatis, vitæ, prædicationis, paſſionis, mortis & quæ hanc ſunt conſecuta myſteria: dum unus hoc, alter aliud, hic has alius alias circumſtantias rerum omnium circa Chriſtum factarum præſignavit. Omnes vero ſumme mirabilem divini conſilii circa Chriſtum œconomiam expreſſerunt ſtatus Chriſti humilis & ſublimis, quo tamen nihil in eo eſt convenientius, ſive naturas in eo ſpectemus divinam & humanam, ſive munus & officium. Quod mirum eſt capere nolle Judæos modernos contra patrum ſuorum fidem, in ipſo etiam Talmude expreſſam, & ab aliis ſuis doctoribus in explicatione vaticiniorum de Chriſto ſæpiſſime agnitam, quæ ita ambo hæc inter ſe copulant, ut ſejungi

nullo

nullo modo poſſint, atque obſtinatis tandem Judæis conſilium fingendi duplicem Meſſiam, alterum glorioſum ex tribu Juda, afflictum alterum ex tribu Joſeph injecerit. Quo ipſo produnt, quas ad incitas ſint redacti, quamque agnitæ reſiſtant veritati, horrendo in Spiritum ſanctum peccato, de quo in hac & altera vita pœnas manifeſtas dant: ipſi peccato ſuo teſtimonium perhibentes, hanc dilati Meſſiæ adventus cauſam dictitantes, peccata nimirum ſua, quæ ſuæ eſt excæcationis commerita pœna, ut videntes non videant, audientes non audiant, ne forte convertantur: quam de pervicaci populo iſto dudum Isaias divinam expreſſit vindictam. Qui etiam Isaias omnium clariſſime utrumque humilem & ſublimem Chriſti declaravit ſtatum, ſed illum potiſſimum, quo Judæi offenduntur, ipſi illius cauſa tota, qui quaſcunque Chriſtus tulit afflictiones & ærumnas, eas intulerunt, ipſam ignominioſiſſimam mortem: ſecundum quod ſingula hæc a prophetis juxta omnes ſuas circumſtantias ſunt prædicta, & ab ipſis ſunt impleta, malo quidem ſuo ob malitiam propriam, ſed bono totius generis humani, quod jam in Chriſtum credit, & ſalvum fit, Judæis rejectis & fidem detrectantibus ſuis ipſis prophetis

de Meſſia ex eorum ſtirpē miſſo, eorumque patribus promiſſo.

ia... ea, ... circa ...dæos ac ...etus teſtamentum accidere debebant adventante Chriſto ac novum inſtituente.

IX. Quod ipſum etiam male vertunt, terrenum & periturum ab eo regnum & ſalutem ad ſe unice pertinentem præſtolantes, contra tot manifeſtiſſima vaticinia omnium prophetarum, de converſione gentium, tam in exciſione idololatriæ, quam etiam abolitione earum cæremoniarum, quæ factæ tantum ad deſignandum Meſſiam, eoque jam præſente locum habere amplius non poſſunt, umbris his & figuris ad lucem & imaginem ipſam diſparentibus. Quod de ſacrificiis, Judæorum præcipuo cultu, tum ab aliis, cum ab ultimo, præprimis prophetarum MALACHIA (*a*) omnium apertiſſime eſt denunciatum,

a. dato illis veluti repudio. (*a*) *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum : & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Sed Judæi carnaliter ſapientes ac deſipientes, adhuc in iſtis ſpem, & religionis cultusque divini rationem ponunt. Dum in eo tamen per plurima ſæcula

(*a*) Mal. I. 10. &c.

ſæcula degunt ſtatu, ut implere non poſſint & ſatagere cultus iſtius, loco & templo deſtituti, cui affixa omnia iſta erant: nec tamen intelligere volunt, & capere ſpirituale templum lapideo illi ſubſtituendum. Cujus rei gratia etiam manifeſte per AGGÆUM fuit prædictum de ſecundo templo poſt captivitatem extructo, majorem ejus fore gloriam, quam primi illius a SALOMONE magnificentius longe ædificati. Ut adeo prophetiam non de materiali, ſed ſpirituali intelligi debere dubium nullum relinquatur, atque ab ipſo propheta indicetur, id Meſſiæ adventu complendum fore. Utrumque propriis verbis prophetæ audiamus: primum edicat, quomodo templum, in ſe ſpectatum, ſecundo extructum, cum primo nullo modo comparandum veniat magnificentia & ſplendore. (*a*) *Quis in vobis derelictus, qui vidit domum iſtam in gloria ſua prima? Et quid vos videtis hanc nunc? Numquid non ita eſt, quaſi non ſit in oculis veſtris?* At nihil iſtis moveri eos vult, & confortari. *Quia hæc dicit Dominus exercituum: Adbuc unum modicum eſt, & ego commovebo cælum & terram, & mare & aridam. Et movebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus: & implebo domum* a.

 iſtam

a) Agg. II. 4.

iſtam gloria, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum: & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum. MALACHIAS AGGÆO poſterior aperte gloriam hujus illius ſecundi templi manifeſtat, in Chriſto non tardante, ut veniret tandem.
a. *Et ſtatim*, inquit (a), *veniet ad templum ſanctum ſuum dominator, quem vos quæritis, & angelus teſtamenti, quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum: & quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans & emundans argentum: & purgabit filios Levi, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & erunt Domino offerentes ſacrificia in juſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Juda & Jeruſalem ſicut dies ſæculi, & ſicut anni antiqui.* Debuit ergo ad templum illud veniſſe Dominator quæſitus, & angelus teſtamenti deſideratus. *Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem adventus ejus, & quis ſtabit ad videndum eum?* Non utique Judæi, qui eum non receperunt; niſi quos ceu aurum & argentum purgavit & colavit, ut eſſent Domino offerentes ſacrificia in ju-

(a) Mal. III. 1. &c.

[redacted]

juſtitia: non qualia uſque illuc, ut jam ſignificatum eſt: (*a*) *Non eſt mihi* a.
voluntas in vobis, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Quid autem futurum ſit, mox indicatur. *Ab ortu enim ſolis uſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in gentibus, dicit Dominus exercituum.* Non ergo templo Judaico adſtricta ſacra amplius valitura fuerunt: nec templum ipſum adhuc aliquid valuit, uſque ad hodiernum diem, per mille jam ſeptingentos dirutum annos, ceſſantibus Judaicis ſacrificiis, Angelo teſtamenti novi veniente in proprio ſanguine. Stabat adhuc eo veniente templum, quia ad illud venturus dicitur; at, deinceps inutile futurum, deſtruendum erat: quod poſtea factum Chriſto id prædicente, qui erat propheta ille ſimilis MOYSI a MOYSE & omnibus prophetis prædictus, ſed
(*b*) & ipſe quæ reliqua erant prædicens: b.
abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a DANIELE propheta, ſtantem in loco ſancto, profanato nimirum primum juſſu imperatorum templo, inſignibus & ſtatuis ſuis ei illato: quod Chriſtus ſuis ſignum dedit extremæ exciſionis. *Tunc qui in Judæa ſunt, fugiant ad mon-*
tes &c. (*c*) Quod ſignum aliaque chri- c.

(*a*) Mal. I. 10.
(*b*) Matth. XXIV. 2. & 15.
(*c*) Ib. ✝. 16. &c.

ſtiani arripuerunt in villam Pellam aufu-
a. gientes (*a*), atque ad unum omnes effuge-
runt miſerrimum urbis & templi exci-
dium, a Chriſto ſecundum omnes cir-
cumſtantias prædictum, quæ præcede-
re, comitari, & ſequi debebant. Quæ
ſingula ex hiſtoria illorum temporum e-
tiam a gentilibus memoriæ prodita ad
b. (*b*) apicem ultimum completa conſtat,
& in præſentem diem diſperſi per or-
bem Judæi teſtimonium perhibent ho-
rum omnium. *Donec*, quod itidem
c. prædictum eſt, (*c*) *reliquiæ convertentur, reliquiæ inquam Jacob, ad DEUM fortem*, ut ISAIAS dicit: *ſi enim fuerit populus tuus Iſrael quaſi arena maris, reliquiæ convertentur ex eo: conſummatio ab-*
d. *breviata inundabit juſtitiam* (*d*). Quod
dum exſpectatur, donec miſerationi divinæ complacitum fuerit, ſecundum arcanum decreti ſui juſtiſſimi conſilium, fruſtra ſurdis etiam apertiſſima canitur veritas.

CAP. XIV.

(*a*) EUSEB. hiſt. L. IV. c. 5.

(*b*) Vid. M. HOUTEVILLE la Religion chrétienne prouvée par les faits. T. II. c. 10.

(*c*) Iſa. X. 21.

(*d*) *Ibid.* ꝟ. ſeq.

CAPUT XIV.

Veritas divinitasque religionis chriſtianæ ex miraculis demonſtratur.

I.

Miracula ſunt alterum veræ religionis infallibile argumentum, haud minus quam prophetiæ; ſed magis deceptioni obnoxium, atque adeo ſumma cautione in illis diſcernendis opus eſt. Nulla eſt religio, quæ ea non venditet: nec abnui poteſt ope dæmonum fuiſſe etiam mira quædam apud falſos deos, atque eorum cultores patrata. Sed inaniter quis veris miraculis fidem & robur ad demonſtrationem veræ religionis detrahat, inde quod falſa dentur: quin ſi vera nulla forent, falſa fingendi, aut etiam vera quodammodo imitandi nulla aut malignis ſpiritibus aut hominibus cogitatio inceſſiſſet. Tantum attentione animi opus eſt, ne falſis decipi nos ſinamus, quæ nunquam ſolent ita eſſe comparata, ut impoſturæ nulla probatio ſuperſit, aut a veris nullo poſſint diſtingui modo: quam ſtudioſe etiam impoſtores celare falſitatem, aut imitari veritatem nitantur. Protulit tempore

Miracula quatenus ſint certa veritatis in religione argumenta.

revera ingenti numero a benigno Numine effecta, ut ſit rationabile obſequium noſtrum, nec circumferamur omni vento doctrinæ. In præſentiarum nos continemus illis, quibus novum eſt aſſertum teſtamentum, chriſtianaque religio, cujus nobis demonſtratio incumbit. Quoad Moſaicam legem ſufficiunt, quæ ſuperius eam in rem diximus. At vel hinc ſe difficultas exerit, qua ratione chriſtiana commendari poſſit miraculis religio. Ne dubitaremus, ſi novum veteri foret contrarium teſtamento, prævalituram eſſe difficultatem; at nihil minus eſt, ſolumque novum teſtamentum ſupplet, quod defuit veteri, dicente conſtanter illius auctore, non ſe veniſſe ſolvere legem, ſed adimplere, atque hortatur ſuos auditores, ut, quæ Scribæ & Phariſæi ſuper cathedram Moysis ſedentes dicerent, ea facerent. Poterant enim ab ipſo Moyse & prophetis omnibus diſcere Chriſtum eſſe audiendum, utque audiretur, ſeſe manifeſtis probabat argumentis, miraculis inquam, ad probandam miſſionem ac doctrinam convenientem quidem cum Moſaica, ſed extraordinariam, & mutationem legis afferentem, quæ eſt invicta religionis chriſtianæ demonſtratio. Venit Chriſtus, & vult ſe haberi promiſſum in le-

e Meſſiam , non ergo contrarius legi :
no quod unice exſpectabant qui ſub
:ge erant , hic oſtentabat offerebatque,
t vero legitimam ſuam probaret miſſio-
em & auctoritatem , opus erat manife-
:o aliquo ſigno & certis indiciis. Hæc
uerunt ea ipſa , queis MOYSES fidem ſi-
i conciliavit, miracula nimirum , eaque
onge plurima & majora quam MOYSIS ;
uo præſtantior & perfectior lex eſſe de-
ebat , quæ DEUM auctorem habebat :
ec permitti a DEO potuiſſent talia mi-
icula , niſi ſeipſum negare vellet , men-
acium in negotio ſuam gloriam & totius
eneris humani ſalutem ſpectante , ſub
ætextu veritatis auctorando, quod fieri
ente perfectiſſimo nequit ; ut hy-
critæ alicui aſſiſtat ordinem rerum
miracula invertenti ad verita-
cum mendacio confundendam, in
trina tam inſigni morali tam ſancta
& ſublime inducta: ſublato errore
ifeſto paganorum, purificato etiam
prius obtinente & reformato per
ndam hominum converſionem ac
itationem,quoad depravationem na-
noſtræ inſidentem, cui corruptioni,
erſa principia & virtutes toti mun-
n cito potuerint perſuaderi, neceſ-
irtus divina agnoſci debet, tam
em quam exteriorem hominem
reni-

renitentem etiam ad obſequium inclinans & fidem: intus quidem per vim occultam mentes flectendo, exterius vero ea ſigna edendo, quæ non poſſunt non convincere, & ad ſe rapere humanas mentes: nihil obſtantibus adverſis omnibus ſeſe opponentibus, qualia ingentia omnino fuerunt orto chriſtianiſmo obſtacula, toto mundo ei ſeſe opponente: propoſito nobis homine infamem mortem perpeſſo humili & abjecto tanquam DEUM adorando. Anne cuiquam in mentem veniat fieri omnino potuiſſe, ut hæc doctrina poſſet tam cito orbem totum ſibi adverſum & aliis omnino principiis infectum ſine manifeſtis ſignis & potenti manu DEI convertere? Cujusmodi, cum plurima a primis religionis chriſtianæ conditoribus ſunt venditata, nullus ex infenſiſſimis hoſtibus ea negare eſt auſus illis ipſis temporibus, quibus ſunt geſta; ut magicis potius artibus atque dæmonum operæ, aut nominis DEI JEHOVA occultæ ex templo ſuffurationi, quod commenti ſunt Judæi, vis ea tribueretur. Neque ullus unquam inter tot, diriſſimis ſuppliciis & morte affectos, ad fraudis hic intercedentis confeſſionem adigi potuit. Duo ex apoſtolis ſunt infideles reperti, ambo veritati nihilominus teſtimonium per-

perhibent, alter acerbe pœnitens, aſſertor poſtea ad mortem acerrimus fuit; alter vel invitus & deſperans vitam non amplius ſuſtinuit. Ejusmodi autem referebantur ſigna, quæ omnibus perſpecta neminem latere aut decipere poterant, quin adverſarii hinc etiam calumniendi & detrahendi anſam arripiebant. Et tamen totus mundus primum adverſus & turbatus credidit, intuitu horum miraculorum, quæ præcipuum erant prædicationis caput, totiusque religionis fundamentum in Chriſto a mortuis ſuſcitato: atque hoc tanta factum eſt celeritate, dum undique ſectæ iſti contradicitur, (a) undique tamen ſectatores accipit. Quod fieri non potuiſſet, ſi prædicatores evangelii tantum de miraculis alibi alio tempore factis teſtati fuiſſent, niſi iisdem ſignis ſeſe ac ea, quæ narrabant, probaſſent: cum maxime hoc præſeferrent, atque hoc veluti ſignum a magiſtro ſibi relictum accepiſſent & venditarent, quod in nomine ſuo majora etiam adhuc facturi eſſent prodigia. Quis ſibi in animum inducat, apoſtolos, ſi ſe promiſſione ſibi facta deluſos vidiſſent, fortunas omnes & vitam ipſam expoſituros, aut alios ſeſe deludi permiſſuros, ſi nihil eorum, de quibus ſe jacta-

(a) Act. XXVIII.

jactabant, opere poſſent oſtendere, aut ea etiam, quæ narrabant, poſſent falſitatis manifeſtæ coargui ab illis, coram quibus geſta cum omnibus circumſtantiis referebantur palam & coram omnibus, eo plerumque tempore primum & loco, ubi religionis cauſa ingens ac innumerabilis hominum copia ſtatis confluebant temporibus. Qui ſenſus fuiſſet, talia referre facta ac aliis perſuadere velle, ſi vera non fuiſſent & credita?

Miracula in ortu & nativitate Chriſti.

III. Sed eamus per ſingula, videamusque fierine potuerit, ut miracula hæc conficta eſſe potuerint. Ea primum ſumamus, quæ a nativitate CHRISTI uſque ad ejus mortem acciderunt, ſtatim enim cum ipſa illius nativitate exorſa ſunt. Imo eo adhuc in utero clauſo, ejus nominis gloriæ cauſa in ZACHARIA JOANNIS *Baptiſtæ* patre miracula acciderunt, quæ, ſi vera non fuiſſent, nullus potuiſſet in vulgus ſpargere. Erat ZACHARIAS ſacerdos detentus functione miniſterii ſui in templo præſente populo, quando, ingreſſus in ſanctuarium incenſum oblaturus, inde mutus rediit: poſtea vero dum ambobus jam provectis ætate ELISABETH, quæ communiter ſterilis vocabatur, filium eſt enixa, præſentibus vicinis & cognatis, ad im

poſi-

poſitionem nominis, ſermonis uſum recepit. Hæc quomodo litteris evangeliſta conſignare valuiſſet, quæ non poterant non vulgata eſſe in urbe Jeruſalem (ubi ſacerdotis munere fungebatur ZACHARIAS) & in montanis, uti cognati ELISABETH hæc divulgabant, qui convicti impoſturæ eo ipſo fuiſſent, quod nulla haberetur recentis adhuc facti memoria. Quæ circa natum recens Chriſtum miracula acciderunt, ejusdem ſunt generis, ac illa, quæ circa paſtores ipſa nativitatis nocte acciderunt, quos angelici chori ad præſepe adduxerunt, quique ea vicinis in locis referebant, & illa quæ acciderunt in templo, dum Chriſtus præſentaretur, SIMEONE & vidua propheteſſa JESUM Meſſiam agnoſcentibus atque denunciantibus, quicunque exſpectabant redemtionem Iſrael. Quæ etiam de Magis narrantur, qui ſtellam a ſe viſam ſecuti Hieroſolymis ad HERODEM diverterunt, natum inquiſituri regem, licet HERODES & omnis Hieroſolyma commota eſſet, licet etiam HERODES a conſultis ſcribis & doctoribus de Chriſto Bethlehemi naſcituro certior factus, infantes a bimatu & infra omnes occidiſſet. Poterant hæc, quoad Chriſti perſonam ſpectabant, eo temporis tractu, donec poſtea manifeſtius ſeſe pro-

didit ſuſcepto evangelii miniſterio, e plurimorum memoria & attentione elabi, ut aut ſe deluſos putarent, aut infantem cum aliis neci traditum exiſtimarent: præſertim cum ideæ, quam de Meſſia conceperant, humilis & abjectus Chriſti ſtatus haud congrueret, alias vero periculoſum eſſet ſub imperatoribus de alio, qui rerum potiretur, multa in publicum proferre. Hæc in cauſa eſſe potuerunt, cur de illis, quæ Chriſto nato acciderunt, fama & exſpectatio non admodum ingruerit, cumque tempore obſcurata fuerit: at non æque fieri pronum fuit, ut aliquis poſtea res hujusmodi in publicum proferret, eadem adhuc hominum memoria, quin falſitatis coargueretur, ſi vera non forent, quæ ſecundum omnes circumſtantias perſonarum, locorum ac temporis proferrentur res ejuscemodi, quæ omnibus notæ eſſe debebant, v. g. quæ circa ZACHARIAM patrem & filium JOANNEM Jeroſolymis & per montana divulgata erant: quæ paſtores Bethlehemitis & viciniæ circa choros angelicos & natum Meſſiam denunciarant: quæ circa Magos acciderant Hieroſolymam publice adventantes, ac natum regem quærentes, HERODEM omnia ſollicite apud ſcribas & doctores perſcrutantem, Bethlehemiticos infantes omnes trucidantem.

dantem.

dantem. Quis hæc confingere potuiſſet, quin ſubito non falſitatis, ſed & calumniæ coargueretur ab hominibus in illis locis degentibus, ubi hæc non ita multo ante accidiſſe debuiſſent? Præſertim circa immane facinus HERODIS, quo tempore recens adhuc ejus memoria eſſe debuerat; ut, qui illud jactaret, eum non impoſtoris tantum infamia, ſed etiam graviſſimæ injuriæ pœna manſiſſet a principis neceſſariis, atque illius nomini addictiſſimis: quales tunc HERODIS nomen & ſtirps habebat, ut filius illius, qui hæc patraſſe narratur, ab integra ſecta, hinc Herodiana dicta, pro Meſſia haberetur.

IV. Sed mittamus hæc, ad propinquiora accedamus, quæ ultimis Chriſti annis acciderunt, atque ab evangeliſtis referuntur innumera miracula notatis circumſtantiis temporis, loci & perſonarum. Primum in Cana Galilææ mutatæ in vinum aquæ, reſtituto viſu cæcis, auditu ſurdis, ſanitate infirmis, mundatis lepra infectis, paralyticis aliisque morbis curatis etiam chronicis, dæmonibus plurimis e corporibus obſeſſorum pulſis, multitudine ingenti paucis panibus ſaturata, reſuſcitatis compluribus mortuis, & aliis omnis generis rebus maxime mirabilibus geſtis publice, & ad ſe

Ac deinceps uſque ad ejus mortem.

attentionem omnium rapientibus, ut nulla in re minus quam hic fraudi locus eſſe potuerit, nube teſtium protinus impoſtorem obruente. Veritati autem harum rerum eo majora teſtimonia reddi potuerunt, quo præclariora fuerunt facta, atque illi præſentes adhuc teſtari poterant, qui ſanitati, integritati ac vitæ ſunt reſtituti. Quod poſtremum, reſuſcitationis nimirum a morte, miraculum tergiverſationem omnem tollit, atque infinitam Creatoris indicat potentiam, ſtupendo naturæ miraculo animam corpore diremtam iterum conjungendo, ut nullius artis magicæ aut dæmoniacæ hic intervenire potuerit illuſio. A Chriſto autem non uno in homine, tempore aut loco fuit factum: notatis ſingulariter hominibus, familiis & circumſtantiis aliis, quæ, niſi vera fuiſſent, ſubſiſtere in hominum fide nullatenus poterant, ad tantam novitatem & ſtupendam rem concitata & emota hominum attentione & curioſitate: qualia præſertim in morte Chriſti acciderunt, dum velum templi ſciſſum a ſummo uſque deorſum, terra tremuit, petræ ſciſſæ ſunt & aperta ſepulchra, corpora multa ſurrexerunt, & apparuerunt multis, ſol obſcuratus &c. Quomodo, niſi revera omnia accidiſſent, hæc omnia tot & tanta cum o-

mnibus

mnibus circumſtantiis referre aliquis & obtrudere hominibus in animum induxiſſet?

V. Sed omnium maximum & maniſeſtiſſimum miraculum fuit mors ipſa Chriſti, & inde ſecuta reſurrectio, quo nec decipi per ſimplicitatem potuerunt apoſtoli integris quadraginta diebus fere cum Chriſto poſt mortem converſantes, omnibus ſenſibus viſu, auditu & contactu eum uſurpantes, cum ipſo manducantes & bibentes, præcepta ab eo & monita accipientes. Evaneſcit hic ſolitum SPINOSÆ effugium, evangeliſtas nobis non omnes explicaſſe circumſtantias, ex quibus rationem factorum potuiſſemus conjicere naturæ congruentem. Qualis enim circumſtantia naturæ convenientem modum prodere potuiſſet, ut homo crucifixus, in ſepulchro per cuſtodias obſervatus inde prodiret, & non paucis diebus degeret in terris? Igitur aliud hic finxit, atque hæc omnia myſtice & ſpiritualiter intelligenda voluit SPINOSA (*a*), quomodo e. c. DEUS apud ABRAHAMUM pranſus, aut igne in monte Sinai circumdatus viſus fuerit: putatque haud difficile fore totam evangelii doctrinam ſecundum hanc hypotheſin explicare. Sed credat hoc Judæus A-

Et poſt mortem ejus reſurrectio.

a.

N 3 PELLA.

(*a*) Ep. 25. ad *Henr. Oldenb.*

PELLA. Vana ſunt hæc deliria, & ludibria refutatione indigna, cum eodem negotio hiſtoriæ omnes præteritorum temporum deludi poſſent, imo jam præſentium rerum nulla foret fides. Et ſic non Atheos & religionis omnis expertes redderet facile SPINOSA, ſed ſenſibus & cognitione ac veritate omni privaret homines, ut jam dubitare de ſua ipſa natura novi Idealiſtæ inciperent. Tam enim fere perſuaſi de præſentia Chriſti eſſe poterant apoſtoli, quam de propria ſua exiſtentia. Nec quidquam reſidui fecerunt ipſi diſcipuli, ne deciperentur, aut phantaſmate illuderentur, quorum dubitatio noſtram firmat fidem. Forte neceſſarium ducerent, ut reliqua miracula, ita hoc ſtupendum, & ſupra naturam omnem poſitum coram tota Judaica gente faciendum putarent infideles; ſed ſi tot & tantis non crediderunt ſignis, etiam hic cum SPINOSA phantaſma finxiſſent: jamque ipſe Chriſtus hanc præoccupavit objectionem ſatis perſpectam habens Judaicam incredulitatem, qui MOYSI & prophetis adventum Chriſti aperte ſecundum omnes circumſtantias prædicentibus non credentes, neque, ſi aliquis ex mortuis reſurgat, credituri eſſent. Tametſi enim nos DEO rationem præſcribere haud debeamus, qua ratione

mira-

miracula ſua moderari ac diſpenſare velit; tamen hoc ad Judaicam perfidiam accommodatum recte aſſumimus. Imo addere licet, certos eos etiam de facto hoc miraculo ac ſigno, quod incredulæ nationi dedit benignum Numen, detrectaſſe fidem. Securos ſe contra fraudem præſtituri (cum eis clam non eſſet, prædixiſſe Chriſtum, ſe reſurrecturum tertia die) vigiles ponunt ad ſepulchrum; at cum his nihil obſtantibus Chriſtus in ſepulchro non compareret, vigiles corrumpunt, ut dicerent, diſcipulos furatos eſſe ipſis dormientibus. Cuſtodias poſuerunt ne furarentur diſcipuli, ad furtum tamen recurrunt. Dicent apoſtolos hoc eis impoſuiſſe: at cur non mendacii & calumniæ illos tenent, quos longo tempore ſua in urbe habuerunt publice atteſtantes reſurrectionem? Rei ſacræ & politicæ ratio ſumma & neceſſitas flagitaſſet fabulam & mendacium detegere, &, qui illud in perniciem & infamiam maximam totius gentis proferrent, ſceleris accerſere, dum erant in poteſtate & manibus: aut ſaltem falſitatem detegere, teſtes coram adducere atque illis opponere, qui palam reſurrectionem conteſtantur & inclamant. At opus fuiſſet vigilantes, non dormientes producere: ſi enim dormierunt, teſtari

non potuerunt, quid tunc factum fuerit; ſi vigilarunt, cur non impedierunt diſcipulos furantes; ſive autem vigilarunt, ſive dormierunt, abſurdum eſt, & ſeipſum deſtruit, quod Judæi ſuggeſſerunt, ipſis dormientibus veniſſe diſcipulos, & furatos eſſe corpus. Quibus jam potior habenda eſt fides, dormientibus vigilibus, an tot videntibus teſtibus, qui oſtendiſſe ſeſe Chriſtum a mortuis reſurgentem publice teſtimonium deponunt, quin ulla in teſtimonio dando variatio, ulla unquam vacillatio notari potuerit: quod vero majus eſt, prædixit ſeſe reſurrecturum Chriſtus, hancque unicam ſuis reliquit conſolationem & ſpem: prædixiſſe vero eum, ipſos Judæos habemus teſtes, ejus rei cauſa obſignantes ſepulchrum, ponentes cuſtodias, quibus nihil impedientibus corpus non comparuit: qua ratione expedire omnia potuiſſent vigilibus dormientibus, aut quomodo id auſi fuiſſent, infamiæ notam & ſupplicium, ſi deprehenderentur, certum habentes, dum rumpendum ſigillum, lapis revolvendus, mortuum trahendum corpus? Quomodo tempus hæc omnia agendi aucupari ſe poſſe ſperare potuerunt, dum cuſtodes perpetim invigilaturos debuerunt timere? Cur auctores hujus facinoris, ſi

depre-

deprehenſi aut detecti fuiſſent, non ad debitam tracti ſunt pœnam? Ut potius conſtanter miraculum coram publicarent in magnam totius gentis contumeliam, cum ingenti periculo apoſtolorum aliorumque, qui hoc unanimiter ſemper aſſeverarunt: nec ullus unquam fuit repertus, qui, falſum ſe, aut fefelliſſe fuerit confeſſus, dum carceres, tormenta & mortem quotidie præ oculis haberent & ſufferrent, nulla ſpe niſi in reſurrectione Chriſti, imo ſeſe aperte deluſos exſpectatione ſua contuentes: ut ſi forte a vivente adhuc decepti fuiſſent, mortuo ſaltem nec promiſſis ſuis ſtanti diffiderent, & deſererent. At contra accidit, multo majores animos oſtentant: antea timidi, nunc pericula omnia intrepide pro hac teſtanda veritate ſubeunt, atque hac ſpe mundum ad ſe trahunt, ad eadem experiunda mala & mortem. Quis unquam tale aliquid vidit, aut deſipuit, ut ita ſe deludi ſineret? Quis contra non rationis omnis expertem ſe probat, qui his rationibus viſis adhuc diffidit?

VI. Interim ſi etiam incredulis daremus, fieri potuiſſe, ut aut ipſi apoſtoli deciperentur, aut unus ex illis aſtutior ſublato clam corpore reſurrexiſſe Chriſtum reliquis perſuaderet, anne eadem

Et poſt ejus aſcenſionem Spiritus S. miſſa

cum donis ſuis in apoſtolos.

fraus circa effuſionem Spiritus ſancti contingere potuit? Hoc in prophetis prædictum fuit noviſſimis diebus effuſurum de Spiritu ſuo DEUM ſuper omnem carnem: hoc Chriſtus abiens relictis diſcipulis ſolatium promiſit, & præſtitum omnes in ſe ac completum referunt. Nullus hic ulla ex parte fuit illuſioni locus, nec apoſtoli decipi, nec decipere potuerunt. Agitur non ſolum de teſtimonio omnium ſenſuum, ſed & de interiore rerum manifeſtarum conſcientia, ut quis ſe linguis antea ignotis loqui putet, interiore ſubito Spiritus illuſtratione perfici, miracula edere. Quæ extra nos aguntur, de illis decipi poſſumus, ut videre nos aliter, quam eſt, rem putemus, aliisque fallamur ſenſibus; at poſſe me exiſtimare, linguis pluribus loqui, inter nationum diverſiſſimarum commercium, ſi id verum non ſit, quei accidat? Ac ipſe quidem primus die Pentecoſtes illapſus palam fit, non unius ſed plurium teſtimonio repente proruentium, in die maxime ſolemni, ubi undique gentium confluxus hominum maximus, quorum omnium Græcorum, Romanorum, Partharum, Perſarum, Arabum linguæ audiantur. Agitur de fundamento totius propagandæ religionis per orbem. Quemadmodum enim reſur-

reſurrectio fuit fundamentum ſpei totius diſcipulorum Chriſti, quo corruente & deluſi in vanum cucurriſſent; ita ſine hoc S. Spiritus illapſu fruſtra immenſum evangelii per orbem diſſeminandi conſilium ac negotium ſuſcepiſſent, aut perfeciſſent, ut nullus hic locus fingendi eſſe potuerit: ſi enim hoc feciſſent ante evangelii denunciationem, quomodo fidem præſtitiſſent eorum, de quibus ſe jactabant, de quibus admirandis plena erant ſcripta & ſermones eorum? Si poſtea demum, oſtendatur modus & ratio mundi convertendi, quibus rebus fidem ſibi conciliarint, quomodo linguarum imperiti ac rudes homines prædicare evangelium potuerint? Quid fuiſſet demum, quo orbem ad ſe traxiſſent homines ſimplices, nulla auctoritate inſtructi, pauperes, deſpecti, atque in perpetuis ærumnis & calamitatibus vitam miſere traducentes, & in ſuppliciis acerbiſſimis non ſolum ipſi finientes, ſed & alios omnes ad præſens fortunarum omnium certæque mortis inducentes periculum. Atque hoc faciunt, mira opera non ſolum de magiſtro Chriſto prædicantes, ſed etiam de ſeipſis non præterita, ſed præſentia, atque oculis omnium expoſita aſſerentes. Hæc ſi vera non fuiſſent deprehenſa,

quomo-

quomodo in ſuas partes pertraxiſſent non jam ſimplices homines, ſed doctos & ſapientes, & de aliis omnibus rebus perſuaſos, pro impoſtoribus & ſuperſtitioſis habentes hos, qui tales primum proferebant res, ſenſu omnium expoſitas & probatu facillimas? An ergo in re tam ſuſpecta & nova non omnia prius ſagaces & præjudiciis detenti homines explorarint, examinique ſevero ſubjecerint, quibus fidem adhiberent? Et tamen hoc certatim facit mundus, proque veritate harum rerum omnium omnia deſpicit, ærumnas, tormenta, mortem ipſam oppetit, eis ſe aſſociando, qui hominem in vita deſpicabilem, demum in cruce mortuum pro Numine colendum, abjectis ſacris antiquis omnibus tanquam ſuperſtitionibus, proponunt, & ad fidem obtinendam referunt teſtimonium miraculorum, linguarum aliorumque donorum S. Spiritus.

Et deinceps in alios fideles.

VII. Accedit, quod hæc non ſolum de ſe edicant, ſed etiam eandem virtutem aliis credituris ſe communicaturos ſpondeant. Non ipſi ſolum linguis loquuntur, miracula edunt coram toto orbe, ſed etiam alios hæc perpetrare omnia faciunt: hacque ſpe totum allectant mundum. Quodſi promiſſis ſtare haud potuiſſent, quomodo reperiſſent fidem?

fidem? Potuiſſent forte novitate rei pellectos primo ineſcare homines, ut fiderent iſtis promiſſis aliqui, at ſpe deluſi & exſpectatione doluiſſent, certe tormentis & morti ſeſe non addixiſſent. Alii autem prudentiores facti, nunquam ſeſe cum tanto concrediddiſſent periculo. Aut certe fuiſſent, qui impoſturam coarguerent, litteris mandarent, tot clariſſimis illorum temporum ſcriptoribus res ad nos transmittentibus, qui ſi pauca de his rebus omnibus, quæ ad noſtram religionem pertinent, certe nihil in contrarium protulerunt: cum contra libri noſtri pleni ſint promiſſionibus harum rerum, & relationibus, quomodo Spiritus S. operationes diverſæ non ſolum in apoſtolis, ſed etiam promiſcue in fidelibus reſederint modo ante baptiſmum, modo in baptiſmo, modo poſtea, idque communiter per impoſitionem manuum prout Spiritus S. dabat. An apoſtoli perſuadere proſelytis potuiſſent, ſe hujusmodi inſtructos eſſe donis contra perpetuam experientiam, ſi nihil horum in ſe ſenſiſſent? Præſertim perſuaſione iſta tantopere percrebeſcente, ut neceſſarium duceret S. PAULUS ejus rei moderandæ cauſa Corinthiis (*a*) regulas & modum præſcribere. Nimirum dona hæc ſua diver-

(*a*) 1. Cor. XII. & ſeq.

diverſimode diſtribuerat Spiritus S. Accidebat habere quemquam donum linguarum, quin aut ipſe aut alii in publicis conventibus quod loqueretur intelligerent, ut hoc modo evidentius pateret rem non induſtriæ humanæ eſſe, ſed divinæ virtutis. Aliis etiam modis diverſimode in fidelibus diverſæ Spiritus operationes erant, etiam, in publicis ſynaxibus, quovis ſuo dono intento, facile confuſio oriretur. Hanc ſublaturus D. PAULUS uſum legitimum in omnibus præſcripſit, nobisque oſtendit, quam tunc communia hæc fuerint dona, ac ita omne dubium ſuſtulit, & tergiverſationem incredulorum. Si enim in eccleſia Corinthiaca uſus horum donorum nullus publicus fuiſſet, ut quid PAULUS non modo eum commemoraſſet, ſed etiam eum moderandum in publicis conventibus duxiſſet. Quomodo eos ad æmulanda chariſmata meliora hortatus fuiſſet, ac ſingulorum expoſuiſſet pretium? Taceo quæ aliis in epiſtolis in eandem rem exponit, quæque in actibus apoſtolorum undique ſunt reſperſa, ut ſi hæc demas ex ſcriptis apoſtolicis maximam partem ſuſtuleris, præter apparatum illum inſignem doctrinæ diviniſſimæ & caſtiſſimæ, quæ eſt maximum Spiritus S. in apoſtolis reſidentis & loquentis documen-

men-

mentum, atque ſinceritatis optimum argumentum: unde manifeſtiſſime pateat nec doctrinam nec opera, ſua ediđiſſe virtute, taleſque innocentia & fidelitate fuiſſe, qui imponere nullatenus voluiſſent, ſi potuiſſent etiam, jactando de ſe quotidiana & continua ſine intermiſſione, undique ſe prodentia, omnibus etiam intimis ſenſibus & conſcientia perſpecta & explorata miracula, quibus mundus tantopere contrarius & adverſans converſus, aliis adminiculis & ſubſidiis omnibus deficientibus.

Quo argumento contra quosvis adverſarios & obtrectatores ſemper uſi ſunt chriſtiani a primis temporibus.

VIII. Modus iſte ac ratio divini conſilii, ſuam fundandi ab incunabulis eccleſiam, deinceps, donec plene eſſet conſtabilita, perſeveravit: ut nobis non ſolum ingens inter perpetua martyria & mortes eccleſiæ progreſſus & amplificatio fidem facere poteſt, ſed etiam ingens numerus ſapientiſſimorum virorum demonſtrat, qui res chriſtianas litteris conſignarunt. Hi chriſtiani quidem ſunt, at in paganiſmo, aut etiam Judaiſmo nati & educati, nunquam noſtræ ſeſe adjunxiſſent eccleſiæ, niſi ea pro veris agnoviſſent, quæ viderant, & partim nobis litteris conſignata reliquerunt, imo ſuo conſignarunt ſanguine SS. CLEMENS, POLYCARPUS, IGNATIUS, JUSTINUS, IRENÆUS &c.

quo-

quorum aliorumque innumerorum teſtimonia obſcurare nullatenus poteſt ſilentium ſcriptorum a fide noſtra alienorum, qui aut res noſtras non attingenda ſumſerunt, aut præjudiciis occupati omiſerunt. Quorum ſilentium (etſi univerſale haud ſit, quod vel incantatorum magorumque nomen nobis aſperſum prodit) contra eos, qui nobis ceu argumentum negativum objiciunt, poſſumus retorquere, eosque eodem petere telo, nimirum apud illos ipſos ſcriptores perpetuum eſſe ſilentium, ad ſolemnem & continuam commemorationem ejusmodi operum ſtupendorum a noſtris ubique factam. Quæ ſi falſa noſſent, e re ipſorum fuiſſet, ſaltem verbo indicare imposturam: maxime noſtris hominibus & doctoribus illis hæc objicientibus tam ad ſuadendam noſtram religionem, quam ad exprobrandam inanem eorum ſuperſtitionem. Quod in noſtris Apologiſtis præprimis notandum; S. Justino aperte dicente, ſuo tempore ordinarium in eccleſia eſſe miraculorum donum: Theophilo *Antiocheno* autem itidem religionem per ſanctitatem exorciſmorum, ac poteſtatem in dæmones comprobante: Tertulliano miracula ejusmodi proferente, quæ inter ipſos gentiles, atque

in

in frequentia curiæ imperatoriæ, aut caſtrorum ſunt facta, audacter etiam provocante non cultores tantum, ſed ipſa Numina. *Producatur*, inquit (*a*), *aliquis ex iis, qui de DEO pati exiſtimantur, qui aris inhalantes Numen de nidore concipiunt, qui ructando curantur, qui anhelando præfantur. Iſta ipſa virgo cæleſtis, pluviarum pollicitatrix. Iſte ipſe Æſculapius medicinarum demonſtrator, niſi ſe dæmones confeſſi fuerint, chriſtiano mentiri non audentes, ibidem illius procaciſſimi chriſtiani ſanguinem fundite. Quid iſto opere manifeſtius, quid hac probatione fidelius? Simplicitas veritatis in medio eſt. Virtus illi ſua aſſiſtit. Nihil ſuſpicari licebit magia aut alia hujusmodi fallacia fieri. Dictis non ſtetis, ſi oculi veſtri & aures permiſerint vobis.* Eadem referunt (*b*) MINUTIUS *Felix*, S. CYPRIANUS ad DEMETRIANUM, ARNOBIUS, LACTANTIUS alii de dæmonibus tum corpora hominum cum idola obſidentibus, ad chriſtianorum præſentiam & exorciſmos, aut pulſis, aut vi omni exutis ac conticeſcentibus. Quod FIRMILIANUS (*c*) etiam affirmat de Judaicis ſacris veneratione ac

O divi-

(*a*) TERTULL. Apol. c. 4.
(*b*) Vid. M. HOUTEVILLE la Relig. chret. prouvée par les faits.
(*c*) Apud CYPR. ep. 75.

divina operatione poſt Chriſtum omnino deſtitutis ad chriſtianos divina omni tranſeunte virtute. S. IRENÆUS ac alii hoc argumenti genere hæreticos ſtringunt: cum vero ipſi etiam jactarent miracula, diſcrimen verorum a falſis atque ea dignoſcendi prodit criteria: *Non*, inquit, *in virtute DEI, neque in veritate, neque in beneficiis hominibus facientes ea quæ faciunt, ſed in perniciem & errorem per magicas eluſiones & univerſa fraude plus lædentes, quam utilitatem præſtantes his qui credunt eis, in quod ſeducant. Nec enim cæcis poſſunt donare viſum, neque ſurdis auditum, neque omnes dæmones effugere præter eos, qui ab ipſis immittuntur, ſi tamen & hoc faciunt, neque debiles aut claudos, aut paralyticos curare, vel alia quadam parte vexatos, vel earum quæ a foris ſunt infirmitatum bonas valetudines reſtaurare. Tantum autem abſunt ab eo, ut mortuum excitent, quemadmodum Dominus excitavit, & apoſtoli per orationem, & in fraternitate ſæpiſſime propter aliquod neceſſarium, ea quæ eſt in quoquo loco eccleſia univerſa poſtulante per jejunium & orationem multam, reverſus eſt ſpiritus mortui, & donatus eſt homo orationibus ſanctorum.* Sed ſuus erit dicendi locus de hoc miraculorum genere, quod veram a falſis hæreticorum demonſtrat eccle-

ſiam,

ſiam, nec unquam penitus ceſſat; licet non ea contingant frequentia, qua divina benignitas pro infidelibus initio eccleſiæ ea præſtare dignatus eſt. Claudam hanc materiam S. AUGUSTINI (a) ſententia, os incredulis obſtruente omnino: *Cur*, inquiunt, *nunc illa miracula, quæ prædicatis facta eſſe, non fiunt? Poſſem quidem dicere, neceſſaria fuiſſe prius, quam crederet mundus, ad hoc, ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia, ut credat, inquirit, magnum eſt ipſe prodigium, qui mundo credente non credit. Verum hoc ideo dicunt, ut nec tunc illa miracula facta fuiſſe credantur. Unde ergo tanta fide Chriſtus uſquequaque cantatur in cælum cum carne ſublatus? Unde temporibus eruditis, & omne quod fieri non poteſt, reſpuentibus ſine ullis miraculis nimium mirabiliter incredibilia credidit mundus? An forte credibilia fuiſſe, & ideo credita eſſe dicturi ſunt? Cur ergo ipſi non credunt? Brevis eſt ergo noſtra complexio. Aut incredibilis rei, quæ non videbatur, alia incredibilia, quæ tamen fiebant & videbantur, fecerunt fidem, aut certe res ita credibilis, ut nullis, quibus perſuaderetur, miraculis indigeret, iſtorum nimiam redarguit infidelitatem. Hoc ad refellendos vaniſſimos dixerim.*

(a) De Civ. DEI. L. XXII. c. 8.

CAPUT XV.

Veritas religionis chriſtianæ ex mirabili ejus propagatione demonſtrata.

I.

Propagatio chriſtianæ religionis ejus veritatem ad oculum demonſtrat.

Quæ paucis mox attigimus verbis, nunc latius nonnihil ſunt evolvenda, ad dejiciendum prorſus infidelitatis monſtrum. Miracula, quibus primum eſt conſtabilita eccleſia, & fundata, etiam manifeſtiſſimis firmata rationibus, quia tamen res ab obtutu nimium remotæ palpari nequeunt, geometricis demonſtrationibus aſſuetos non commovent & convincunt. Nec etiam aliena fide, ſibi unice ſuffæni ſuaque exiſtimatione ſapientes, duci volunt; dum illis proponimus fieri haud potuiſſe, ut tot homines dira quæque ac mortem ipſam ultro ſuſtinerent pro veritate eorum prodigiorum, quibus noſtra primum aſſerta eſt religio. At quando hodieque vident, quod omnium maximo miraculo, ac primo ſtatim ortu eccleſiæ accidit, ut religio chriſtiana, mox per orbem difſuſa, hactenus perduret, quid amplius tergiverſentur non habent? *Multorum*,
a. dicere cum S. AUGUSTINO (*a*) nobis liceat,

(*a*) *De Civ.* DEI L. XXII. c. 5. ad finem.

liceat, *incredibilium teſtimonia tanta congerimus, & nondum ad credendum horrenda duritia incredulos flectimus. Si vero per apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur, reſurrectionem atque aſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.* Refert illic, miratum eſſe CICERONEM, quod ROMULUS in deorum numerum ſit relatus, cum jam doctis hominibus ac temporibus ipſis eruditis ad fingendum vix quidquam eſſet loci: quæ ſunt ipſa TULLII (*a*) verba. At recte ſanctus doctor obſervat, magis poſt ſexcentos annos paulo poſt ætatem CICERONIS ſub AUGUSTO atque TIBERIO, eruditioribus utique temporibus reſurrectionem Chriſti atque in cœlum aſcenſionem tanquam id, quod fieri non poteſt, videri debuiſſe, niſi eam fieri potuiſſe, atque factam eſſe divinitas ipſius veritatis, vel veritas divinitatis, & conſtantia miraculorum ſigna monſtrarent, ut terrentibus & contradicentibus tam multis tamque magnis perſecutionibus, præcedens in Chriſto, deinde ad novum ſæculum in cæteris ſecutura reſurrectio atque immortalitas carnis & fideliſſime crederetur, & præ-

(*a*) Ibid. c. 7.

dicaretur intrepide, & per orbem terræ pullulatura fœcundius cum martyrum ſanguine ſereretur. Potuiſſe prædominantem Romam ſubjectos, quos populos tenebat facile hac perſuaſione perfundere, ad alias omnes ſuperſtitiones paratos, haud mirum magis eſt, quam poſtea Mahumedaniſmus faventibus armis & ſenſuum lenocinio tantam orbis partem occupavit, uti prius etiam paganiſmus longo demum annorum tractu convaluit. Chriſtianiſmus vero brevi temporis intervallo hominum mentes & corda rapuit miſeria & opprobriis comitatam principibus ac potentia ſæculi in perniciem ejus conſpirantibus. Vix e ſepulchro Chriſtus prodiit, duodecim homines mundum inter ſe dividunt, & Chriſto lucrantur tam rapido curſu, ut innumera ſæculo apoſtolico & mox ſequenti habeantur documenta ſuſceptræ
a. undique chriſtianæ religionis (*a*). Initio quidem omnes potentes ſapientesque conjunctos in perniciem illius videas. Hinc clamor ſeditioſus populorum, illic ſupplicia confeſſorum. In ipſa eccleſiæ viſcera hæretici graſſabantur, idque tunc maxime, cum pace a perſecutoribus reddita, tranquille degere videretur. Et hactenus quidem ſemper ita crevit, atque

que

(*a*) Vid. Houtev. T. II, c. 16.

ne in ſuo firma permanſit ſtatu. Vi-
:as omnes ſacras & profanas respubli-
ıs per temporum vices inſtrui & ever-
; ſola eccleſia chriſtiana inter motus
:rpetuos immota ſtat.

Qua hactenus perſiſtit nihil obſtantibus maximis difficultatibus coaleſcens.

II. Nemo mihi dicat, Mahumedaniſ-
us hodieque magnam implet orbis por-
onem, Paganiſmus quanto ſæculorum
ımero replevit orbem? Non ampli-
dinem chriſtianæ religionis urgemus,
d mirabilem quo tam cito pervaſit or-
:m, ac ſubſiſtit, curſum. Regnum iſtud,
uod a DANIELE longe ante præviſum,
ontritis reliquis ſubito ex parvo lapide
:crevit in montem magnum, qui uni-
:rſum repleret orbem, atque in æter-
ım ſtaret, portis inferi nunquam præ-
ıliruris adverſus eam, ut prædixerat
hriſtus, atque notaverat (*a*), quibus
on obſtantibus ſic immobilis con-
tere debeat: *Venerunt flumina, fla-
runt venti, & irruerunt in domum il-
m, & non cecidit, fundata enim erat
pra firmam petram.* Illa omnia regna,
ı omnes reges & potentes, qui rui-
ım illi minitabantur, qui, quo minus
onſtabiliretur, conſilia omnia & vires
ntulerant, qui ex ipſo ſinu illius pro-
untes rumpere allaborabant, perierunt
nnes, ipſa firma perſiſtit, & conſti-

) Matth. XVI. 18.

tit omni humana ope deſtituta, quaſſata horrendis tempeſtatibus, quæ naufragium tandem prænuntiabant, ſi humanis ageretur conſiliis. Poſt tria tandem ſæcula CONSTANTINUS M. ejus in ſe ſuſcepit tutelam, mox iterum ſecuti, qui intus & foris in ejus graſſabantur perniciem. Verum eſt jam tunc altas ubique eam egiſſe radices, & qui eam inceſſabant, JULIANUM ſi excipias, commodis illius tamen fuiſſe intentos, licet præpoſtero id agerent ſtudio. Objiciet etiam aliquis jam tunc præjudicia nativitatis & educationis apud pleroſque locum habuiſſe. Quæ omnia nihil noſtræ officiunt cauſæ, qui mirabilem potiſſimum ortum, & fundationem eccleſiæ ſuſpicimus, qua primum conſtitit contra tot præjudicia obſtaculaque, nullo humano ſuperanda conatu & conſiliis. Quodſi principes & potentes ſæculi ad ſtabiliendam chriſtianam religionem concurriſſent, videri potuiſſent commodis ſtatus atque reipublicæ tranquillitati conſultum voluiſſe pura morali chriſtiana, atque ad continendos in officio ſubjectos apta. Sapientes & philoſophi gloriam aucupari potuiſſent ex ſublimitate myſteriorum, præſtantia virtutum, ac ſingularitate doctrinæ. At ſimplices & rudes piſcatores, quei excogi-

cogitare potuiſſent & perficere ſyſtema tam præclarum & ingens commutandæ doctrinæ & religionis totius orbis, morum ac vitæ mortalium omnium? Quid fieret, quæſo, ſi quis hodie talem aliquam metamorphoſin tentaret, qualem feliciter effectum iverunt apoſtoli? Ad eorum prædicationem ſubito præconceptæ omnes ex humanis mentibus pelluntur opiniones, ſyſtema religionis avitæ deſeritur, pro fabulis habentur ſacra, dii pro immundis ſpiritibus, dæmonibus orci. Ad vocem hominum nulla auctoritate, arte, eloquentia aut alio quovis humano auxilio fultorum, templa deſeruntur, idola cadunt, ſacrificia ceſſant, totus mundus aliam faciem, aliam religionem ſumit. Atque, quod maxime mirandum eſt, pro diis & ſacris liberis, humanis affectibus arridentibus, pro placitis naturæ vitiis faventibus, ardua & ſevera religio, vita & doctrina dura & difficilis ſuſcipitur. Verum eſt, religionem chriſtianam propitium Numen atque reconciliatum iratum DEUM per Chriſti redemtoris merita exhibuiſſe ac denunciaſſe; at vero arduam omnino & inſuetam incedendam crucis viam præeunte magiſtro oſtendebat, hominibus vitiis innutritis, cupiditatibus deditis omnino ingratam & ſuperatu difficilli-

mam. Nihilominus ab hominibus humanæ ſapientiæ expertibus omnibusque præſidiis deſtitutis, cito hæc univerſo perſuadentur orbi, breviquе tempore doctrina mundo inimica apud disjunctiſſimas mundi nationes ſuſcipitur, tanquam divinitus ad nos delatum donum, atque cœleſtis veritatis ſortitur teſtimonium, & ad extremam uſque ſanguinis guttam ubique terrarum defenditur contra præjudicia nativitatis, educationis ac morum vitæque veteris: unice moventibus factis quibusdam mirandis creditis. Quæ igitur cujus generis eſſe debuerint, quam rite examinata & probata, hæc quidem ingens demonſtrat mutatio. *Quodſi*, concludere nobis licet cum veteri religionis noſtræ aſſertore (*a*), *falſa hiſtoria illa rerum eſt, unde tam brevi tempore totus mundus iſta religione completus eſt, aut in unam coire qui potuerunt mentem, gentes regionibus diſſitæ, ventis, cæli convexionibus dimotæ? Aſſeverationibus illectæ ſunt nudis, inductæ in ſpes caſſas, & in pericula capitis immittere ſe ſponte temeraria deſperatione voluerunt, cum nihil tale vidiſſent, quod eas in hos cultus novitatis ſuæ poſſet excitare miraculo.*

Nec refert quod Judæi in-

. III. Difficultatem hic nobis Judæi faciunt. Hi eorum admirandorum factorum

(*a*) Arnob. L. I. adv. Gentes.

rum αὐτόπται, & oculati teſtes, quæ deinceps fidei præcones confirmarunt tantum, cur non crediderunt? Qui de venturo Meſſia, qualem ſeſe eis Chriſtus præſentabat, non certiores tantum dudum erant facti; verum etiam avidiſſime eum exſpectabant, & quidem eo ipſo tempore, quo vivebat Chriſtus, quo non ſolum ad eum ardentius aſpirare faciebat miſer, quo premebantur, ſtatus; ſed etiam alia omnia ſpem nutriebant. Hactenus quidem uſque ad Chriſti tempora nunquam leguntur Meſſiæ præſens exiſtimaſſe tempus, quod, quæ ei convenire deberent ſigna, necdum ſe prodebant. At tempore Chriſti fama illius & exſpectatio undique percrebuerat, ut ſecta integra inter Judæos eſſet, qui HERODEM pro redemtore Iſraelis haberent. Celeberrimus tunc inter Judæos JOSEPHUS ex Levitico ac ſacerdotali genere gnarus Judaicarum prophetiarum, cum tempus Meſſiæ tunc congruere videretur, at miſer & dejectus Judæorum ſtatus non reſponderet exſpectatis: non dubitavit ſcripturæ oracula principi extraneo Judæa potito, VESPASIANO imperatori applicare: contra ac apud ipſos gentiles rumor erat & fama, Judæa profectos rerum potituros. Non enim a Judæis ſolum

credull fuerint, quorum maxime intererat ſuſcipere Chriſtum.

lum ea orta erat perſuaſio, ab oriente, & ex gentilium traditione præſertim carminibus SIBYLLARUM, ut pluribus ſcriptorum eorum teſtimoniis edocemur, licet nunc genuina non ſuperſint SIBYLLARUM oracula, eadem undique percrebuerat. Et tamen Judæi, queis ſe Chriſtus pro tali offerebat, eum ſuſcipere detrectant, quod nimirum voluntati & deſideriis eorum non reſpondebat exſpectatio. Status eorum tunc attritus liberationem flagitabat, cujus ſpem humilis Chriſti conditio haud nutriebat. Subigendum illi Romani imperii faſtum avebant, atque terrenum ſuum reſtituendum regnum, gloriam & majeſtatem dominatus ambiebant. Horum dum nihil in Chriſto cernerent, quæcunque diceret & ageret, ut ſuam oſtenderet miſſionem, nihil proficere potuit adverſus concepta ſemel præjudicia atque inſitas in mentibus opiniones cupiditati & ambitioni faventes. Nec mirum hoc videri debet, cum hodieque ſæpiſſime videamus his deſideriis magnam hominum partem ſpem ſalutis ſuæ conſecrare. Judæi autem eo ſecurius hac ſe fovebant perſuaſione, quod prophetæ mirifice extollant pacem & felicitatem per Meſſiam offerendam, quam illi carnaliter ſapientes de

bonis & proſperitate præſentis vitæ interpretabantur: cum Chriſtus contra, omnia alia dictitaret, oſtentaretque: regnum ſuum non eſſe de hoc mundo conteſtatus, atque eos, qui eum regem facere vellent, fugiens. Ut vero regnum ſibi a Meſſia ampliſſimum ac æternum pollicebantur; ita legem & cærimonias perennes in animum inducebant fore, aſſueti illis & innutriti pro ſummo piaculo habebant vel minimum eorum violari ritum in ſacrificiis, feſtis & ſolemnitatibus, conſecrationibus, purificationibus &c.

Cum apoſtoli crediderint & potuerint immenſum opus evangelii perficere.

IV. His præjudiciis tenebantur Judæi, atque inter hos apoſtoli antequam a Chriſto erudirentur. Paulo quidem antea JOANNES *Baptiſta* ad ſe converterat Judæorum attentionem & mentem. Facile ad eum in deſertum concedebant, atque ei aurem præbuerant, turmatim ab eo baptizati in pœnitentiam, dum ſpem ſua prædicatione injiceret appropinquantis regni DEI. At cum poſtea in Chriſtum digitum intenderet hunc demonſtrans agnum, qui tollit peccata mundi, illi vero jugum potius ſervitutis terrenæ auferendum, & reſtitutionem regni Iſraelitici in ſtatum ampliſſimum, cui etiam reges terræ & principes colla ſubmitterent, præſtolantur, imparem

Chriſti

Chriſti conditionem ad hæc præſtanda contuentes, ſpem omnem abjiciunt præter paucos JOANNIS diſcipulos, Chriſti poſtea apoſtolos. Quos etiam primum ad JOANNEM remiſit ad factam interro-
a. gationem, (*a*) num ipſe eſſet, qui venturus eſt, ut renuntiarent, cæcos videre, claudos ambulare, leproſos mundari, ſurdos audire, mortuos reſurgere, & pauperes evangelizari: quibus ei diſpenſationem miſſionis ſuæ omnem declaravit, qua mundus ad Chriſtum converſus eſt, quave apoſtoli cum ſecuti ſunt, paulatim exutis præjudiciis avitis de terreno dominio, cujus ſpe primum tenebantur, & magnifica quævis in eo ſibi fingebant munia, non ſine contentionibus & æmulationibus mutuis, dum demum per mortem Chriſto omnia alia accidere viderent; ſibique prædici cernerent. Igitur nova ſpe erecti non ſolum vanam, terreni principatus abjecerunt exſpectationem; verum etiam præjudicia omnia, quibus eos avita religio imbuebat, atque ſenſus animum & cor penitus occuparat, cito abjiciunt, non obſtante educatione & conſuetudine inolita apud eos pleroſque ſenes, qui in retinendis illis tenaciores ſunt, quæ ſe diuturno uſu pietatis & religionis ſpecie com-

(*a*) Matt. XI. 3. &c.

commendant, legem Moſaicam cum cæ-
rimoniis tot & ritibus deſueſcunt, fidem
in Chriſtum prædicant, non ſuis tantum,
ſed gentilibus, qui antea horrori erant
& execrationi. Inter eos vero maxime
zelo exardeſcit, qui prius perſecutor, a-
cerrimus paternarum traditionum æmu-
lator exiſtebat, PAULUS ſolus inter a-
poſtolos doctus, ex Phariſaica ſecta ri-
tuum ſtudioſiſſima, & legis Moſaicæ o-
mnium obſervantiſſima ad extremum
uſque apicem. Hic jam CEPHÆ, qui
inter Chriſti diſcipulos primus erat, &
in legis abolitione atque communione
cum gentilibus quadam utendum diſpen-
ſatione exiſtimabat, in faciem reſiſtit,
gloriæ ſibi unice ducens gentium fieri
doctor, atque præ reliquis apoſtolis mun-
dum inter ſe dividentibus, in eorum
elaborare converſione, tam intrepido a-
nimo, ut in nulla re niſi in infirmitati-
bus, perſecutionibus, ſuppliciis, ac cru-
ce Domini (*a*) gloriaretur, tam proſpero a.
ſucceſſu, ut ad Romanos ſcribens (*b*) b.
jam de eorum in Chriſtum fide dicere
poſſet, quæ annuntietur in univerſo
mundo, myſterii *in cunctis gentibus cogni-
ti.* Coloſſenſibus autem ſcribens (*c*), c.
gra-

(*a*) Rom. I. 8.
(*b*) Ib. XVI. 26.
(*c*) Col. I. 6. & 23.

gratulatur, quod ad eos pervenerit evangelium, ſicut & in univerſo mundo eſt, & fructificat, & creſcit. Idemque ſe miniſtrum evangelii gloriari jam potuit, quod prædicatum eſt in univerſa creatura, quæ ſub cœlo eſt. Eadem deinceps ſemper fuit primorum chriſtianorum doctorum, non ſolum gloria, tam cito omnem terram ac orbem repleſſe evangelium, verum etiam chriſtianæ veritatis invicta demonſtratio, quod gentes, populi, nationes, & incredulum illud, ut ARNOBIUS vocat, genus humanum, tam ſubito credidit. *Quod*, inquit ille (*a*), *niſi aperta res eſſet, & luce ipſa, quemdmodum dicitur clarior, nunquam rebus hujusmodi credulitatis ſuæ commodarent aſſenſum.* Hinc enim manifeſtum redditur, vera fuiſſe comitata tam ſubitam converſionem ſigna. *Virtutes*, ait idem, *ſub oculis poſitæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipſo fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto, eas ſubdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis aſſenſum mente una concurrere gentes & populos fecit, & moribus diſſimillimas nationes.* Quod argumentum adhuc multo magis ſtringit eos incredulos, qui non ſolum hæc facta præ oculis cernunt, ſed

etiam

(*a*) ARNOB. L. I. adv. Gentes.

etiam futura, dudum prædictum eſſe noverunt. *Abſit enim*, concludam cum S. AUGUSTINO (a) *ut ſic intelligenda ſint, quæ prædixit, quomodo volunt hi, qui hoc cum mundo non crediderunt, quod mundum crediturum eſſe prædixit. Cur enim non potius ita, ſicut crediturus tanto ante prædictus eſt mundus, non ſicut pauciſſimi garriunt, qui hoc cum mundo, quod crediturus prædictus eſt, credere noluerunt.* a.

Prout arcanis divinis conſiliis placuit accendere evangelii lucem.

V. Quod contra illos etiam valet, quos modus, quo DEUS per tempora & loca accendere voluit lumen fidei in diverſis mundi plagis, offendit, dum uſque ad præſentem diem populos infidelitatis tenebris obſeſſos cernimus. Inter illos, ad quos fidei lux allata, multæ nationes integræ ei oculos clauſerunt: ubi vero olim floruit maxime religio, nunc jacet celebratiſſima orientis eccleſia. Quaſi humani ingenii ſit & ſagacitatis receſſus omnes arcani DEI conſilii & rationes perveſtigare: aut DEUS promiſerit uno tempore omnes terræ incolas ad fidem convertere, cum ſint multi vocati, pauci vero electi, juxta Chriſti effatum: atque DEUS electos ſuos undique gentium colligat ex divinæ gratiæ ſuæ magnitudine, alios vero derelinquat ac deſerat

(a) De Civ. DEI L. XXII. c. 25.

pro meritis ſecundum æquiſſimas divinæ juſtitiæ ſuæ leges. Nec tamen ideo promiſſis ſuis deeſt, aut ceſſat eccleſia in orbem eſſe diſperſa, licet non totum ſemper occupet orbem, modo hic, modo illic floridior, nunc iſthic occidat, illic oriatur; ut quidem undique luceat, at non eadem ubique claritate: ſemper ſit eccleſia corpus per orbem late ſeſe diffundens, & omnium oculis conſpicuum & viſibile, nec ſit terræ angulus, in quem non aliquando lux fidei penetrarit, aut populus exiſtat aliquis, nunquam ad eccleſiam Chriſti congregandus, licet non uno eodemque tempore, currentibus ad finem uſque ſæculi fidei præconibus, atque agrum dominicum colentibus. Ipſi Judæi, qui primum Gentiles ad Chriſtum vocarunt, aliquando viciſſim per Gentiles ad Chriſti adducentur eccleſiam. Sunt hæc prædicta haud minus, ac eorum cæcitas & induratio, qua hactenus velamen eſt ante oculos eorum, ut videntes non videant, ut tamen ſit futura aliquando eorum ad Chriſtum converſio in fine temporum: atque adeo ſingulari DEI conſilio conſervantur, ne prorſus exterminentur, aut aliis commiſceantur cum nationibus depoſitorii ſacrorum librorum in teſtimonium nobis contra ſeipſos undique diſperſi,

ſperſi,

ſperſi, teſtes minime ſuſpecti, & undique præſentes: quod non opportune adeo accidiſſet, ſi aut converſi aut exciſi fuiſſent, ſic enim teſtes omnino nulli forent relicti, aut non idonei adeo, partium ſtudioſi & Chriſto addicti. Dum modo illo ipſo ſummo deſiderio, quo Meſſiam præſtolantur, perpetuum nobis perhibent teſtimonium: quove longius tempora procedunt, & ætas, eo magis ſe fruſtratos intelligere poſſunt ſpe & exſpectatione Meſſiæ: ut jam ſit pervicacia ſumma, ubi nihil amplius reliquum eſt, quod in prophetiis faveat ipſis, ac tamdiu ſacris omnibus exciderint, & privilegiis ſibi peculiaribus, conſequenter in univerſali gentium vocatione rite antiquatis, utpote uni genti propriis, cum DEUS ſit Dominus omnium: atque adeo ingens ſit Judæorum in Spiritum S. peccatum, invidentia donorum Spiritus S. & ad veram religionem vocationis: quo peccato tamdiu jam detinentur in hac & altera vita pœnam dantes; donec tandem aliquando ex illis exſurgant, qui hac perverſa per DEI gratiam liberati mente, chriſtianis ſe jungant, fiatque unum ovile & unus paſtor. Quod a DEO O. M. ad ſuæ gloriæ amplitudinem, ac humani generis, ejusque ſelectæ gentis, ex qua naſci debuit Chri-

ſtus, ſalutem impenſe precari omnes debemus.

CAPUT XVI.

Rationi fidem detrectanti, ac contra veritatem chriſtianam ſeſe opponenti, difficultatesque moventi occurritur.

I.

Qui accidat, ut poſt tanta pro veritate chriſtiana præjudicia multi adhuc infideles ſint.

Poſt hæc tam ingentia pro chriſtiana religione præjudicia mirari ſubeat, reperiri, qui victas ei manus dare detrectent, dum illis multa cum ſuis præjudiciis, affectibus, & ſuperba perverſitate non ſatis in ea conveniunt, qui ſeria & ſacra omnia naſo ſuſpendunt adunco, & derident. Quos aliæ ſequuntur imbecilliores mentes, a fortibus his ſpiritibus derideri nolentes, & hinc eorum ſequuntur partes, ſatius ducentes in deridentium horum numero exiſtere, quam cauſam eorum riſus eſſe. Multi occultis de religionis veritate dubiis anguntur, quibus dum ipſi ſatisfacere nequeunt, aliis vero patefacere erubeſcunt, non eouſque attingunt mentis acie, ut allatas a nobis pro veritate chriſtianæ religionis illuſtriſſimas notas ſecum reputent, potius occupari delectant

in

in legendis impiorum ejuſmodi hominum libris, aut ſectanda eorum familiari conſuetudine, qui ſeſe fortia venditant ingenia: inde venenum hauriunt, ac varios in mente ſcrupulos concipiunt, ex quibus aut nunquam aut difficillime deinceps liberentur: quod præſertim apud eos facile evenit, qui rerum divinarum ignorantia laborant, ac nullo religionis ſtudio tenentur: dum conſpiciunt chriſtianorum pugnas, & ſectarum ſeſe mutuo damnantium capitales diſcordias, inde a primis chriſtianis temporibus, ortuque mundi: dum cernunt alios aliis objicere ſuperſtitiones uſque ad fœdiſſimas idololatrias: dum vident jactare etiam adverſas religiones hujusmodi motiva credibilitatis, ſua miracula, ſuos vates: dum ſe longiſſime a Chriſti ævo remotos cernentes, difficillime perſuadere valent, de rebus tunc geſtis, de quorum veritate aut certetur, aut non liquido conſtare videatur: dum intellectum ſuum refragarium ad credenda multa humanæ rationi impervia dogmata, voluntatem renitentem jugo difficili, ac doctrinæ morum aſperæ ſubjicere detrectant (*a*). Non conſiderantes, quod ipſa

(*a*) *Le joug qu'il nous impoſe eſt, dit-on trop penible. Ses dogmes ſont obſcurs, ſa morale eſt terrible.*

hæc religio cauſas harum rerum omnium optime pandat, cum corruptionem humanæ mentis oſtendit: unde illæ diſcordiæ & ſuperſtitiones, unde illa poteſtas tenebrarum, quæ ſe ſæpe ad decipiendos homines transfigurat in angelum lucis; unde illæ mentis tenebræ, quæ cæcutit in divinis myſteriis, voluntatis perverſitas ad malum proclivis: ſunt dogmata hujus religionis, quæ ſana ratio docet, quamvis alia comprehendi nequeant; alia vero, quæ maximopere ſcire flagramus, non aliunde, quam a religione noſtra innoteſcunt: omnia autem ad noſtram ſalutem conſpirant, gloriam DEI mirifice illuſtrant, a rebus mundanis ad cœleſtes nos evehunt, affectus noſtros domant, animæ tranquillitatem afferunt. Quæ omnia ita comparata ſunt, ut nec ſanctiora, nec ſublimiora uſpiam inveniantur.

Cum religio chriſtiana rationes non detrectet, & demonſtrationes in ſua ſphæra.

II. Qui hactenus a nobis dicta, præſertim ſuperiore capite allata expenderit, facile intelliget, nihil minus nos quam rationem a negotio religionis excludere: quin omnino volumus, ut in hac re omnium maxima ac ſummi momenti neutiquam cæco irruamus impetu, nec eo ſolum præjudicio nos religioni conſecte-

mus,

Nos eſprits, & nos cœurs ſont en captivité.
RACINE.

mus, quod in ea nati ſimus & educati, alias enim ſuadendum Turcæ, Judæo, ac Gentili foret, ut in patrio ſuo perſiſtat cultu. Non ita docet chriſtiana religio, quæ vult eſſe rationabile obſequium, jubet omnia probare, quod bonum eſt tenere; ac laudat eos, qui haud ſegniter diſquirunt, utrum omnia recte ſe habeant: qui aliter de religione huic addictis ſentiunt, injuriam eis faciunt, ut jam olim EUSEBIUS(*a*) ejusmodi ſycophantas retundit. *Jam demonſtrationes ordiri juvat*, inquit, *cum enim frequens nobis inſultaverit ſycophantarum multitudo affirmantium nihil nos poſſe evidenti veritatis oſtenſione demonſtrare, ſed tantum velle, ut videant, qui ad nos veniunt &c.* Hoc ergo conſilium EUSEBII fuit in adornanda demonſtratione ſua evangelica: demonſtrationem ſuſcepit in oſtendenda ex motivis credibilitatis veritate religionis chriſtianæ. In eo enim potiſſimum ratione utendum, ut indagemus, an a DEO proveniat religio noſtra: de quo cum ſemel certi fuerimus, jam tuto rationi renunciatur, & DEO de reliquo fides adhibetur. Inſipientis eſt, religionem ſuſcipere ſine diſquiſitione rationis: at infidelitatis notam incurrit, qui dubitat de ſua fide, cu-

(*a*) Demonſt. Evang. c. 1.

jus novit DEUM eſſe auctorem. Quare credenti duo ſunt conſideranda: Motivum, quo ad credendum inducimur, ac per quod intelligimus fidem noſtram cœlitus eſſe delatam: atqui hic interveniat ratio neceſſe eſt. Alterum ſunt ipſi fidei actus ac habitus, quibus credimus veritates nobis divinitus propoſitas, quam etiam maxime fuerint incomprehenſibiles: hic autem ratio deficit. Motiva credibilitatis evidentem faciunt ex una parte fidem; myſteria autem, quæ credere jubemur, ita omnem intellectum noſtrum excedunt ac ſuperant, ut rationi hic locus non ſit. Hinc patet, qua ratione, cum nihil poſſit eſſe verius religione vera, in ea ratio minime ſit formidanda, aut deponenda; quamvis ejusdem religionis ſublimitas nos doceat, uſum rationis non eſſe extendendum ad ipſam myſteriorum comprehenſionem. Præſertim autem chriſtiana religio diffidere nos docet rationi corruptæ, quæ in tantis verſatur tenebris (notante etiam Aristotele) ut multa falſa probabiliora veris habeat, quamvis eouſque cæcitatis non pertigerit, ut contradictoria inter ſe non diſtinguat. Utque aliud eſt adverſari rationi, & aliud ſuperare intellectum; ita aliud rationi in ſacris arbitrium concedere, aliud ſo-

briam,

1, divinaque revelatione & gratia
am & illuſtratam adhibere. Ita enim
ſ religionis chriſtianæ placita ferunt,
ndum eſſe temperanter pro modo
itionis, quam cuique admenſus eſt
S, eorum, qui minus intelligunt
idam eſſe imbecillitatem, quique
quadam in parte ſentiunt, exſpe-
los eſſe, donec & ipſis DEUS reve-
eritatem: nunc ex parte nos ſcire,
tempus, quo cognituri ſimus ple-
credendum.

. Et quoniam commune eſt axio-
Diſcentem oportet credere, idque lo-
habet in omni doctrina addiſcen-
eoquod aut prima ſcientiarum prin-
ſupponantur, aut ii, qui primum ſe
diſciplinæ tradunt, omnia inti-
penetrandi capaces non ſunt: quan-
nagis hoc obſequium fidei divino
ſtro eſt tribuendum in difficilibus
onis punctis, cum utique minus
nobis affulgeat ad penetranda divi-
yſteria, quam humanas artes &
tias. Itaque ſubigendus eſt intel-
s, ut quæ divina nobis revelavit
is, nihil obſtantibus rationis obmur-
tionibus credat. Neque ſtatim quod
non comprehendamus, ejus fides
enda. DEUS cum ſuis myſteriis,
incomprehenſibilis ſit, non idcir-

Mirum autem non ſit in divinis eſſe, quæ intellectum noſtrum tam imbecillem ſuperent.

Cur divinas veritates deceat, noſtrum captum ſuperare.

V. Hæc autem in negotio religionis conſideraſſe multum juvat, augetur enim veneratio Numinis ac myſteriorum: ſiquidem artifex etiam in humanis rebus eo majorem apud omnes laudem conſequitur, quod longius opus ejus omnium excedere captum fuerit deprehenſum, & quo recondita magis ac profunda in quoquam agnoſcitur ſcientia, eo majoris æſtimatur. Caligo etiam & tenebræ intellectus noſtri, quas in myſteriis experimur, magis nos de noſtra indigentia convincunt, propter quam divina luce nos juvari ac colluſtrari ſit opus: hinc ad divina diſcitur recurrendum eſſe oracula, ſedemque ſapientiæ æternæ, id eſt conſectandam religionem. Contra vero confidentia de ſeipſo ac propria ſcientia a DEO & religione abducit, præſertim ſi nihil admittere lubeat, niſi quod plene ſit perceptum: aut ſi nimium curioſitatem noſtram paſcamus in divinis rimandis myſteriis, libertate ſumta de omnibus philoſophandi, & ad captum etiam popularem revocandi: qua in re illud Lyſidis Pythagorici ac SYNESII laudatur: Τὸ δημοσίᾳ φιλοσοφεῖν μεγάλης ἐς ἀνθρώπους ἦρξε τῶν θείων καταφρονήσεως. *Apud populum philoſophari, cauſa hominibus fuit magni contemtus rerum divinarum.*

VI. Ne

XVI. Ne igitur dicant impii nullum apparere ſcopum DEO dignum in myſteriis, cum illa utiliſſima ſint in excitande religioſa veneratione, & pietatis erga DEUM ſtudio, & nos ad DEUM manuducant; quod etiamſi nolint agnoſcere in veritatibus revelatis, debebunt myſteria in naturalibus, in quibus tam multa admirantur, conſequenter ad agnoſcendum infinitis modis ſapientiorem, ſcientioremque opificem compellunt. Tot in rerum natura deprehenduntur miracula, quibus vel concipiendis tantum, humana ratio non ſufficit, quæque neutiquam cum myſteriis fidei conferri poſſunt: ſiquidem ea ſint ſenſibus expoſita, & naturæ aptata ac convenientia, fidei vero myſteria de rebus ſpiritualibus, quæ ſub ſenſum non cadunt, nec naturæ noſtræ conveniunt. Quomodo igitur penetrare affectemus ſublimia fidei myſteria, cum etiam minima naturæ ſecreta pro nobis ſint immenſus abyſſus, & omnia, in nobis ipſis, nobis ſint myſteria: qui plurimorum naturalium effectuum in noſtro corpore, ne quidem conſcii ſumus, tantum abeſt, ut eorum cauſas intelligamus: e. c. in ſanguinis fluxu, concoctione, animæ in corpus influxu, & infinitis aliis rebus, etiam oculis ac ſenſibus expoſitis; poſtquam tot ſæculis

Noſtra mentem ignorantia in rebus etiam naturalibus doceat alta in myſteriis non ſapere.

tanto ſtudio & contentione indagandis naturæ arcanis inſudatum eſt.

Atque detrectantes fidem ex altera parte ſibi perſuadere debeant res magis incredibiles.

VII. Quam iniquum igitur ſit, nihil velle credere, quod experientiam ſenſuum, capacitatem intellectus, & naturam tranſcendit, patet, eoquod in naturalibus etiam plurima credenda ſint rationi impervia. Et dum ex una parte rebus fidem detrectant, quia non comprehendunt, ex altera parte coguntur admittere res multo magis incredibiles. Nullus unquam philoſophorum creationem mundi ex nihilo in animum ſibi inducere potuit: an vero de rerum ortu meliora & magis perſuaſibilia attulerunt? Quid majorem fidem mereatur æternam hoc univerſum eſſe materiam ſenſu carentem, fato, fortunaque impulſam, primos homines fungorum inſtar e terra natos, univerſum hoc fortuito ex atomis ſic eſſe compactum, aut ab æterno ſubſtitiſſe: an vero credere DEUM omnipotentem omnia ex nihilo procreaſſe? Annon hoc magis credibile, quam omnia ſine auctore, ſine origine ita emerſiſſe ſibi perſuadere: cum noſtra veritas nitatur teſtimonio æternæ veritatis, a qua hoc nobis revelatum ſuſcipimus; ipſorum autem opinationes leves ſint, qui nonniſi conjecturis inducti hæc tradiderunt: cum homines pares nobis fuerint:

ſint, nec vero nos melius aliquid hactenus excogitaverimus. An vero conſultius ducunt de omnibus dubitare, ac Pyrrhoniſtam agere? At idcirco tamen debuit eſſe aliqua rerum origo, cum ſecus nec nos, nec reliquæ res forent: neutiquam igitur ſatisfacit nobis noſtra perplexitas.

VIII. Sceleſtos offendit juſtitiæ rigor, qualem nobis chriſtiana religio oſtendit, quave tota ADAMI poſteritas peccatum ejus luere debet, proque levi ſæpe delectatione æterno igni addicit divina nemeſis: quam ipſi pœnam pro tyrannide habent, imo pro impoſſibili, ut qui capere nequeant, quomodo aliquando corpora in igne æterno viva & integra ſint ſubſtitura. At rationem reddant, quomodo anima, cum haud minus ſenſui doloris ſubſit quam corpus, eo tamen non corrumpatur? aut exponant, quomodo quorundam animalium corpora in igne viva perſiſtant? Cujusmodi exempla plura S. AUGUSTINUS (a) infidelibus eadem illi objicientibus affert. Quid vero homines creaturæ de divina in ſe juſtitia Creatoris & Domini unici quærant? Et quid hoc abſurdum, ut poſteritas pœnam ſentiat ejus peccati, cujus in ſe labem habet, & effectus ſe pro-

Occurritur objectioni de rigore juſtitiæ in principiis chriſtianis.

a.

(a) L. XXI. de Civit. DEI. c. 23. &c.

prodit inhabitantis peccati; haud minus ac ſæpe vitium ſingulare mentis & morbus corporis a parentibus in natos transfertur. Et dum omnibus unius Chriſti juſtitia proficit, eodem jure unius peccatum toti generi humano imputatur. Perdurante peccato, pœna peccati perſeveret juſtum eſt, tam in poſteris ADÆ, quam in damnatis, in quibus quia odium DEI & voluntas peccati nunquam deſiſtit, nec pœna deſinat fas eſt. Sed verbo dicam non debent homines DEUM & factorem ſuum in jus vocare.

Item ſolvitur objectio ex præcipuis myſteriis.

IX. Haud magis homo de divinis myſteriis ex rationis lumine decernere poteſt. Præcipua myſteria, quæ difficultatem patiuntur, ſunt, Trinitas, Incarnatio, realis Præſentia, & Transſubſtantiatio: at priora duo pertinent ad naturæ divinæ rationem & poteſtatem, quæ utique humano intellectui ſuapte natura incomprehenſibilis eſſe debet. Reliqua quidem, cum natura rerum propius ſunt copulata, ſed tunc ſolum perfecte a nobis ediſſeri poterunt, quando non ſolum rerum naturas & proprietates, ſed etiam occultam in illis divinæ efficientiæ virtutem plene perſpectam habebimus. Regerunt in effectibus naturæ modum ſolum latere; in his myſteriis: præſertim Euchariſtia ipſam poſſibilitatem

ſam eſſe incomprehenſibilem. At dicant nobis, quomodo ipſi dijudicare poſſint, quid DEO ſit poſſibile? Imo quomodo in rerum ipſarum, de quarum naturis necdum ſaltem inter omnes conſtanter & evidenter conſtat, omnes perſpiciant poſſibilitates? In myſterio autem Trinitatis hoc quidem dicere poſſunt, quod in multis rerum naturalium effectibus naturalibus, nimirum vi naturæ ita fieri, quamvis ratio & cauſa ſit ſecreta. Neque in credendis ſublimiſſimis myſteriis, atque humanam omnem excedentibus rationem, minus aliquis eſt certus, quam in clariſſimis veritatibus naturæ. Etiamſi enim deſit evidentia myſterii, ſeu objecti, quod in rebus rationem non excedentibus cognitionis certitudinem efficit, adeſt tamen certitudo teſtimonii ac veracitatis divinæ, cui nulla par eſt in natura rerum, etiam mathematica evidentia & demonſtratio. Quando nimirum per motiva credibilitatis certi ſumus, divinum nobis proponi credendum verbum, ac cœleſtem auctoritate divina revelari veritatem.

Nec non ea, de vitæ genere, morum regulis, ac

X. Quod ulterius libertinos offendit in vitæ genere, moribus, & actionibus, quales chriſtiana religio flagitat, non officit religioni, ſed ipſorum prodit per-

præceptis evangelicis ſolvitur difficultas.

verſitatem. Lex enim Chriſti & præcepta moralia ea ipſa ſunt, quæ a primo conditu generis humani ex ipſis naturæ principiis eruitur, a piis omnibus eſt obſervata: poſtea quoad potiſſimam ſui partem in decalogum relata, in evangelica lege ad perfectionem eſt deducta. Nec religioni ipſi vitio verti debet, quod inter chriſtianos ſcelerum & impietatis ſcandala reperiantur; non in legem ipſam, ſed in perverſos homines culpa eſt rejicienda: ea enim conſtanter damnat ſcelus omne, præcepta ſanctiſſima & exempla præclariſſima cum monitis, cautionibus, propoſitis pœnis & præmiis, dat ac inculcat. Nec ſolum radicem & fontem malorum omnium oſtendit, ſed etiam opportuna remedia præſcribit & indicat. Ejusmodi vero ſanctitas in præceptis omnibus tum quoad cultum divinum, quam officia humanitatis ſocialitatisque præbet, quibus nihil ſit ſupra: quæ quamvis ab omnibus non cuſtodiantur, maximam tamen utilitatem in commercium humanum intulerunt, cum quidquid virtutum alibi, melius apud chriſtianos obtineat. Nec in quoquam naturæ adverſatur, quod jubeamur amare inimicos, injurias ferre, nos vero odiſſe, præſentis vitæ omnibus deliciis renunciare, & ſic in corpore vivere, ac ſi careremus

cor-

corpore: & quæ ſunt alia, quæ putant proſperitati, propriæque ſalutis ſtudio adverſari, & nimis grave onus nobis imponere, quod imbecillitas noſtra non ferat: præterquam quod pleraque ab oprimis quibusve naturali lumine ſint agnita, & commendata, etiam facillima redduntur per divinæ gratiæ auxilia, per illam charitatis & amoris legem, quæ jugum ſuave, & onus omne leve reddit. Ubi enim amatur, non laboratur, aut ſi laboratur, labor certe amatur, recte dicit AUGUSTINUS. Nec aliquid difficile amori eſſe poteſt, præſertim cœleſtis gratiæ dulcedine animato.

CAPUT XVII.

Quemlibet teneri in negotio tam arduo æternam felicitatem, aut infelicitatem attinente tutam amplecti viam.

I.

Superbia & cupiditas quam varios in errores abducat homines.

Quodſi in primam originem indagare lubeat omnis irreligioſitatis, liquebit, aut ſuperbiam, aut deſideria illa, quæ in nobis chriſtiana religio tantopere excíſa cupit & ſuppreſſa, unicam illius exiſtere cauſam. Cum itaque ſuis cupidi-

ut præſentis vitæ bonis frui liceat.

tatibus chriſtiana veritas adverſatur, quid mirum eſt, ſi illam deſerant? Quoniam vero nullibi aliunde reperiunt in publicis religionibus, quod præ ſacris chriſtianis eligant, ad abnegandam omnem religionem animum inducunt. Ex quibus, cum alii perſpiciant cum doctrina de providentia eſſe intime connexam religionem, providentiam negant tanquam indignam DEO, hinc jam nihil amplius credunt de altera vita ejusque pœnis, aut præmiis, ac felicitate. Sed quia alii perſpiciunt, DEUM fingere non providum eſſe ἀσύστατον & abſurdum, hinc omnem Numinis exiſtentiam proterve negant, ac reliquias omnes fidei extinguunt, ſpem omnem ac metum deponunt: non certe convictione intellectus huc redacti, ſed corruptione cordis, quo omnimodam amant libertatem, & pecorum more præſentium ſolum voluptatum ac bonorum ſtudio tenentur, de futuris vero ſenſum omnem & memoriam deponere, aut ſaltem tanquam incerta præſentibus certis, quamvis fluxis bonis poſtponere ſuadent, hominibus cupiditatibus immerſis, & deſideria cordis ſui ſequentibus. *Tene*, inquiunt, *certum, dimitte incertum:* & quoniam per *incertum* intelligunt futuræ vitæ ſtatum, concludunt, ſatius eſſe, quiete frui præ-

præſentis vitæ commodis, quam mentem paſcere ſpe bonorum incertorum; eo quod parata, & jam præſentia bona futuris pluris ſint æſtimanda, ac præſens certitudo multo præſtabilior ſit, quam incertitudo ſperandorum: ſic illi ex depravato mentis ſenſu, quæ religionem ut jugum exoſum libenter excutit, loquuntur.

II. Quoniam iſtic cernimus impios, hoc ſolum tanquam incertum ac dubium ponere, quod in religione de ſtatu præſertim futuræ vitæ traditur, liceat nos nonnihil ad eorum ambiguam mentem accommodare, atque, ut dubiis & incredulitate liberemus, ad eos uſque paulisper nos demittere. Igitur dubitent pro lubitu, & pro incertis ponant adhuc quæcunque chriſtiana fides credenda proponit; dicant: Forte mundus æternus, anima mortalis, forte poſt hanc vitam nec judicium, nec cœlum, nec infernus. Et quoniam cum dubiis ita comparatum eſt, ut inter duas oppoſitas opiniones medium teneant, opus eſt, ut ſimiliter dubitent, an non forte exiſtat DEUS, cui de omnibus actionibus rationem ſimus reddituri, forte ab eo mundus creatus ſit, anima immortalis &c. Atqui in conflictu earum opinionum, de quibus ſumus incerti, ea eſt præferenda,

Quodſi etiam incerta forent, quæ de futura vita tradit religio, tamen foret ſuſcipienda.

ubi nulla res periclitatur, ſi etiam falſa foret, & ubi magnum lucrum proſtat, ſi forte vera foret. Contra vero ea rejicienda pars, quæ etſi vera eſſet, nihil tamen utilitatis ac commodi afferret; ſi autem falſa, ingenti nos damno afficeret. Imo ſapientis eſt, etiam præſens ſed parvum lucrum dimittere, quando magnum aliquod emolumentum ſperatur. Sic negotiatores ac mercatores præſentem certam pecuniam lucri ſpe exponunt. Nautæ ac milites majoris fortunæ gratia vitam periculo exponunt. Agricola ſemen ſpargit, & agrum ſerit, ac ovat meſſis futuræ cauſa. Denique omnes negotiationes hac regula & canone utuntur: ſi quod in ſperato eſt, alterum quod poſſidetur emolumento ſuperat, ac incertum majoris multo eſt momenti, quam certum, illud huic anteponunt. Quid ſi jam infinito pretio incertum ſuperet certum? Quid ſi cum ingenti periculo certum habeatur? An non incertum potius cum bona ſpe, quam certum exigui momenti cum magno timore eligendum? Neque enim incertitudo ſpem impedit, ac minimus ſpei gradus ad æternam ſummamque felicitatem multo eſt majoris pretii quam ſecuriſſima fruitio omnium periturarum ac fluxarum voluptatum. Quidquid hic periclitamur, eſt amiſſio

brevi

brevi effluentium gaudiorum, quæcum ſemel amittenda ſunt, iſta amiſſio nihili eſt reputanda, comparata ad felicitatem nunquam amittendam, ac de qua conſequenda non exigua affulget ſpes

III. Ita igitur ſe res in præſenti cauſa religionis habet. Promittit ea felicitatem ſummam & æternam ſub opinione de immortalitate animæ: quod ſi jam in dubio ancipites ac incerti hærent, ſitne futura felicitas, ſit anima immortalis, quid inducit, ut mortalem potius credant animam, quam immortalem? An non potius excellentem voluptatem ex opinione ſuæ immortalitatis percipere cupiant, quam voluptatem perituro corpori conciliare? An non libentius ſententiam amplectantur de æternitate, quæ eſt tutiſſima ad propriam gloriam, & felicitatem, laudabiliſſima ex uſu totius univerſi, frequentiſſimaque, ac omnino maxime ſalutaris, & proficua? *Cum ergo hæc ſit*, ſunt ARNOBII (a) verba, *conditio futurorum, ut teneri & comprehendi nullius poſſint anticipationis attactu, nonne purior ratio eſt, ex duobus incertis, & in ambigua exſpectatione pendentibus id potius credere, quod aliquas ſpes ferat, quam omnino quod nullas? In illo enim periculi nihil eſt, ſi quod dicitur imminere caſſum*

Quia in dubiis etiam & incertis tutius & ſecurius tenendum.

a.

(a) L. IV.

ſiat & vacuum? In hoc damnum eſt maximum, id eſt ſalutis amiſſio, ſi cum tempus advenerit, aperiatur non fuiſſe mendacium. Quid dicitis, o neſcii etiam fletu & miſeratione digniſſimi? Ita non extimeſcitis, ne forte hæc vera ſint, quæ ſunt deſpectui vobis, & præbent materiam riſus? Nec ſaltem vobiſcum ſub obſcuris cogitationibus volvitis, ne quod hoc die credere obſtinata renuiſtis perverſitate, redarguat ſerum tempus, & irrevocabilis pœnitentia caſtiget? Nimirum, cum fides in DEUM fidelem in ſuis promiſſis, & ſpes æternæ vitæ noſtræ religionis ſit caput, ſequitur aperte, ſi vera ſit religio felicitatem certo ſubſecuturam perennem, ſpemque noſtram eſſe prudentem, ac potitionem ſine dubio certam illis, qui propoſitas conditiones expleverint. Id, quod ſatis eſt, ad omnes homines pro ſuſcipienda religione perſuadendos: quæ nobis acerbitatem miſeriarum ac calamitatum præſentis vitæ aufert ſpe finis, earumque cum cæteris gaudiis commutandarum. Secus ſe res in altera parte habet, ubi nulla ſpes animum nutrit in futurum, cum anima ſimul cum corpore peritura credatur. Cum contra infinitum lucrum pereat, ſi opinione tali falſos nos eſſe contingat, ſicque poſt mortem incidamus in manus DEI viventis,

quem graviſſime offendimus, vilipendimusque. Præterquam enim, quod felicitate noſtra unica excidamus, etiam nos expectat miſeria maxima, ac diriſſimæ pœnæ ſine fine ſufferendæ. Quis immenſum damnum ejuſmodi infeliciſſimæ animæ ſatis expendat? Quis digne comprehendat horrendum ſtatum, & miſerrimam ſortem illius? Quis ſufficienter explicet ſtupendum errorem, quem talis committit, viam ac rationem vitæ amplectendo, ubi periculum conditionis non ſatis lugendæ tam inevitabile comparuit; cum nihil poſſimus afferre idoneum ad negandam immortalitatem animæ, multa vero argumenta ad eam aſtruendam ſuppetant. (*a*)

2. Objiciunt melius eſſe præſentibus frui bonis certis, quam futuris in ſpe tantum.

IV. At putant iſti, eſſe conducibilius frui præſenti bono, quod certum eſt, quam mentem excruciari ſpe, & timore futurorum, & præterea præſentibus voluptatibus religionis cauſa ſe privare. Cum chriſtianus, ut legibus ſuis convenienter vivat, frequentiſſime quod chariſſimum, gratiſſimumque ſibi foret, eo ſeipſum defraudare debeat, ac veluti perpetuo ſibi vim inferre, ne, quo delectatur, illud perſequatur, & cujus deſiderio tenetur, con-

(*a*) Vid. *Raymundi* SEBUNDE Theol. naturalis, c. 67.

cupiſcat. Cor ſuum renitens maxime adigere debet, ut ſe odio, inimicum amore proſequatur: omnes ſuas cupiditates arctiſſime reſtringat. Verbo dicam, ſpe futurorum præſentium voluptatum uſura ſibi interdicat; quæ ſint certæ, cum ipſorum opinione futura incerta ſint: adeoque certum tenendum ſit, dimittendum incertum.

Solvitur iſta objectio ex præſentis etiam vitæ bonis fluxis adeo & incertis.

V. At oppido falluntur, imo ſeipſos fallunt, atque hic in negotio omnium maxime ſerio, quod in negotiationibus quotidianis omnes faciunt, negligunt, dum commodum exiguum breve dimittere detrectant, ob utilitatis maximæ, & æternæ ſpem. Brevis eſt hæc vita, atque adhuc etiam multo brevior bonorum illius uſus, quorum ſenſus in prima juventute necdum adeſt, mox autem in ſenectute deficit: in reliqua etiam vita curſus proſperitatum ſæpiſſime ſiſtitur ac impeditur. Opus eſt ſanitate & divitiis, quæ cum abſunt, deſiderata abeſt felicitas. Poſſeſſa etiam ſanitas & divitiæ momentaneum ſunt bonum per mille frequentes caſus, graſſantes morbos, vulnera, lapſus, ſubitam depauperationem, naufragium, incendium, aquarum inundationes, furta, actiones forenſes amittendum. Deinde ſi etiam horum omnium perdendorum nullum timeretur

peri-

periculum, vita tamen ipſa nunquam certa eſt nulla hora aut die, major pars hominum in flore ætatis perit: nec vitæ ſecuri ſumus, niſi de uno momento ad alterum; futurum in poteſtate noſtra minime eſt poſitum, ac ſolius præſentis momenti potentes ſumus. Ipſæ terrenæ delectationes præterquam quod ſuapte natura breves ſunt, & arctis contentæ limitibus, multis ſociatæ ſunt acerbitatibus, cum econtra pœnitentia etiam & martyrium chriſtianæ religionis ingenti animi quiete, & multis delectationibus abundet, quod experientia docet. Quid? quod non omnes, ſed illicitas tantum damnet religio amœnitates, in licitis autem abſtinentiam cujusque permittat voluntati: cum ipſi etiam impii ab illis ſaltem debeant abſtinere rebus, quæ cum opprobrio & offenſione ſunt conjunctæ; atque adeo ſumma ſtultitia ſit, id agere nolle ex motivo chriſtianæ veræ virtutis, quod ex conſuetudine & decentia agitur.

Et comparatione religioſorum & irreligioſorum hominum, præſertim in fine vitæ.

VI. Quod ſi etiam in præſentis vitæ curſu quibusdam bonis impii iſti præ chriſtianis gaudeant, pares tamen in mortis hora futuri ſunt. Pariter tunc delectationes libertini, & ex temperantia chriſtianorum ortum martyrium, finem habent, cum mors ſolatium ſit miſero-

rum, & deſperatio hujus vitæ voluptatibus immerſorum: deliciæ, quæ ſuaviter afficiunt, dum illis fruimur, affligunt, quando præterierunt. Quod ſi ergo adhuc hoc in articulo demus incertitudinem futuræ vitæ, major tamen tunc erit miſeria infidelis & increduli, quam chriſtiani. Lucrum non habent quod ſperent, ſi non ſint opinione falſi: verſantur vero in magno terrore, ne non ſolum æterna felicitate excidant, ſed etiam in ſummam miſeriam redigantur, & præſentis vitæ bonis fraudentur, quibus unice inhiabant: quæ amiſſio etiam tunc chriſtiano communis; at opinione illius non eſt damnum, cum perdere non cenſeatur, quod poſſidere nunquam affectavit. Quis hic non feliciorem ſortem chriſtiani videat, qui in miſeriis gaudet, & ſe felicem exiſtimat, quam increduli, qui ſenſum ſummæ infelicitatis hic experitur. Quod etiam in reliquis hujus vitæ afflictis caſibus valet: in quibus opinione ſua felix eſt chriſtianus, alter infelix. Ergo in hac etiam vita, dum ægritudo, paupertas, ſenectus, & alia innumera mala hujus vitæ inceſſunt, melior conditio chriſtiani. At cur non in proſpero etiam rerum curſu, cum veritas ſemper maneat eadem?

VII. Hoc

VII. Hoc modo contra impios & Pyrrhoniſtas oſtendi poteſt, quanto ſe committant periculo, & quam neceſſario debeant tutius eligere, quod penes religionem chriſtianam ſit, in qua nihil periclitentur, ſumma autem quæque ſperent. Cum contra irreligioſi periculo ſe exponant, perdendæ æternæ felicitatis, & in abyſſum æternarum miſeriarum incurrendi, absque eo, quod aliquid de futuro ſperent, aut de præſenti potiantur, quam incerta, & fluxa bona. Ut hinc, tametſi argumenta pro religione non forent tantæ evidentiæ, cujusmodi tamen revera ſunt, ſtolidiſſime homines agant, qui religionem non amplectuntur: cum regulæ prudentiæ, & ſalutis propriæ amor jubeat eam partem eligere, quæ ſpe majorum bonorum turgeat, & tutiorem ſortem præbeat. Hoc argumento præprimis uſus eſt *Blaſius* PASCHALIS Tutioriſmi, alias magnus defenſor, poſt eum autem plures, qui de veritate religionis chriſtianæ tractarunt: haud ſecus ac ante PASCHALEM multi id adhibuerunt etiam antiquiſſimis temporibus, uti ex ſuperius allato ARNOBII teſtimonio patet, & etiam ſcriptor Clementinorum, quæ habentur inter ſcripta Patrum apoſtolicorum a COTELERIO edita, prodit. Fuerunt, qui idcirco *Blaſio*

Argumentum tritum de tutiori, a quibus maxime aſſertum.

ſio

ſio Paschali ingentem litem fecerint, quaſi totam religionem e re nihili ſuſpenderet, & nos veluti de religione dubitantes, ac fidem in noſtra poteſtate collocantes inducat, & ſolum ex metu procedat tota argumentationis ſtructura.

Defenditur hoc argumentum contra obtrectatores, ſi unacum aliis adhibeatur.

VIII. Sed ambigendum non eſt hoc argumentum multum valere ad infidelitatem & irreligioſitatem convincendam, præſertim, ſi cum aliis rationibus ponatur, quæ ex altera parte chriſtianam religionem directe probent; ſicut hoc argumentum probat indirecte, quod utique argumenti genus a nemine improbatur. Cum enim pro religione chriſtiana graviſſimæ ſtent rationes, & motiva credibilitatis evidentia adſint, convincendi ſunt irreligioſi, quam imprudenter agant, qui ob dubia quædam, quæ in comparationem minime veniunt cum rationibus pro religione, ipſi tamen ſe ſummo periculo exponunt religionem negando; quam tamen ſi amplecterentur, non modo nihil damni incurrerent, nullumque adirent periculum aut aleam, ſed etiam in hac adhuc vita felices exiſterent, rejecto parvo ac fluxo gaudii terreni ſenſu. Quam rem *Albertus* a. Fabricius (*a*) hac illuſtrat ſimilitudine:

(*a*) Jo. Alb. Fabr. delectu arg. ad veritatem relig. chriſt. c. 6.

ne : *Si verſeris in ſuburbio inter convivas
hilaris, ac videas fumum procul ex urbe a-
ſcendentem, accedatque anhelans amicus
tuus nulla cognitus tibi fraude, ſuperveniat
alter, tertiusque qui dicant uno ore omnes
proximam ædibus tuis domum flagranti ar-
dere incendio, lubens ex te quæſierim, num
hominis mentis bene ſanæ exiſtimes eſſe, nihil
id curare, cogitare poſſe fieri, ut illi ho-
mines errore decepti ſint, vel hilaritatem
convivii tibi invideant, aut tibi perſuadere
non eſſe opus, ut propius accedas, non agi
rem tuam, vel alio modo poſſe conſuli ædi-
bus tuis, licet in illis omnes fortunas tuas
repoſitas eſſe probe noris, nec tamen velis
ob maximam illam rem vel tantillum in-
commodi ſuſcipere. Non credo, quemquam
eſſe, qui huic argumento ineſſe robur nega-
verit, præcipue cum hilaritati convivii ho-
neſtæ, ne conferendæ quidem ſint res, qui-
bus abſtinere jubet religio, ita comparatæ
ſcilicet, ut illis natura ipſa humana vel do-
leat, vel eam illorum pudeat: quæ autem
ſuadet, & quæ offert religio, ejusmodi ſunt,
ut bona etiam ſtatim fruenda ſuppeditet
cultoribus ſuis maxima, quibus in rebus
ſecundis pariter & adverſis uti poſſumus,
tranquillitatem animi, bonam conſcientiam,
amorem DEI, hominumque, & ſpem in
DEUM.* Vindicat etiam hoc argumen-
tum ab exceptionibus de timore ac du-

bita-

bitatione, timorem laudans, qui metuat metuenda ſummopere, ac felicitatem gignat, ſitque initium ſapientiæ. Addit neutiquam nos hoc argumento de religione dubitare, ſed potius credentibus poſt tantam rationum teſtiumque nubem oſtendi, nullam idoneam perplexitatis cauſam eſſe, qui etiamſi adhuc aliquas habere viderentur, tamen illas miſſas facere deberent. Certe non aliud hoc argumentum vult, quam uti nos irreligioſorum dubio, ut ex illo eos eripiamus, oſtendamusque poſito etiam dubio in ſumma ſtultitia eos verſari, quod religionis officia negligant, nec ejus veritatem, certitudinemque agnoſcant. Ad hoc enim deducuntur, ſi eis religio ſuadeatur, quæ nullam admittit dubitationem, ſed requirit firmiſſimam animi perſuaſionem: quam dum nondum habent ſceptici iſti, docemus tamen etiam nos demittendo, & deſcendendo ad eorum ancipitem mentem, donec ad perfectiora eos diſpoſuerimus, eos ſtulte agere: quodque nihil obſtantibus cauſis qualibuscunque, quibus ad dubitandum inducuntur, ipſis neutiquam amplius ambigendum, aut hærendum ſit, quin ex toto corde redeant ad chriſtianam religionem, eoquod in ſua impietate ſpes nulla ſit futuri boni, timor ſummi mali; in religione ſpes ma-

xima

xima timor ſolius nihili: in impietate timor vexet æternæ miſeriæ, in religione adſit ſpes æternæ vitæ. Quam ſpem in nobis nutriant, ac certiſſimam faciant aliæ evidentiſſimæ rationes, & motiva credulitatis noſtræ.

Ejus rectus oſtenditur uſus.

IX. Fruſtra ergo etiam dicitur, hoc argumento non probari, quæ de DEO ac religione ſint tenenda, ſed quid e re & commodis noſtris ſit, ut teneamus: potiusque diffidendum eſſe de opinione, quam ſuadeant noſtra deſideria. Si enim ab hominum mente ſuſtuleris ſummi boni & felicitatis cupidinem & deſiderium, actum eſt de homine. Atqui hoc ne fiat, opinione de DEO & religione intenditur & obtinetur: conſequenter nihil aptius ad trahendam perſuadendamque hominis voluntatem eſſe poſſit, quam ei ob oculos poſito ſummo bono per officia chriſtianæ religionis obtinendo, aut illis neglectis amittendo. Poteſtque potius ratio retorqueri in religionis contemtores, qui ne in bonis præſentis vitæ turbentur, poſſintque pro lubitu genio & voluptatibus indulgere, libenter de DEO rebusque divinis & æternis opinionem & ſenſum exuunt: contra agnitione & cultu divini Numinis potius abdicantur hæc caduca omnia deſideria, ac rationalia eorum loco & æterna ſuſci-

 piun-

piuntur, ſpe felicitatis nunquam finituræ, quæ rationalis animæ deſiderio reſpondet, atque ejus intuitu virtutis, probitatis ſtudium, exercitiumque pietatis & religionis ſuſcipitur, omneque illud ſedulo cavetur, quo ejus amittendæ periculum incurritur: ac minime committendum ducitur, ut diſpendio æternæ ſalutis præſentis vitæ bonis, ac corporis voluptatibus inhiemus. Quo inducimur, ſi nobiſcum reputemus nihil caduca hujus vitæ bona eſſe in comparatione felicitatis æternæ ac boni ſummi, quod religio chriſtiana promittit poſt hanc vitam, quando etiam illis, renuntiando religioni, quiete frui liceret. Nullo etiam modo periculum commoditatum hujus vitæ exploſa religione ac illius officiis, cum ſummo periculo æternæ damnationis comparari poſſe, ſi religio negligatur.

Illis vero, qui nullis volunt vinci argumentis, ſalutaris timor incutitur.

X. Sic nullibi elabuntur, ex omni autem parte, ac propriis etiam principiis conſtringuntur ſceleſti Libertini ac Pyrrhonici, Atheiſtæ, Deiſtæ. Inde apertiſſimis rationibus, hinc manifeſtis abſurditatibus. Ad quæ omnia, ſi adhuc obſurdeſcant, jam non rationibus ſunt convincendi; DEUS T. O. M. eſt orandus, ut cæcitatem mentis auferat, ne ob ſuam pervicaciam, & contra apertam, agnitam-

utrinque veritatem, obſtinaciam hanc ab ipſorum cordibus abſtrahat Spiritus Sanctus, in quem tam graviter injurii ſunt, ipſumque deſerat, nec veritatis ultra lumen, quod toties repulerunt, accendat. Nos vero DEO grati ſimus, qui ab ipſo lucem agnitionis veræ religionis accepimus, ſtudeamusque, ut filii hujus lucis noſtre ambulemus in veritate & ſinceritate, cum non auditores legis, ſed factores juſtificentur.

CAPUT XVIII.

De ſtatu veræ religionis inde a primis conditi orbis temporibus.

I.

Exordium hujus religionis ab Adamo repetitur, quem DEUS & ejus poſteros ad inſtituendam ſuo nomini religionem per finis præcellentiſſimi æternique præmii pollicitationem deſtinavit: quæ ab eo, ſingularibus donis juſtitiæ & gratiæ inſtructo, propaganda fuiſſet.

Exordium veræ religionis ab Adamo.

II. Sed poſtquam peccato ſe contaminavit Adam, fidem violavit, divina eluſit promiſſa (tracta ſecum in eandem miſeriam poſteritate) fœdus illud primum antequam in cœtum aliquem coalue-

Cœtus colentium Deum poſt lapſum uſque ad diluvium.

luerit, diſſolutum eſt. Actum tunc fuiſſet æternum de homine, niſi divina miſeratio novo pacto humanum genus devincturus, & prædem ſibi, & redemtorem homini providiſſet, verbum nempe
a. divinum, incarnandum (*a*). In hujus igitur Salvatoris adventum, donec in plenitudine temporis redemtorium ſuum conſummaturus munus ipſe adveniret, qui ſperabant, ſalutem in ADAMO amiſſam recuperabant: quare JOANNES Apoc. c. 13. Agnum occiſum eſſe ab origine mundi dicit, quia per merita paſſionis & mortis homini inde uſque ab ADAMO ſalus obtigit: ſacrificia patriarcharum vim etiam a ſacrificio Chriſti omnem repetebant, cujus figuræ fuerant; erantque tunc ſola verba promiſſionis, de benedicto ſemine mulieris, ſufficientia ad inſtituendos homines ad ſalutem æternam, cum tractu temporis neceſſitas
b. plura ſciendi creverit (*b*). Jam enim olim

a) *Homo autem*, inquit S. AUGUSTINUS de Catech. rud. c. 17. T. V. f. 282. *peccato lapſus perdidit requiem, quam habebat in ejus divinitate, & recepit eam in ejus humanitate, ideoque opportuno tempore, quo ipſe ſciebat oportere fieri, homo factus, & de fœmina natus eſt.*

(*b*) *Ipſum*, pergit loco citato S. AUGUSTINUS, *antiqui Patres venturum in revelatione Spiritus agnoverunt, & prophetarunt, & ſic ſal-*

lus ab incunabulis ſæculis myſterii hujus dicendo præfigurari, prænunciarique non ceſſavit. In hac ſpe & fide, quæ erat nixa DEI promittentis & revelantis auctoritate, primæ illæ ab ADAMO capite humani generis propagines ſeſe cultui divino mancipabant, erecti haud infrequenter gratioſo DEI afflatu & confirmati, ſenſibili cum DEO commercio inſtructi (ut multi hæreditarium in eorum familia donum propheticum fuiſſe putant) ſoliciti, ſacrificiorum officio pacatum propitiumque conſervare divinum Numen, ea morum uſi ac vitæ forma, quam debilitatum illud quidem non tamen penitus extinctum naturale æquitatis, honeſtatis, decorisque lumen a DEO illuſtratum præferebat: aut DEUS ſingulari revelatione, manifeſtabat, expoſcebatque: cujusmodi forte fuit lex de ſabbato, quæ etiam ad ſtatum innocentem pertinere potuiſſet, quamvis alii aliter ſentiant, putentque ſine temporis deſtinatione cultum divinum ex DEI ordinatione in votis, precibus, gratiarum actionibus & ſacrificiis conſtitu-

R 3 rum.

ut facti ſunt credendo, quia veniet; ſicut nos ſalvi efficimur credendo, quia venit, ut diligeremus DEUM, qui ſic nos dilexit, ut unicum Filium ſuum mitteret, qui humilitate noſtræ mortalitatis indutus, & a peccatoribus & pro peccatoribus moreretur.

rum. Nec dubium eſſe debet, quir
ſteris poſt lapſum novæ leges a D
ſint latæ: cum fieri haud potuerit, DE
qui naturam rectam legibus inſtru
corruptam ſuæ libidini reliquiſſe.
has fuiſſe leges de ſacrificiis ex hau
ſcuris argumentis colligitur, atque e
pla ABELIS & CAINI produnt,
etiam patet jus illud non ad ſolos
tinuiſſe primogenitos.

A diluvio ad ABRAHAMUM.

III. Poſt diluvium reſtauratum
dus, auctumque novis quibusdam
ceptis eſt. Et quamvis conveniret
temporis theologia cum antediluv
quod DEUM crederent utrique, qui
cta condiderit, omniumque curan
rat, maxime eorum, qui in ipſum
fidunt, & liberatorem pro delendo
cato exſpectant, per quem & mo
omnes inimici DEI ſint vincendi: in
men ſunt, qui putant, hanc inferiorer
tediluviana fuiſſe, quod illa diſtincte
ſterium Trinitatis cognoverit, in ha
tem paulatim hæc notitia extincta
Quamvis illius notitiæ reliquiæ etiam
huc in ipſis veterum philoſophorun
citis reperiri videantur. Paucis a
tamen hæc theologia abſolvebatur
culis, ac unicum præceptum cær
niale habebat de non effundendo ſa
ne: ſub quo comprehenſam volu

g

quæ de ſacrificiis, eoquod omnis effuſio ſanguinis animalium ſacrificii ea ætate fuerit ſpecies. In concilio Hieroſolymitano reſpectus fuit habitus ad præcepta Noachica, fuitque lis: An ex gentilibus illi, qui in Meſſiæ partes venire velint, non NOÆ tantum, ſed etiam MOYSIS legibus tenerentur, circumciſione præprimis: PETRO cum reliquis apoſtolis propugnante, ſufficere Noachicorum præceptorum obſervationi fidem in JESUM Chriſtum jungere; unde enatum decretum Hieroſolymitanum de abſtinendo ab εἰδωλοθύτοις, ſanguine, ſuffocato & ſcortatione. Septem autem præcepta circumferuntur a Thalmudiſtis de cultu extraneo, maledictione Nominis, ſeu Numinis, effuſione ſanguinis, revelatione turpitudinis, rapina, judiciis, membris animalis viventis. Alii volunt duobus præceptis conſtitiſſe in ſcripturis commemoratis, de homicidio, ſeu ſanguine humano non fundendo, deque non comedenda carne cum ſanguine: ut humanæ conſuleretur naturæ, eoquod non varii tantum corporis, ſed & animi morbi ab iſto victu immineant, utque parcendo humano ſanguini magis NOÆ progenies aſſueſceret. Sed prior ratio præplacet, quin & leges alias, etiam in ſcri-

pturis non conſignatas a NOACHO poſteris traditas fuiſſe, colligi videtur ex Gen. XIII. 13. XX. 3. ubi peccata arguuntur, quæ ex lege naturæ non obſtringunt, legemque adeo poſitivam ſupponunt. Item ex eo, quod Gen. VIII. 2. NOE ſacra feciſſe dicitur certo modo, qui nuspiam lege ſancitus legitur. Quemadmodum & Gen. XV. 10. ABRAHAM aves non diviſit, haud dubie ex legis cujusdam non ſcriptæ directione, qua etiam de ſacerdotiis aliquid ſancitum fuiſſe, MELCHISEDECHI hiſtoria probat.

Peculiaris ABRAHÆ electio.

IV. Singulare illud fuit fœdus a DEO cum ABRAHAMO pactum, ABRAHAMO & ejus poſteris, ceu in peculium vindicatis, atque a reliquis terrarum orbis incolis ſegregatis, ea præcipua & palmari ſtipulatione, ut ex illius propagine promiſſus, & deſideratus cunctis gentibus aliquando naſceretur, circumciſione in fœderis ſacramentum conſtituta: ut adeo & hæc peculiaris ſelectio fide in Chriſtum ex ſemine ABRAHÆ oriturum conſtiterit: cum enim maxima mortalium pars naturæ & rationis leges conculcaret, divinarum autem revelationum lumen extingueret; viſum fuit Numini unam e communi ſcelerum ſentina gentem eximere, legibus novis ad cultum divinum ſibi devinctam, &

quidem

quidem ſingularibus, quæ ad hunc ſolum pertinerent ſelectum populum, eumque a ritibus aliarum gentium diſcernerent, & mutari poſſent.

V. Quamvis autem hæc ſingularis ſegregata natio Abrahamida frequenti cum DEO uteretur commercio, noviſque identidem ſtabiliretur, inſtitueretur que revelationibus; tamen poſt ABRAHAMI e patria evocationem ſingulari lege adſtringere ſibi eam voluit, ex Ægypto duce MOYSE avocando, ut poſſeſſionem dudum ABRAHAMO & filiis promiſſæ terræ Canaan capeſſerent. Ea vero antequam potirentur regione, & ſingularem conformarent rempublicam, legibus ſanctiſſimis, ſapientiſſimiſque, ritibus etiam ſacris ad divini Numinis cultum & religionem compluribus inſtructos eos voluit per MOYSEN, in celeberrima illa Sinaitica legislatione: non jam ut hucuſque voce ſolum, & traditione (quidquid alii de ſcriptis legibus ante MOYSEN ſentiant, cum vix conſtet, an litterarum uſus prius obtinuerit, multo minus, an lex divina his ſit conſignata) ſed fidis litterarum monumentis, quibus tum ea cœleſtis diſpenſationis comprehenderetur doctrina, quæ a jactis mundi fundamentis exhibita, & Patribus revelata fuit; cum ſpeciales continerentur le- Synagoga

ges, forenſes pro ordinanda republica, ſacræ tam cæremoniales pro divino conſtituendo cultu, quam morales decalogi præcipue tabulis expreſſæ: quæ omnia ex ſcriptis Moysis & prophetarum ſunt in vulgus notiſſima, atque etiam Judæorum traditionibus explicata, imo aucta.

CAPUT XIX.

De fide ante Chriſtum extra Synagogam.

I.

De fide aliqua communis hominum perſuaſio.

Fuit de fidei neceſſitate tam alte in hominum mentibus infixa opinio, ut deleri penitus etiam ex infidelium animis haud potuerit. Hinc Taleuci antiquiſſimi legislatoris omnium prima lex conſtituta, fide deos eſſe credendos. Idem paſſim a Pythagoreis inculcatum videas. Item ſimilia a Socrate, Platone, ſapientioribusque quibusvis aſſerta ſunt. Ab Ægyptiis & aliis conſervatum quoddam fidei ſimulacrum: neque unquam tam fera extitit natio aliqua, quæ non credenda nonnulla putaverit, atque religionis ſenſu fuerit imbuta, conſtatque an-

antequam etiam in ſocietates, civitatesque homines coirent, patresfamilias religionis, & pietatis laude celebres vixiſſe, quæ utique a diviniore fonte promanat, quave ſublata, fidem etiam & ſocietatem humani generis, & unam excellentiſſimam virtutem juſtitiam e rebus humanis tolli, agnitum eſt ſemper (a). Et licet homines in varios errores laberentur circa res divinas, veritas tamen a DEO ſubinde ſemper fuit per aliquos humano generi monſtrata. Certe tempore ABRAHAMI gentem Chananæam non totam idololatricis cultibus fuiſſe corruptam ex geſtis ABRAHAMUM inter & Hethæos, item inter ABIMELECHUM & eundem ABRAHAMUM & filium ejus ISAACUM conſtat: proditque hiſtoria ISAACI & REBECCÆ, quæ apud prophetas Chananæos DEUM conſuluit. Sichemitæ etiam JACOBI religionem haud gravate ſuſceperunt. Hiſtoria BALAAMI videtur documento eſſe, commercium DEI cum reliquis, præter Judæos, gentibus non penitus fuiſſe intermiſſum. (b)

II. An vero, quod idem S. AUGUSTINUS vult, in una THARÆ ſtirpe cultus

Extra ſynagogam ſaluti locus.

(a) Vid. CIC. L. II. pe Natura Deorum c. 2.

(b) *Nec ipſos*, inquit S. AUGUSTINUS Lib. XVII. de Civ. DEI &c. c. 47. *Judæos exi-*

DEI perſeveraverit, nunc non contendam. Ut enim MELCHISEDECHI, ABIMELECHI, JOBI ac JETHRONIS exempla nunc non commemorem, fieri potuit, ut per ipſos Judæos, præſertim poſtea ſemper magis & magis inter ipſos etiam ſparſos gentes, maxime poſt captivitatem Babylonicam & translationem ſcripturæ ſacræ in linguam Græcam, veri DEI agnitio & cultus ad ſapientiores gentilium propagaretur. Sed cavendus eſt

ſtimo audere contendere, neminem pertinuiſſe ad DEUM præter Iſraelitas . . . populus enim revera, qui proprie DEI populus diceretur, nullus alius fuit: homines autem quosdam non terrena, ſed cœleſti ſocietate ad veros Iſraelitas ſupernæ cives patriæ pertinentes etiam in aliis gentibus fuiſſe negare non poſſunt, quia ſi negant, faciliime convincuntur de ſancto & mirabili JOB, qui nec indigena, nec proſelytus fuit, ſed ex gente Idumæa genus ducens ibi ortus, ibidem mortuus eſt... divinitus autem proviſum fuiſſe non dubito, ut ex hoc uno ſciremus, etiam per alias gentes eſſe potuiſſe, qui ſecundum DEUM vixerunt, eique placuerunt, pertinentes ad ſpiritualem Jeruſalem, quod nemini conceſſum fuiſſe credendum eſt, niſi cui divinitus eſt revelatus unus mediator DEI & hominum homo Chriſtus JESUS, qui venturus in carne, ſic antiquis Sanctis prænunciabatur, quemadmodum nobis veniſſe nunciatus eſt, ut una eademque per ipſum fideles omnes in DEI civitatem, DEI domum, DEI templum prædeſtinatos perducat ad DEUM.

eſt hic P. POIRETI error, qui illuminatione hominibus immediate facta lumen fidei accendi potuiſſe contendit, atque inter fideles EPICTETUM, CHRYSIPPUM, ANTISTHENEM, DIOGENEM, SOCRATEM, ZENONEM alioſque commemorat.

III. Alia eſt, fuitque ſemper orthodoxorum ſententia, quam nos de civitate illa, id eſt eccleſia chriſtianorum a primis conditi orbis temporibus perpetuo florente ſtabilimus. *Erant etiam*, inquit EUSEBIUS (a), *ante MOYSIS legem mandata DEI alia, & ceremoniæ non ſimilia iis, quæ a MOYSE tradita ſunt, leges aliæ, & præcepta Domini, per quæ illi juſtitiam ſunt adepti.* In quem ſenſum etiam S. GREGORIUS (b) dominicam, de patrefamilias mittente operarios in vineam, interpretatur parabolam: *Quis*, inquit, *patrisfamilias ſimilitudinem rectius tenet quam conditor noſter, qui regit quos condidit, & electos ſuos ſic in hoc mundo poſſidet, quaſi ſubjectos Dominus in domo? Qui habet vineam univerſalem, ſcilicet eccleſiam, quæ ab ABEL juſto uſque ad ultimum electum, qui in fine mundi naſciturus eſt, quot Sanctos protulit, tot quaſi palmites emiſit.* Nemo autem in hoc argumento felicius eſt verſatus,

Complexio de civitate DEI, & quæ ei opponitur diaboli.

a.

b.

tus,

(a) Demonſt. evang. L. I. p. 13.
(b) Hom. 19. in Evang. poſt Pr.

tus, quam S. AUGUSTINUS in libris de Civitate DEI, inter aliaque oſtendit: quomodo myſterium vitæ æternæ jam inde ab exordio generis humani per quædam ſigna & ſacramenta temporibus congrua, quibus oportuit, per angelos prædicatum ſit: populo deinde Hebræo in unam quandam rempublicam, quæ hoc ſacramentum ageret, congregato. Ubi per quosdam ſcientes, ipſa S. Patris verba recito (*a*), per quosdam neſcientes,
a. id quod ex adventu Chriſti, uſque nunc & deinceps agitur, prænunciaretur eſſe venturum: ſparſa etiam deinceps eadem gente per gentes propter teſtimonium ſcripturarum, quibus æterna ſalus in Chriſto futura prædicta eſt. Totus autem in eo eſt, ut fata non ſolum civitatis cœleſtis, ſed etiam terrenæ magno eruditionis apparatu, eloquentiaque vaſtiſſime nobis exponeret ſtatim a prima utriusque origine, quam ab ABEL & CAIN repetit. *Fecerunt itaque*, ait quo-
b. dam loco (*b*), *civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemtum DEI, cæleſtem vero amor DEI uſque ad contemtum ſui. Denique illa in ſeipſa, hæc in Domino gloriatur. Illa enim quærit ab hominibus gloriam: huic autem DEUS,*

(*a*) S. AUG. de Civ. DEI. L. VII. 33.
(*b*) Lib. XIV. c.28.

DEUS, conſcientiæ teſtis, maxima eſt gloriæ &c. Sequenti vero libro de conditionibus utriusque civitatis hæc habet (a): *Natus eſt igitur prior CAIN ex illis duobus humani generis parentibus, pertinens ad hominum civitatem, poſterior ABEL ad civitatem DEI: ſicut enim in uno homine, quod dixit apoſtolus, experimur, quia non primum quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, poſtea ſpiritale: unde unusquisque, quoniam ex damnata propagine exoritur, primo ſit neceſſe eſt ex ADAM malus atque carnalis; quodſi in Chriſtum renaſcendo profecerit, poſt erit bonus & ſpiritalis: ſic in univerſo genere humano cum primum duæ iſtæ cœperunt naſcendo atque moriendo procurrere civitates, prior eſt natus civis hujus ſæculi; poſterior autem iſto peregrinus in ſæculo, & pertinens ad civitatem DEI, gratia prædeſtinatus, gratia electus, gratia peregrinus deorſum, gratia civis ſurſum.* Nos de civitate DEI rudem quandam ob oculos poſuimus imaginem, idem nunc de terrena diaboli faciemus breviſſime, & pauciſſimis lineis.

CAP. XX.

(a) Ibid. L. XV. c. 1. n. 2.

CAPUT XX.

Quinam fidei divinæ neceſſitatem inficiati ſint, eamque damnarint?

I.

Quidam & divinæ fidei neceſſitatem inficiantes & uſum damnantes.

Hæc de fidei neceſſitate omni tempore hactenus dicta contra eos valent, quosdam etiam antiquos Patres, maxime autem, qui circa mediam chriſtianitatis ætatem liberius, & falſiſſime de veterum philiſophorum ſalute diſceptarunt: cujusmodi fuit liber ille inſcriptus *de ſalute Ariſtotelis*, in quo ARISTOTELI ſimiles fere in naturalibus partes tributæ perhibentur, quæ JOANNI Baptiſtæ præcurſori in iis, quæ ad gratiam ſpectant, tribuuntur. Ad quem cenſum haud dubie ex ſecundo ſæculo Carpocratiani pertinent, qui præter Chriſti & PAULI imagines, etiam PYTHAGORÆ, PLATONIS, ARISTOTELIS, aliorumque coluerunt. ZWINGLIUS in expoſitione fidei chriſtianæ ad regem Galliæ vult, gentiles honeſtati ſtudentes ſalutem eſſe conſecutos. Quam ſententiam hodie alii etiam ex adverſis caſtris ſequuntur, eamque palam nuper defendit Anonymus quidam Anglus ſuis de naturali & reve-

revelata religione colloquiis non ſolum variis argumentis aſtruens, verum etiam ab objectionibus prolixe vendicans ſententiam de ſalute gentilium, qui de Chriſto nihil omnino audierunt. Doctrina hæc in Anglia plures jam eſt patronos nacta & late graſſatur.

II. Percelluntur item hac de neceſſitate, veritateque revelationis ſententia Naturaliſtæ, quos vocant, & Deiſtæ, qui DEUM ſe credere haud diffitentur, Chriſti vero doctrinam, nec non & apoſtolorum, & evangeliſtarum, qui chriſtianam inſtaurarunt religionem inter fabulas numerant: Deiſtæ plerumque dici amant, ut ſe ab Atheiſtis ſecernant, omne prorſus abnegantes Numen. Ad quæ monſtra opinionum, quibus omnem religionem ac fidem mentibus ſuis expulerunt, perduci ſolent, obtenebrando mentem variis dubitationibus. Naturaliſtarum ideo illis convenit nomen, quod, etiamſi confiteantur DEUM, religionem tamen, limites naturæ excedentem, non admittant: quamvis hoc nomen iis etiam convenire poſſit, qui non aliam, quam naturam rerum ipſam tanquam Platonicam mundi animam concedunt, cujusmodi monſtrum procudit perfidus ille SPINOSA cum ſuis. Subtilioris Spinoſiſmi petuntur etiam ex CARTESII & JAN-

Naturaliſtæ, Deiſtæ, & his ſimiles peſtes.

JANSENII ſchola non pauci jure an injuria alibi viderimus: certe SPINOSA CARTESII philoſophiam maxime coluit: id tamen faſſus eſt, non omnia illius ſe ſequi placita, aut probare. Opinio Spinoſiſmo ſimilis apud Sinenſes obtinet, quæ primum rerum principium idem cum rebus ipſis facit, nec eum aliquid intelligere, hominem autem tandem ad primi principii naturam pertingere putat. Habetur ſimilis aliqua antiquorum philoſophorum opinio, & hodie SPINOSÆ ſyſtema multi præſertim Angli ſequuntur.

Dogmata Deiſtarum.

III. Deiſtæ, etſi nulli religioni nomen dent, externæ tamen ſocietatis, in qua vivunt, plerumque ſequuntur morem. Sunt ex illis, qui DEUM providentiam rerum humanarum gerere negant: ſunt qui animæ immortalitatem credunt, alii non: mundum multi pro incorruptibili habent, animam contra mortalem credunt, quo ipſo quidquid de ſtatu animæ poſt hanc vitam creditur, ſubruunt. Alii cultum DEO impendendum non abnuunt, etiam externum, ſed nihil referre putant, cujusmodi ille ſit, modo conjunctum interiorem infinitæ divinæ perfectionis amorem habeat, nec DEUM pro clementia & miſericordia ſua, qua fertur in genus huma-

[illegible], aliam ab his cultum requirere, quam qui illorum naturæ & indoli reſpondeat. HERBERTUS famoſus Deiſta 5. capita ſtatuit: primum aliquod dari Numen ſupremum: deinde vult, ut illud colatur: tum ut præcipuam cultus divini partem virtus conjuncta cum pietate conſtituat: poſtea ut quis ob peccata ſua doleat eorum, & ab iis reſipiſcat: poſtremo, ut credat dari vel præmium, vel pœnam tum in hac, tum in altera vita.

IV. Non deſunt, qui ad Naturaliſtas, Pelagianos, & Neſtorianos collocant, veluti in eodem cum iis, qui religionem revelatam negant, luto hæreant, quod peccatum originale negent; ſed injuria, opinione mea: cum culpam ADAMI fateantur, ſed a Chriſto ſic extinctam, ut liberum prorſus refectum reſtitutumque ſit arbitrium. Socinianos tamen facilius, quis ad hanc claſſem revocarit, qui nihil niſi rationi evidens credendum volunt, & notionibus pure naturalibus conſtans. FR. BUDDÆUS eandem cum Naturaliſtis originem omnibus dat, qui ſatisfactionem Chriſti negant, aut in dubium vocant: atque in eum cenſum nonnullos ex ARMINII ſectatoribus refert; quos inter & CLERICUS in lib. de Incredulitate creditu ad ſalutem neceſſaria tam laxo *Naturaliſmi ſuſpecti.*

circumſcripſerit ambitu, ut illi q
qui nulla admittunt myſteria, in r
ne chriſtiana ſubſcribere poſſint. C
maxime hoc ſerpit malum; lic
defuerint, palam irreligioſitaten
prodere auſi. Veluti infames ſ
Naturaliſmum ultimis temporibus
ciſcus Pucius Florentiæ Catholi
tus & educatus, ſed poſtea Ca
caſtra ſecutus: *Joannes* Bodi
Gallia, *Eduardus* Herbertus,
paulo ante dogmata recenſuimus
ſuis in libris id agit, ut omnibus
nibus ſive chriſtiani ſint, ſive non
ſalutis faciat, & complures alii,
te paulatim latius hac lue cancri
inter eos etiam, qui ingenii ac
quod mireris, non carent, qui d
eſſe putant cum vulgo ſentire,
gloria ducunt ſe incredulos præb
dubitare de religione. Ad que
ſum pertinet Scepticiſmus comp
noſtri ævi, qui eo dementiæ abrep
ut patronos ſibi etiam in divino
Salomone quæſierint, hosque pro
cis ingenti calumnia venditarint:
bus recenſendis horror monſtrori
rumce revocat, & abſterret.

Indiffe-rentiſmus & Scepti-ciſmus.

V. Generale Indifferentiſmi e
men, & vertumni inſtar in omne
delitatis partem vertibile: dum ni
pei

perinde habetur & indifferenter religio, quod vel nulla, vel naturalis ſolum, vel etiam ſupernaturalis admittatur quidem, & chriſtiana; inter diverſas ſectas tamen nullum admittitur diſcrimen. Primi tuto ad Atheiſtas referri poſſunt: ſecundi ad Naturaliſtas. Ex tertio genere ſunt, qui Indifferentiſmum arctioribus conſtringunt limitibus quædam fundamentalia ſaltem admittentes chriſtianæ religionis capita ad humani generis redemtionem, qui huc non ſpectant; ſed illi tantum, qui penitus cultum omnem divinum, atque unicum religionis officium, in ſolo Numinis amore (*a*), & recta voluntatis diſpoſitione conſtituunt, quam quis adipiſci queat, quamcunque de controverſis religionis capitibus teneat ſententiam: aliis veritatem ita abſconditam eſſe aſſerentibus, ut in ea invenienda omnis fruſtra collocetur opera: aliis denique diſſenſum, qui inter partes diverſas intercedit, etſi fundamentalis ſit, talem eſſe negantibus. Quaſi vero divinas veritates fruſtra nobis in ſcripturis revelaverit DEUS, nec a nobis fidem requirat divini verbi ſui; ſed ſit ludus tantum, aut caſſus ſine intellectu ſonus. Nec minus officia religionis in obſequio rationis myſteriis divinis ſeſe a.

(*a*) Budd. Theol. dogm. L. I. c. 1. §. 44.

ſubjicientis conſiſtunt, quam in affectu voluntatis, DEUM amantis. Quandoquidem quæ nobis DEUS in ſcripturis revelat dogmata, ea utique credenda ſunt, nec ſufficit vaga & generalis fides, objectorum minime determinatorum; ut quis credere ſe rite omnia a DEO revelata putet, etſi eorum non teneat ſenſum. Qualis enim hæc, religione, quæ in DEI laude & gloria conſiſtit, digna fides & veneratio divini verbi, ſi illius non aſſequaris ſenſum, teneas intellectum? Hic ſatis eſt implicita fides, intellectu in patria demum cœleſti exſpectato. Requiruntur religioſæ mentis actus in obſequio omnium facultatum noſtrarum: nec quisquam ſine ſufficienti & explicita cognitione DEI prout nobis ſeſe tam in natura quam ſuo verbo divino manifeſtavit, amare DEUM, riteque colere, atque officia veræ pietatis juxta religionis chriſtianæ præſcriptum præſtiturum ſe putet: cum voluntas moveri debeat ad ſuos actus prævia intellectus inſtructione. Atque hoc modo Indifferentiſmus tum etiam Scepticiſmus omnis exeſſe ex religione chriſtiana debet, quo aut perinde habentur myſteria, aut de iis dubia mens hæret; quo uno ab Indifferentiſmo Scepticiſmus diſtat, cum ambo in effectibus quo-

ad

ut exercitiis religionis pares ſint, eosdemque exceſſus ferant.

CAPUT XXI.

Apoſtaſia a vera Eccleſia ante Chriſtum.

I.

Quoniam, ut modo vidimus, in Chriſtianiſmo non defuerunt, qui fidem divinarum rerum inficiantur, poſtquam ea in toto terrarum orbe, tot ac tantis eſt obfirmata & ſtabilita rationibus & monumentis. Quem mirari ſubeat, inter illos etiam, qui religionem aliquam ſectantur, depravationem humanam in varias aberrationes incidiſſe, ac plurimos extitiſſe, qui inde a primis mundi incunabulis veræ in Chriſtum mediatorem religioni obſtiterint, aut eam reliquerint. Quæ enim fuit unquam res tam explorata, quam non in dubium vocare multi mortalium ſunt auſi? aut quid tam falſum & abſurdum, quod non defenſores ſectatoreſque plurimos acceperit? Hinc verus cito extinctus de DEO rebuſque divinis ſenſus, & opinio Ethniciſmum induxit. Ipſa

Cauſæ & occaſio corruptæ cognitionis DEI & religionis.

etiam poſtea Judaica natio indigne tulit
ſe ſortem Domini ac veram eccleſiam a
ferri. Demum impoſtor ille Mahu
medes ex colluvie omnium ſectaru
accommodatam aliquam omnium gen
religionis formam intrudere ſibi eſt v
ſus: ex quibus omnibus mala ingent
adhuc hodie patitur vera Chriſti eccleſi
Facile contigit ſanam de DEO rebusqu
divinis opinionem cito ex hominum me
tibus deleri, quando necdum ad una
aliquam ſocietatem, cœtumque creder
tium multitudo adſtringebatur. Liberu
tum fuerat ſuo ductu religionem ſeq
privato uſu, dummodo veritatum qu
rundam a DEO propoſitarum conſerv
retur integritas. Quarum tamen me
moria facile obliterari potuit, ſemel i
animum admiſſa nequitia, rerumque te
renarum proſecutione, præſertim vo
luptatum libidine. His enim rebus de
tento, occupatoque humano ſenſu cit
æternarum rerum oblivio ſubibat, felic
tatisque ſupernæ (quam ſperare oporte
bat, & operari pietate atque religione
neglectum gignebat præſentium cadu
carum & lubricarum cupiditatum con
ſectatio. Quæ perverſitas eo tandem
devenit, ut jam homines, præter ea
quæ ſenſibus uſurpantur, & corporeo
oculos ſubeunt, nihil ſaperent: ſicqu
tales

tales ſibi effingerent Deos & Numina, quæ nihil a ſpectabilibus mundi rebus differrent, cum eſſe Numen aliquod ratio clamaret, atque ſolum in vera Numinis hujusce conſtituenda natura aberrare homines poſſent: ut eſt expreſſum & aſſertum a PAULO, atque etiam a Gentilibus ipſis agnitum: *Eſſe Deos*, inquit CICERO (*a*), *ita perſpicuum eſt, ut id, qui neget, vix eum ſanæ mentis exiſtimem. Sane reſtat, ut qualis eorum natura ſit, conſideremus, in quo nihil eſt difficilius, quam a conſuetudine oculorum aciem mentis abducere. Ea difficultas induxit, & vulgo imperitos, & ſimiles philoſophos imperitorum, ut niſi figuris hominum conſtitutis, nihil poſſent de Diis immortalibus cogitare.* Inter eos etiam, apud quos non penitus omnis veræ religionis ſpiritus extinctus & ſuffocatus eſt, horrenda pullularunt ſectarum in diverſa abeuntium portenta, quæ crudeliter in ſe invicem ſunt debachatæ, quod magno impedimento veræ religioni fuit, & uſque hodie eſt curſui & propagationi veræ religionis.

II. Attamen non permiſit DEUS, omnem penitus pietatis & religionis cultum & obſervantiam exterminari, nec ita mala in veræ religionis cœtibus inoleſce- Quomodo primis temporibus a vera religione avulſi homines.

S 5

(*a*) L. II. de Natura Deorum.

nempe, & fluxis penitus addicti rebus, excuſſa ſalutis æternæ adipiſcendæ memoria; unde accidit, ut omnis caro corrumperet viam ſuam. Quare potius oblivionem quandam veri DEI, veræque religionis ante diluvium invaſiſſe orbem ſentio, quam alterius a vero Numine venerationem.

Quæ poſt diluvium invecta.

IV. Poſt diluvium ergo origo inquirenda eſt idololatricæ perverſitatis. *Homines*, inquit CYRILLUS (*a*), *qui ab ADAM uſque ad NOE fuerunt, unum DEUM, qui eſſet revera rerum omnium creator, conſtituerunt: poſt diluvium autem, & conſtructionem turris opinione de DEO non conſpirabant, cum alii cælum, alii ſolem, lunam item alii Deum eſſe putarent.* S. EPIPHANIUS illum locum PAULI præ oculis habens: *Ubi non eſt gentilis, & Judæus, circumciſio & præputium, Barbarus & Scytha*; quatuor ſtatuit religionum formas, connumerata Judaica

(*a*) Οἱ μὲν ἐν ἐξ Ἀδὰμ καὶ μέχρι τοῦ Νῶε γεγονότες ἄνθρωποι, Θεὸν ἕνα τὸν φύσει, καὶ ἀληθῶς τῶν ὅλων δημιουργὸν τετιμήκασι· μετὰ δὲ κατακλυσμὸν καὶ τοῦ πύργου κατασκευὴν ἀσύμβατον ἐσχήκασι περὶ Θεοῦ δόξαν· οἱ μὲν οὐρανὸν ὑπετόπασαν εἶναι Θεὸν, ἥλιον δὲ καὶ σελήνην ἕτεροι. S. CYRILLUS adv. JULIANUM. Orat. III.

Judaica ſynagoga: Βαρβαριςμὸν, qui obtinuerit ante diluvium: Σκυθισμὸν a diluvio uſque ad idolorum invectionem: deinceps ἑλληνισμὸν introductum fuiſſe. Sed ægre perſuadeor S. PAULUM cum hæc ſcriberet, pace tanti viri dixerim, talia in animo habuiſſe: quamvis cum EPIPHANII ſententiam ultro amplector, quatenus nec ante diluvium, nec ſtatim poſt diluvium creaturarum apotheoſim inſtauratam fuiſſe obſervat. Item & CYRILLO adſtipulor prius ſolem, lunamque & aſtra coli cœpiſſe, & in Deorum numerum referri, quam homines eorumque ſtatuas. Neque Sapientiæ auctor (a) nobis in hoc adverſatur, aſſerens ſculptam affabre imaginem, ſeu luctum filii multum amati, aut figuli opus egregium, anſam cultui falſorum Numinum præbuiſſe. Non enim eo loci omnes ſuperſtitionis hujus cauſas recenſere voluit, ſed quasdam, quæ ad hominum inter Deos recenſionem occaſio extiterint, qua in re nos minime refragamur. Hoc ſolum aſſerimus, aſtrorum, imo etiam dæmonum cultum, hominum mortuorum, & ſtatuarum eis erectarum obſervantiam præiviſſe. Attamen DIODORUS teſtatur: Idololatriam apud Ægyptios a regum defunctorum cultu cœpiſſe,

(a) Sap. XIII. 10. XIV. 15. XV. 5. &c.

piſſe, quos mox in ſidera cœleſtia transformarint. Sic vero crevit inſana hæc quidvis pro Numine colendi licentia, ut
a. (*a*) & herbas, fruges, bruta animantia, aves, piſces, affectiones humanas, virtutes & vitia, & quid non? conſecrarent; ſic ut eſſent quædam Numina pluribus gentibus communia, cujuſcemodi Dii magnarum gentium, alia quibusdam peculiaria.

Res naturales præſertim elementa pro Diis ſuſcepta ob commoda.

V. Quemadmodum vero aſtrorum obſervatio eorundem venerationi locum dedit; ſic & ſtudium phyſices in cauſa fuit, quare & elementa, & res quævis naturales, a quibus utilitatem habent homines, in Deorum numerum referrentur. *Videtisne, ut a phyſicis rebus bene atque*
b. *utiliter inventis*, ait CICERO (*b*), *tracta ratio ſit ad commentitios, & fictos Deos, quæ res genuit falſas opiniones, erroresque turbulentos, & ſuperſtitiones pene aniles.* Quare fruſtra ſunt illi, qui ſagaciores ex Gentilibus haberi volunt, dum hanc naturalem, ut vocant, & philoſophicam theologiam diſtinguere ab illa poetica contenderunt. Perinde enim cauſæ ſubeſt, quare aut chaos, aut elementum quodcunque numen conſecrem, Jovem ætherem, Junonem aerem, Neptunum aquam inter-

(*a*) Vide Cic. L. II. de Natura Deorum.
(*b*) Ibid.

[illegible], aut in ſole, luna, & aſtris intelligentias quaſdam comminiſcar, aut demum neſcio quam mundi animam Deum conſtituam, cum æque perverſe quodvis horum fiat: imo eo ſtultiores philoſophi poetis, quod illi res inanimes, puta elementa conſecrarint, aut commentitiam quandam mundi animam, poetæ ſaltem homines immortali anima præditos Deos finxerint. Nihil ergo fecerunt dignum philoſophis, dum fabulas poetarum ad res naturales tranſtulerunt, Numenque in rebus creatis quæſiverunt. Huc etiam referendi, qui pro DEO venditant veritatem, bonitatem, pulchritudinem, rectitudinem in genere ſeu univerſalem, ſeu formam intelligibilem boni, veri, pulchri, recti: verum omnis veri, bonum omnis boni, pulchrum omnis pulchri, rectum omnis recti: Ens omnis entis, eſſentiam omnium eſſentiarum: quamvis iſti ad Atheos potius ſpectant, quorum magnum numerum ex recentioribus Harduinus, & alii detexiſſe ſibi videntur. Sed DEUS agnoſcendus fuiſſet Ens quoddam ſummum ſecretum a rebus quibusvis, omnium autem cauſa, cujusmodi cum ab Anaxagora agnitus fuiſſet Deus, a ſuis Atheus eſt habitus, & condemnatus.

VI. Eſt

Quomodo paſſim in ſcripturis idololatræ unice in ſtatuis cultum fixiſſe dicantur.

VI. Eſt tamen diſcrimen aliquod inter illos, qui idola, formas, & figuras rerum præſertim hominum olim ſunt venerati. Quorum alii hebetiores, & pene bruti ipſas ſtatuas pro numinibus habuerunt: alii, quibus rationis adhuc aliquod affulgebat, micabatque lumen, cultum non in ipſis inanimis idolis fixerunt. Alii etiam de ſupremo Numine nihil certum compertumque ſtatuere viſi ſunt, cujusmodi eſt HECUBÆ apud EURIPIDEM Jovem interpellantis oratio(*a*):

> Ὅς τις ποτ' εἶ
> Δυστόπαστος εἰδέναι,
> Ζεὺς, εἴτ' ἀνάγκη φύσεως,
> Εἴτε νοῦς βροτῶν.

Quamvis taliter judicaſſe potiſſimam partem idololatrarum eruditiſſimi etiam pernegarint: cum ſic nobis in ſcripturis perpetuo deſcribantur idolorum cultores tanquam ſtipites, truncos, æs ſuis in ſtatuis adorent. Quod cum vix credibile ſit, tantam omnes homines obſediſſe ſtultitiam: atque habeamus tot ipſorum gentilium teſtimonia, hanc a ſeſe amo-

(*a*) EURIPIDES Troad. ℣. 884.

Quicunque tandem es
Imperveſtigabilis animis noſtris
Jupiter ſive es neceſſitas naturæ,
Sive mens mortalium.

[illegible] ; optima expli-
[illegible] ſcripturam ratio fuerit, ſi dica-
[illegible], in Spiritum ſanctum in ſcripturis
[illegible] ſe loqui, ut reipſa ſe loquitur, cum
[illegible] ſit Numen aſpirans, quod circum-
[illegible] Jovis nomine veniat, ſeu in ſta-
tua ipſa reſidens, ſeu alibi extra ſta-
tuam conſiſtens, quidquid perverſi ho-
mines opinati ſint: ſive igitur in ea ſen-
tentia fuerint, ut ipſas ſtatuas pro Diis
coluerint, ſive has tantum Icones ho-
[illegible] Numinum habuerint, conſequen-
ter ulterius cultum direxerint; veriſſi-
me ſcriptura idololatras opera manuum
hominum adorare aſſerit, cum ſpectata
rei veritate nihil aliud agant. Non enim
eſt alicubi in rerum natura Jupiter ali-
quis, aut Juno, aut quodcunque demum
numen, cujusmodi idololatrica barba-
ries commenta eſt: (a) *Simulacra gen-* a
tium, argentum & aurum, opera manuum
hominum. (b) b

T VII. Tam

(a) Pſal. CXIII.

(b) Neque eſt, quod dicat aliquis, non omni-
no nihil deliteſcere ſub ſchemate Deorum,
aut enim aſtra, ſolem, lunam, heroes, re-
ges, principes, ſub his involucris colue-
runt: *Illis*, ut verbis CYPRIANI: Quod
idola Dii non ſint, &c. fol. 147. utar,
inſtituta templa, inde ad defunctorum vultus
per imaginem detinendos expreſſa ſimulacra,
& immolabant hoſtias, & dies feſtos dando

Quam late patuerit idololatriæ malum, licet a prudentioribus agnitum.

VII. Tam altas vero radices idololatria egit, & tam late graſſata eſt, ut Iſraelitæ, etſi tam ſtudioſe a Paganis a DEO ſegregati, & in peculium DEI ejusque eccleſiam adoptati eſſent, identidem tamen, ut ex ſacris ſcripturis conſtat, ad eam ſuperſtitionem redierint. Ac licet tantopere cum ratione pugnaret Deorum pluralitas, maxime eorum, quos colebant, factis geſtisque conſideratis; accidit tamen, ut illi etiam populi ac gentes, apud quas artes, animorum cultura, ſapien-

honores celebrabant: *inde poſteris facta ſunt ſacra, quæ primis fuerunt aſſumta ſolatia.* Hoc enim ipſum volumus, Numina non eſſe, quos Deos vocant & colunt: atqui & ſcripturæ hæc mens eſt, inania eſſe ſimulacra, id eſt, a nullis φύσει Diis, & Numinibus obſideri, cum unus ſit DEUS, unum Numen. S. AUG. de Civitate DEI, ſingularem nobis ex Hermete Triſ. refert ſententiam: *Ille*, inquit, *viſibilia & contrectabilia ſimulacra velut corpora Deorum eſſe exiſtimat, ineſſe autem his quosdam ſpiritus invitatos, qui valeant aliquid, ſive ad nocendum, ſive ad deſideria eorum nonnulla complenda, a quibus eis divini honores & cultus obſequia deferuntur. Hos ergo ſpiritus inviſibiles per artem quandam viſibilibus rebus corporalis materiæ copulare, ut ſint quaſi animata corpora illis ſpiritibus dicata & ſubdita ſimulacra, hoc eſſe dicit Deos facere, eamque magnam & mirabilem Deos faciendi accepiſſe homines poteſtatem.* L. VIII. c. 23.

pientiaque cumprimis florebat, omnium ſuperſtitioſiſſimæ eſſent: id notat de Athenienſibus in Actibus apoſtolorum S. PAULUS c. XVII. de Græcis, de Romanis vero conſtat eorum Idolomaniam fuiſſe craſſiſſimam, qui omnium gentium deaſtros, hominesque nequiſſimos, etiam nec in rerum natura viſos divinis honoribus affecerunt. Sed hæc ratio ſtatus petebat, nec hujus cultus vanitas ſapientiores latuit. SCÆVOLA Pontifex Max Romanorum triplex genus Deorum agnovit: Poeticos, quibusvis hominibus pejores: Philoſophicos, qui homines fuerint divinis honoribus culti ob quandam præſtantiam: Civiles, qui continendis in officio ſubditis a magiſtratibus & principibus ſint inſtituti. SENECA ob hunc plebis ſubigendæ finem aruſpices conſtitutos prodit: unde CATO mirari ſolitus fuit, quod augur augurem intuens, riſum continere queat. Riſit ſane augures CICERO ipſe augur, in cujus libris de Natura Deorum plura leges in hanc rem: haud ſecus ac apud ARISTOTELEM, PLATONEM, aliosque ſagaciores gentilium, qui DEUM quidem verum, ſed non vere cognoverunt, utpote quibus hæc ſola cognitio haud profuit, cum nec ſuperſtitionibus nuntium remiſerint, nec ad fidem pertigerint. Noſtris tem-

poribus hæc inſania per christianam ſapientiam eſt ex hominum mentibus deleta, deleturque per miſſionarios apud eas gentes, quæ a paucis ſæculis in novo, ut vocant, orbe reperti ſunt eadem detineri ſuperſtitione.

Falſitas Paganorum religionis.

VIII. Falſitatis religionis Paganicæ apertum documentum eſt, vel ipſa religionis christianæ conſtabilitio, quod ſine omni humano ſubſidio excreverit diſperſa in univerſum orbem; quodque ſine opera exteriore ſola prædicatione verbi evangelici totum mundum inundantem idololatriam exterminaverit: quidquid etiam cæca Gentilitas, quæ tenebat imperium, contra moliretur primum diriſſimis perſecutionibus: ac maxime ſub JULIANO: utpote qui eruditione, prudentia civili, & ſcientia rei militaris tam inſignis, artibus longe deterioribus uſus ſit, quam omnes alii christianorum perſecutores in exſtirpanda religione ſalutari, non aperta ſtatim vi, non armis, igne, tormentis aggreſſus miſeros, ſed per varias inſidias, ut imperitos deciperet, & ad gentilium ſuperſtitionem paulatim deduceret, vel adigeret in deſperationem. At his omnibus nihil obſtantibus auctus potius quam diminutus eſt christianorum numerus, cum Paganiſmus ſponte ſimul defecerit, ac

hu-

humanis deſtitui cœpit auxiliis: cum contra, argumento agentis DEI omnipotentis, ut dudum prædictum erat a DANIELE, ruente imperio Romano, quod tunc idololatriam ſuſtentabat, regnum Chriſti excreverit, ſuamque ſedem & arcem in urbe Roma domina gentium conſtituerit.

Nihil erat in Paganiſmo, quo perſuaſibilis reddebatur.

IX. Studuit quidem dæmon, in cujus favorem idololatria exculta erat, quandoque fingere talia portenta, quæ altioris virtutis religionem commendare ſolent. Res miras etiam molitus, & oracula edens. At nihil hæc omnia erant quam deluſiones, vel occulti naturæ effectus, quos homines ignorabant, aut imprudentes non attendebant. Neque unquam miraculum tale aliquod ad confirmandam eorum ſuperſtitionem, ſed potius res, quæ apud chriſtianos in pretio ſunt, commendandas pertinebat; ſi etiam tale aliquid aliquando factum fuiſſe concedatur: uti de virgine Veſtali narrant, aquam in vaſe cribrato geſtante, de vindicta in Gallos templum Delphicum expilantes, cum primo virginitas, altero irreligioſa Gallorum mens & malitia, non ipſum, factum, ſed conſcientia forte malefacti ſit punita. Oracula plerumque in verbis ambiguis conſtituta fuerunt, & in ſagaci dæmonum conjectatione effectus

naturales, aut eventus proximos divinantium. Neque unquam prædictio ejusmodi allata eſt, quæ ad factum a cauſa ſolum libere dependens pertinuerit, cujusmodi hic requiritur. Hinc vero etiam religio Chriſtiana adſtruitur, quod juxta prophetarum vaticinia, adventante Chriſto, oracula hæc obmutuerint; ut vel inde patet, quod PLUTARCHUS in hujus rei cauſas indagandum ſibi duxerit. Quod ſi autem quandoque, oracula edi viſa poſt Chriſtum fuerint, potius aſtui, & fraudi myſtarum oraculum ſimulantium adſcribendum eſt, aut altiori DEI conſilio ad ipſam confirmandam religionem chriſtianam cujusmodi exempla habemus.

Multa vero apertam ejus ſtultitiam arguebant.

X. Sicuti vero nihil habebat Gentiliſmus, quod eum commendaret, ſic ipſe ſe confundebat: ſeipſos deſtruentibus & pugnantibus de rebus divinis ſententiis, ac omnem honeſtatem virtutemque tollentibus, quo tum doctrina, tum pudenda facta ipſorum Deorum ducebant, ac occultæ ſacrorum initiationes Mythræ &c. quæ propalari vel ipſe naturalis pudor vetabat: hujusmodi rebus pene tota conſtitit eorum religio, non præceptis ad vitam honeſte traducendam, & felicitatem conſectandam, uti fit in noſtra religione. Dudum eis hoc

expro-

exprobravit S. AUGUSTINUS (*a*), in quibus locis hæc docentium Deorum ſolebant præcepta recitari, & a cultoribus eorum populis frequenter audiri. a.

XI. Illud vero omnium atrociſſimum, quod eſſent quidam ita notione DEI turgidi, ut in omnibus rebus, quas admirabantur, divinitatem collocarent: videreturque Atlas jam impotens ad tantum Deorum numerum ferendum; cum fere rariores homines quam Dii fuerint: illi tamen omnia magis, quam verum & unicum colerent, & adorarent DEUM, aut ſi etiam hoc facerent, ideo ſummopere rei, quod alias res etiam viliſſimas quandoque pari, cum DEO vero, cultu proſequerentur; illos autem immaniter perſequerentur, qui unicum verum colerent DEUM, Judæos & chriſtianos præſertim. Quid quod ipſe cultus eorum impietatem ſpirabat? præſtitus ſanguine humano, ludis & ſaltationibus plenis infamia &c. (*b*) b.

Præſertim Deorum varietas.

Quid dicam diverſa ſacra? & Diis atque Deabus
Condita templa loquar? quæ ſunt capitolia primum
His Deus eſt, uxorque Dei, ipſamque ſororem

(*a*) L. II. de Civ. DEI. c. 6.
(*b*) ANTONIUS in carmine contra gentiles.

Eſſe volunt, quam Virgilius notat auctor eorum
Dicendo: & ſoror & conjux. Plus de Jove fertur,
Naturam ſtupraſſe ſuam fratrique dediſſe
Utque alias caperet propriam variaſſe figuram,
Nunc ſerpens, nunc taurus erat, nunc cignus &c.

Et inanitas ſacrorum.

XII. Qui plura hic deſiderat, inter alios tum veteres cum recentiores, præprimis S. AUGUSTINUM in libris de civitate DEI conſulat in hunc finem conſcriptis, ut noſtræ religionis veritatem & ſanctitatem adverſus paganicam ſuperſtitionem & perverſitatem demonſtraret. Inductus nimirum ad eos libros conſcribendos fuerat familiari reſiduorum paganorum eo adhuc tempore calumnia, reipublicæ Romanæ mala & frequentes barbararum nationum irruptiones & vaſtitates Deorum contemtui, atque eorum cultus intermiſſioni tribuentium. Quibus ille occurrit, ſpurcitias, abſurditates, impotentiam demonſtrans Deorum, ad ea averruncanda mala, quibus ſingulos, ingenti numero, præfecerant Deos: objicit & demonſtrat autem ſingula ex ſacra & profana eorum hiſtoria, propriisque auctoribus, præſertim autem ex VARRONE, qui eruditiſſimus inter illos eſt viſus, & Theogoniam cæteris luculentius expoſuit: cujus cum ad

nos delati non ſint libri, hic multa nobis S. Doctor conſervavit ſcitu digna, atque oſtendit, quam parum proprii eorum auctores ſacris his tribuerint, aut in illis defendendis profecerint, ipſi turpitudinis ſui teſtes: quas magnam etiam in partem ſtudioſe celarunt ſcenicis & hiſtrionibus non omnia nudantibus, quæ in ſacris agerent; repulſis his ipſis ſcenicis apud Romanos ab omni honore: cum in ludis tamen illis multa Deorum honoribus admiſcerentur; qua de cauſa aliter Græci quam Romani ſenſerunt, tales homines honorandos rati. Unde S. AUGUSTINUS (a) eos tali conſtringit ratiocinio: *Proponunt Græci: ſi Dii tales colendi ſunt, profecto etiam tales homines honorandi ſunt. Aſſumunt Romani ſed nullo modo tales homines honorandi ſunt. Concludunt chriſtiani, nullo modo igitur Dii tales colendi ſunt.*

XIII. Sed nihil magis Gentiliſmi deliria & ſtultitiam prodidit, quam ei ex adverſo oppoſita chriſtianiſmi ſanctitas & majeſtas: unde tam ſubito diſparuit apparuitque vana & inanis Deorum genealogia & ſuperſtitioſus cultus: nec combinari vel ſemel inter ſe potuerunt ac ſociari ambæ religionis formæ DEO id prohibente, dum etiam ſummi orbis

Præ chriſtianis in pretio etiam apud gentiles habitis.

(a) De Civ. DEI. L. II. c. 13.

principes id ſatagerent. Res contigit ſub TIBERIO ſtatim, quo imperante magnam vitæ partem Chriſtus degit, mortuus eſt & reſurrexit. TIBERIUS de Chriſto retuliſſe fertur ad ſenatum, cum jam a pluribus DEUS eſſe crederetur, ut inter Deos referretur; abnuiſſe autem ſenatum, (*a*) eoquod non ſibi prius hujus rei judicium fuerit delatum, ſed auctoritatem ſuam prævenerit vulgi ſententia. TERTULLIANUS, eis temporibus propinquior refert: Cæſarem nihilominus in ſententia manſiſſe. Si hæc ſuſpecta in ſcriptoribus chriſtianis videantur, LAMPRIDIUS in SEVERO plura nobis in eandem rem de aliis imperatoribus refert: ALEXANDRUM nimirum *Severum* Chriſto templum facere voluiſſe, eumque inter Deos recipere: *Quod*, idem ait, *& ADRIANUS cogitaſſe fertur, qui templa in omnibus civitatibus ſine ſimulacris juſſit fieri, quæ hodie idcirco, quia non habent Numina, dicuntur Adriani, quæ ille ad hoc paraſſe dicebatur*. Quomodo autem ALEXANDER *Severus* non ſolum in larario Chriſtum coluerit, ſed etiam frequenter laudarit & inculcarit chriſtianam doctrinam, idem narrat. Præſertim autem admiratus eſt illam chriſtianam doctrinam: *Quod tibi non vis*

(*a*) Euſ. hiſt. eccl. L. II. c. 2.

vis fieri, alteri ne feceris. Quam, inquit, uſque adeo dilexit, ut & in palatio, & in publicis operibus præſcribi juberet. Sic ergo ſe commendabat ſua ſponte vera religio & divina doctrina, atque falſæ inanitatem abſurditatemque ob oculos ponebat facile omnibus, quibus mens non læva, & aliqua rationis adhuc micabat ſcintilla agnoſcenda.

CAPUT XXII.

Judaicam legem temporariam fuiſſe, & peculiarem genti Judaicæ, jamque abolitam eſſe.

I.

Judaicam legem non ad omnes pertinuiſſe.

Facile patet, & ſuperius a nobis eſt indicatum, ejusmodi fuiſſe Judæorum ſtatuta, ut ea, quæ ipſis tanquam genti in peculium DEI ſecretæ, ſpecialia fuerunt, ab aliis populis ſine ſalutis diſpendio negligi potuerint. Quis enim dubitet, MOYSEN JETRONI ſocero ſuo legis ſuaſurum obſervationem, aut Judæos deinceps illis, quibuscum paciſcendum, ac res gerendæ erant, nec non & prophetas ad ſuſceptionem rituum ſuorum hortaturos, exempli cauſa JO-

NAM Ninivitas, ſi æque aliis neceſſariam judicaſſent legem, ac Judæis? Quid ſi neceſſaria ea lex omnibus, cur uni ſoli genti præſcripta? Cur poſterioribus primum temporibus exorſa? Hanc rem ſtrenue proſequitur EUSEBIUS ſtatim initio ſuæ demonſtrationis evangelicæ, oſtendens eorum exemplo, qui extra legem MOYSIS ſalutem conſecuti ſunt, nec gentiles fuerint, tertiam quandam rationem cultus divini ſupereſſe, ſecundum quam recte vivere poterant; quæ a. ſit, ut ibi loquitur(a), antiquiſſima quidem, omnesque alias ætate antecellens, ſed quam recenter omnibus gentibus noſter ſalvator annunciavit. In multis etiam ei uni genti accommodatæ erant religionis functiones & propriæ, nihil ad alias gentes pertinentes.

Neque ſingulares leges & ritus ſeipſis placare DEUM quiviſſe.

II. Neque etiam ejusmodi fuerant ſingulares ritus, & inſtituta Judaica, ut per ſeſe placando Numini apta eſſent: quod iratum eſſe, & ipſa naturæ noſtræ corruptio, & omnis eccleſiæ DEI a mundi primordiis clamabat conteſtatio. Sic in anxio illo ciborum diſcrimine, & dierum obſervatione, ipſo etiam in circumciſionis ſigno, & ſacrificiorum mactatione, ſi in ſeipſis ſpectes, nihil deprehendes, quod gratum DEO eſſe debuerit;

rit;

(a) EUSEBIUS demonſt. Evang. L. I. c. 2.

ſit, niſi quod jubentis DEI, inſtituentisque voluntate, aut obſequentium pio ſtudio accepta placitaque redderentur. Quomodo enim ſacrificia ſatisfactionem ex ſeſe præſtare potuiſſent, cum inter juſtitiam divinam infinitam peccatis noſtris læſam, & inter mortem pecudis proportio nulla detur: imo frater fratrem redimendo non redimat (*a*). Solum igitur voluntati divinæ non juſtitiæ ſatisfacere potuerunt. Quoniam vero æquum eſt & huic ſatisfieri, alibi, nimirum in chriſtiana religione, hæc ſatisfactio optime ſe prodit. Non defuerunt ex Judæis, qui hæc ita ſe habere agnoſcerent. Etiam complura in hanc rem extant ſcripturæ teſtimonia, quibus ſacrificiorum per ſeſe inutilitas ſæpius declarata eſt. De aliis legibus & cæremoniis, temporibus Meſſiæ abolendis, ipſi Judæorum magiſtri antiqui teſtantur, ac Talmud in titulo *Nida* fatetur, legem de cibis vetitis non manſuram, niſi ad tempora Meſſiæ.

III. Itaque præcipuum, quod ſpectari poterat in ritibus, & ſacrificiis Judaicis, umbra erat rerum futurarum, ut nempe iſtis præſignificarentur, quæ in plenitudine temporis conſumanda erant, atque ſacrificiorum expiationes effectum haberent,

Sacrificia & cæremonias figuram futurorum fuiſſe.

(*a*) Pſal. XLIX. 8.

berent, relatæ ad eum, qui vere aliquando exſolveret, redimeretque peccati contracti debitum. (*a*) Cum enim ſanguis taurorum & hircorum auferre peccata non poſſit, & omne hominum genus expiatione viva, veraque indigeat, cujus figuram gerebat, id quod apud Mosem conſtructum vocatur propitiatorium; nulla propitiatio viva veraque eſt, niſi Salvator ac Dominus noſter ille Agnus DEI, de quo dictum eſt: *Ecce Agnus DEI, qui tollit peccata mundi.* Apud ipſum vero Malachiam, qui ultimus prophetarum repudium legis veluti indicandi cauſa miſſus videtur, & deſtinatus, declarat DEUS faſtidire ſe eorum munera & ſacrificia, futurumque prædicit quod jam impletum cernimus, ab ortu ſolis uſque ad occaſum apud omnes gentes fore, ut celebretur divinum Nomen, ſuffitus fiat, & ſacrificiorum mundiſſima oblatio. Apud Danielem etiam de Chriſto prædicitur, aboliturum ipſum ſacrificium & munus ſacerdotale.

Prædictū in V.Teſt. Chriſtum a Judæis ad gentes ſalutem translaturum.

IV. Notum fuit Judæis, fore aliquando venturum, qui res humanas collapſas reſtauret, ſed quod de totius orbis futura liberatione, & proſperitate in ſuis prophetis legunt, invidi ſibi ſolis tribuen-

(*a*) Euseb. L. VIII. Demonſt. p. 385.

buendum ſperant, cum potius & ſuam reprobationem, & gentium electionem conjicere ex prophetarum prædictionibus debuerant: quod cæci non attendentes Judæi libros ſuos ſuæ pervicaciæ teſtes, ſuæque proſtitutionis indices portant, & quem ignorant ſenſum, dum male præfert, quæ ad ſe pertinent, aliis adjudicant, bona vero aliis promiſſa ſibi vendicant, nec agnoſcunt ſalutem ex ſe quidem orituram, ſibi autem non profuturam. Judæi quaſi unice ſibi proprium, ſui ſatagentem imaginantur: cum ſit Creator & Redemtor omnium, ejusque ad omnes pertineant beneficia. Quodſi peculiarem ſui curam & providentiam aliquando habuit, atque ſui notitiam perennem tribuit; ſi alias etiam gentes ad viam ſalutis adducit, ſe vero, commune divini ſervitii jugum ferre renitentes, repudiavit, juſtitia ſumma id factum.

V. Hoc clarius ex eo eluceſcit, quod temporariam ſolummodo acceperint legem. S. Paulus epiſtola ſua ad Hebr. contra Judæos invictum hac de re affert, accuratiſſimeque pertractat argumentum, de ſacerdotio. Cujus argumenti vis jam eo major eſt, quod tanto tempore omni munere, & functione ſacerdotali deſtituantur, poſt templi Jeroſolymitani rui-

Legem Moſaicam temporariam tantum fuiſſe.

nas

nas & excidium. In eo autem verſatur Paulina ratiocinatio: cum lex & ſacerdotium inſeparabiliter ſibi connexa ſint, Meſſias autem futurus ſacerdos ſecundum ordinem MELCHISEDECH ſit, & ex tribu JUDA, lex vero ſolummodo ſacerdotii officium tribui Aaronicæ attribuerit; probat, ſtatuitque S. PAULUS neceſſario cum Meſſiæ adventu legem ceſſaturam: maxime cum hoc Meſſiæ ſacerdotium æternum ſit prænunciatum: *Tu es ſacerdos in æternum.* *Si ergo*, ver-
a. ba ſunt apoſtoli (*a*), *conſummatio per ſacerdotium Leviticum erat* (*populus enim ſub ipſo legem accepit*) *quid adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere ſacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici? Translato enim ſacerdotio neceſſe eſt, ut & legis translatio fiat, in quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim, quod de Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de ſacerdotibus Moyſes locutus eſt. Et amplius adhuc manifeſtum eſt: Si ſecundum ſimilitudinem Melchiſedech exurgat alius ſacerdos, qui non ſecundum legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim, quoniam tu es ſacerdos in*

æter-

(*a*) Hebr. VII. 11. &c.

æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Quod hodierni Judæi Chriſti ſeu Meſſiæ ſacerdotium dum inficiari conantur, contra omnium antiquorum ex ſuis fidem faciunt, qui pſalmum CIX, in quo de æterno ſacerdotio ſecundum ordinem MELCHISEDECH prophetia habetur, de Meſſia intelligi debere fatentur, aſſentiunturque & Targumiſtæ: Scribæ vero & Phariſæi cum ipſis a Chriſto hujus pſalmi auctoritas pro Meſſia objiceretur, eam in dubium vocare auſi non ſunt. Deinde Meſſiam MOYSIS legibus haud obſtrictum iri ex ipſiſmet Rabbinis fuerunt, qui agnoſcant; indeque concluſere, quoniam Meſſias propheta major ſit futurus MOYSE, jus ideo illi competiturum ejuſdem immutandi inſtituta: ut vel hinc labefactetur, quod paſſim Rabbini de æternitate legis Moſaicæ comminiſcuntur. Si autem Meſſiæ ſacerdotium jam nolint agnoſcere, oſtendant ſuum adhuc perſeverare: qui, cum ſacrificia nulla offerant, conſequenter ſacerdotium nullum habent: nec ſufficit reſponſio, quod templum & locus ad ſacrificia deſtinatus ſit deſtructus, hoc cauſæ eorum adhuc plus obeſt, quia non ſolum ſacerdotio, ſed etiam templo careant

Præſens Judæorum ſtatus arguit Meſſiam jam adeſſe, & ſynagogam repudiaſſe.

VI. Quod ſi Judæi his omnibus, quæ de ipſis propriæ ſuæ continent ſcripturæ, fidem habere detrectant, ſibi ipſis credant, ſuoque malo ſapiant. Quantas a DEO acceperint promiſſiones, quanta impenſa beneficia, & data ſingularis benevolentiæ monumenta, ſe neſcire dicere non poſſunt: cum tanta inde ſuperbiæ ſtoliditate efferantur, & cæteras deſpiciant nationes. Quid vero talium per mille ſeptingentos annos ſentiunt peculiarium munificentiæ divinæ documentorum? Vitia ſua & crimina cauſantur impudentes: non abnuo, ſed nec patrum ſuorum grandia delicta idololatriæ cumprimis requiro, a qua cum liberi ſint, tanto tamen tempore a DEO derelicti, malis omnibus accumulati, patrio ſolo extorres vagantur, nec vel illud obtinent, ut DEUM ſuis ritibus, cæremoniis, & obſervantiis colere poſſint: & inter hæc omnia mala ſuſpirant, gemunt, Meſſiam vocant, cœlum clamoribus & votis implent conſtanter adhærentes legi, nec ab ea dimoveri ſe ulla arte patientes. Putemusne DEUM benigniſſimum hæc omnia tam longo tempore incaſſum iri permiſſurum? Majus aliquod idololatriæ ſcelus ſubeſſe debet, quare tam male, dure, acerbeque habeantur: inter tot clamores & ſuſpiria,

tot

[illegible] gemitus & lacrimas, quibus deſide-
[illegible] ſibi ſolis, non gentibus, contra
[illegible]ram, petunt. Quod igitur eſt
[illegible]lus Judæorum tam grave & enorme
[illegible] malorum ſuorum? Niſi quod
[illegible]ſſiam non ſuſceperint ſalvatorem. Ipſi
igitur in ſeipſis portant teſtimonium re-
probationis ſuæ, ſicut[illegible]e illis prædi-
ctum eſt per OSEAM III. 4. *Sedebunt fi-
[illegible] Iſrael ſine rege, & ſine principe, & ſi-
ne ſacrificio, & ſine altari.* Nec tamen,
ut itidem prædictum eſt, deficit hæc
gens, ſed magno adhuc hodie in nume-
ro eſt, quamvis ſub Romanis imperato-
ribus, aliisque perſecutoribus ad necem
undique ſint perducti, diſperſi in totum
orbem terrarum omnium odio excepti
& calumniis. Nihilominus modo con-
ſiſtu[illegible]mi in avita lege, quam ſub pro-
phetis, ſub regibus, atque ſub ipſo re-
ligioſo templi contuitu ſemper leviſſime
abjiciebant, ac pronis ulnis peregrinam
ſuſcipiebant religionem. Cum tot ſint
argumenta reprobationis eorum ſuæque
legis, quam olim habuerunt teſtimonia
electionis in ſingularem populum. *Ubi
extremum*, inquit EUSEBIUS (*a*), *illo-
rum ſcelus appropinquavit, tum omnia in-
dicavit, dicens: Ecce relinquitur vobis do-
mus veſtra deſerta*, *quodquidem ipſum im-*

U 2 *ple-*

(*a*) Demonſt. Evang. L. VIII. p. 401.

pletum eſt, quo tempore dum ille cruc
fixus eſt, velum templi medium toto
tus altitudinis ſuæ ſpatio ſciſſum eſt, ſ
tumque ex illo vi quadam: DEO gr
ex inſtitutione legis ſacrificium, & lib
quæ ſublata abominatio deſolationis, ſe
dum eam, quæ nunc in manibus eſt
phetiam, in loco illo ſecuta eſt.

CAPUT XXIII.

Chriſtianam eccleſiam in locu
ſynagogæ ſucceſſiſſe.

I.

Chriſtus eccleſiæ in orbe inſtaurator.

Exortus igitur eſt Jesus Chris
ſidus illud præfulgidum in totc
be corruſcans. Eccleſia chriſtiana
nagogam non ſolum obſcurans, ſe
conſumens, & diſſipans, quamvi
ædificationem ſuam hujus ſit uſa n
ſterio. Atque unius quodammodo
poris ſit conſervatio, quemadmodu
humano corpore accidit, quando a
rili in virilem proficit ætatem par
materiæ ſeſe renovantibus prior
exhalantibus particulis, atque novis
mioribus ſuccedentibus. *Hebræorun*
a. *ge* (a), *apud omnes divulgata, & i*
ſu

(*a*) Eusebius Demonſt. evang.

ſuaviſſimi odoris per univerſas gentes late diffuſa, cum ex illa pleræque nationes legumlatorum, ac philoſophorum opera mitiores jam ſenſus hauſiſſent, & morum feritas, atque immanitas in manſuetiorem cultum converſa eſſet: adeo ut profunda pax & amicitia, mutuaque inter mortales commercia intercederent: tunc demum reliquis etiam hominibus, cunctisque per orbem terrarum gentibus, utpote jam præparatis, & ad notitiam DEI Patris percipiendam idoneis ipſe ille virtutum magiſter, & Patris ſui in omnibus bonis miniſter divinum & cæleſte DEI verbum in hominis ſpecie nullatenus a corporum noſtrorum natura diverſi, ſimul cum ipſo Romani imperii exordio apparens, ea fecit & pertulit, quæ prophetarum oraculis conſentiebant: quibus hominem pariter ac DEUM admirabilium operum effectorem in terras venturum eſſe, & Patris cultum, ac religionem cunctis gentibus traditurum: inuſitatam quoque ejus naſcendi rationem, novam doctrinam, miracula, ad hæc mortis genus, & reſurrectionem, poſtremo divinum in cælos reditum olim prædixerant. (*a*)

U 3 II. Fuerat

(*a*) S. AUGUSTINUS, quo neminem facile perſpicaciorem repereris, tum multis aliis in locis, tum ſuo illo ſpeciatim de vera religione opere, de fidei noſtræ auſpicio optima promit momenta, quæ ſi in animum induce-

Fides omnis, qua ſe divinum Numen ho-

II. Fuerat itaque in Chriſto fides illa conſummanda, & ad ſumum producenda

rent Judæi, velumque illud, quod olim in morte Chriſti ſciſſum eſt, de ſuis etiam pectoribus abrumperent, ad intelligentiam divinæ diſpenſationis in adventu Chriſti factæ pervenirent. Vult autem accedentem ad fidem chriſtianam prophetiarum monumenta luſtrari, & ex eorum veritate ſecuta, atque in Chriſto completa ad omnia ea credenda nos præparari, quæ a Chriſto & apoſtolis prædicata ſunt & enarrata. Si tamen antea animum applicuerimus, ut DEI auctoris noſtri rectam notitiam fuerimus conſecuti, a quo immutabili omnis mutabilis creatura, quod eſt totum, habeat. *Quo cognito*, inquit, *ſatis apparebit, quantum homo aſſequi poteſt, quam neceſſariis & invictis, & juſtis legibus DEO & Domino ſuo cuncta ſubjecta ſint. Ex quo illa omnia, quæ primo credidimus, nil niſi auctoritate ſecuti partim ſic intelliguntur, ut videamus eſſe certiſſima, partim ſic, ut videamus fieri poſſe, atque ita fieri oportuiſſe, doleamusque illos hac non credentes, qui nos antea credentes irridere, quam nobiſcum credere maluerunt*, *Non enim*, pergit, *jam illa hominis ſacroſancta ſuſceptio, & Virginis partus, & mors Filii DEI pro nobis, & reſurrectio a mortuis, & in cælum aſcenſio, & conſeſſus ad dexteram Patris, & peccatorum abolitio, & judicii dies, & corporum reſuſcitatio cognita æternitate Trinitatis, & mutabilitate creaturæ creduntur tantum, & non etiam judicantur ad ſummi DEI miſericordiam, quam generi humano exhibet, pertinere.*

cenda culmen, qua ſeſe divina benignitas nunquam non manifeſtare, & quid fieri ab hominibus vellet, ſciſcere, & conſtituere voluit: ne humana natura ob adſcitam ſibi corruptionis peſſimæ labem, longius aberraret a ſalute ſua, & agnitione auctoris ſui: illa, inquam, ſpectabilis creatura, quæ in orbe hoc principatum conſecuta, eumque in finem cætera ſibi omnia concredita ſuſcepit, ut per ipſam ad gloriam Creatoris revocarentur omnia.

mini palam facere voluit, in Chriſto abſoluta.

III. Neque juſtam habent Judæi cauſam, cur non agnoſcant Chriſtum pro vero ac promiſſo in lege Meſſia: qui miſſionem ſuam divinam tam illuſtribus argumentis oſtendit, præſertim tot miraculis, quorum Patres ſui teſtes fuerunt, nec contradicere auſi, quando hæc evangeliſtæ in ipſorum conſpectu litteris mandarunt. Imo ipſi fateri jam olim coacti ſunt in publicis & ſacerrimis apud eos poſt ſacram ſcripturam monumentis: nec hodie prudenter negare poſſunt, rem iisdem ac tam evidentibus ſaltem documentis aſſertam, quam miracula a MOYSE, aut alio ſuo propheta edita, ob conſtantem nimirum & perpetuam famam, quæ non potuerit niſi ex teſtimonio eorum, qui rem ſuis oculis uſurpaſſent, proficiſci. Maxime au-

Chriſtus ſe miſſum a DEO Judæis evidenter demonſtravit.

tem hic enitet teſtimonium reſurrectionis Chriſti tot teſtium ſanguine firmatum. Cum ipſi celebres eo tempore Judæi præclarum de Chriſto teſtimonium tulerint, inter quos præſertim JOSEPHUS, qui pœnas graviſſimas, quas DEUS a Judæis ſumſit, a Chriſto autem aperte & expreſſe prænuntiatæ ſunt, diſſerte & fideliter deſcribit: Evangelicam vero & apoſtolicam hiſtoriam in pluribus capitibus illuſtrat & confirmat. Hæc inter habetur celebratiſſimum, quod hic JOSEPHUS dedit, teſtimonium de Chriſto, quod putatur quidem quibusdam ab aliena manu inſertum, ab aliis locus ſaltem interpolatus, a multis vero viris eruditiſſimis pro genuino agnoſcitur. Quo in loco JOSEPHUS JESUM pro Chriſto agnoſcit. Certe is de JOANNE Baptiſta, & de JACOBO honorificentiſſime loquitur: qui ambo Chriſto teſtimonium perhibuerunt, & eum pro Meſſia habuerunt.

Examinatur autententia teſtimonii JOSEPHI de Chriſto.

IV. Magnum vero argumentum hæc ipſa commemoratio & teſtimonium de JOANNE Baptiſta ac JACOBO præbet, ne, quod de Chriſto protulit, in dubium vocetur: cum negari nequeat multo celebriorem Chriſti fuiſſe famam & geſta, quam amborum horum. Quod in relatione de JACOBO facta ipſe prodit

JOSE-

JOSEPHUS: ubi non ſolum JESUM Chriſtum ingerit tanquam ad dignoſcendum notandumque ipſum JACOBUM, utpote notiorem, maxime idoneum, eum vocans fratrem JESU, qui Chriſtus diceretur (*a*). Difficultatem movet in textu JOSEPHI de JESU Chriſto, atque BLONDELLUS, teſtimonium illud impugnans; maxime urget: quomodo credendus ſit homo ſtirpis ſacerdotalis ſectæque Phariſaicæ hoc nomen, nimirum Chriſti adhibiturus? Quaſi vero id facere debuerit hiſtoricus propria ex perſuaſione, nec id potuerit facere ſecundum communem appellationem, qua & ipſe JESUS Chriſtus, & qui in eum credebant chriſtiani ab omnibus Judæis & gentilibus SUETONIO, TACITO, LAMPRIDIO aliisque compellabantur: interpretaturque ipſe HIERONYMUS verba JOSEPHI ὁ χριςὸς ἀυτὸς ἦν· *Et credebatur eſſe Chriſtus.* Verum eſt, primos ſcriptores chriſtianos etiam contra Judæos agentes, JUSTINUM & ORIGENEM Græcos hoc minime uſos eſſe teſtimonio. At de JUSTINO res mira videri non debet cum ei cum TRYPHONE convenerit, non aliis quam ſcripturæ auctoritatibus pugnare. Nec aliquid apud Judæos JOSEPHI valuiſſet aucto-

(*a*) Τὸν ἀδελφὸν Ἰησοῦ τοῦ λεγομένου χριστοῦ.

ritas ſynagogæ plurimum exoſi. Quæ etiam cauſa eſſe poteſt, cur reliqui doctores tunc temporis ejus teſtimonio uſi haud ſint, aut forte codicibus a Judæis corruptis decepti fuerint, cujusmodi fraudem Baronius ex codice, qui hodieque in bibliotheca Vaticana aſſervatur, detexit; cum nunc in omnibus manuſcriptis & impreſſis habeatur: atque a ſæculo uſque IV. a magno auctorum numero Eusebio, Hieronymo, Sophronio, Rufino, *Iſidoro* Domieta, Sozomeno, Cedreno, *Nicephoro* Calisto, Suida aliisque tanquam genuinus ſuſceptus ſit & laudatus. Neque ullum hactenus indicium patuit, quando & a quo potuerit ſuppoſitio fieri, & in omnes omnium terrarum codices irrepere. Quod enim afferunt, ipſum contextum non ſatis ſibi cohærentem id indicare, frivolum eſt, ut patebit examen inſtituenti: quod haud ſemel a noſtris eſt factum, atque demonſtratum, textum rite, ſecundum ſtilum hiſtoricum modumque ſcribendi Josepho uſitatum, eſſe poſitum, nec melius cohærere, ſi dematur. (*a*)

Conſtatq; ex ſtatu Judæorum Meſſiam jam veniſſe.

V. Alias vero noſtri auctores ſæpiſſime demonſtrarunt, omnia Meſſiæ propria Chriſto JESU convenire, atque omnia ad

(*a*) Vid. Abb. Houtevil. la Religion prouvée par les faits. T. I. c. 11.

ad unguem uſque in eo completa eſſe de ipſo vel præfigurata, vel prædicta. Quod illo tempore, quo recens adhuc horum omnium erat memoria, imo quo ipſo tempore fiebant, Chriſtus ejusque diſcipuli evangeliſtæ & apoſtoli oſtendebant. Hoc enim modo Chriſtus ſuis verum Meſſiam ſe eſſe demonſtrabat, præſertim poſt reſurrectionem exponendo ſcripturas de ſe ſumma efficacia. Judæos etiam ad ſcrutandas ſcripturas ablegabat, ut diſcerent ſibi convenire, quæ Moyses & prophetæ de Meſſia vaticinati ſint. Idem deinceps in prædicationibus & ſcripturis faciebant apoſtoli: ac Paulus in ea præprimis epiſtola, quam Hebræis inſcripſit. Accedit, quod ad hæc uſque tempora ſemper magis innotuerit Meſſiam jam adveniſſe, & religionem quæ ipſum colit, veram eſſe: quod a tanto tempore Judæi nunquam ad amiſſum ſceptrum, ac promiſſam terram potuerint pervenire, nec templum reſtaurare: cum expreſſe prædictum ſit, illius templi gloriam majorem, quam prioris a Salomone ædificati, futuram: quod jam tam longo tempore deſtructum jacet, & tempore Juliani, ne iterum poſſet reſtaurari, ignis e terra prorumpens impediebat. Atque hodie ipſum etiam oppidum, in quo Chriſtus naſciturus

turus eſt prædictus deſtructum jacet: nec ulla amplius tribuum ſupereſt diſtinctio, ut poſſit in eo agnoſci verus Meſſias, an ex tribu JUDA, & ſemine DAVID eſſet, poſt captivitatem Babylonicam adhuc conſervata iſta genealogia: hodie vero nullus Judæorum ſcire poteſt, ex qua tribu ducat originem: poſtquam jam ſupra mille & ſexcentos annos in orbe vagantur ſine regimine, & fere ſine lege, cum plerasque tam forenſes, quam cæremoniales ſervare nequeant. Quod aperto argumento eſt, nolle DEUM legem amplius ſubſiſtere, quippe qui media eam exercendi ſubtrahit, ac interim ei religioni, quæ Meſſiam jam adfuiſſe ſentit, florem & propagationem per univerſum mundum modo prorſus mirando conceſſit. Cum Judæi in hujus religionis ditionibus jugo preſſi, fruſtra de die in diem præſtolentur Meſſiam. Cujusmodi quoniam varios jam variis temporibus venditarunt, oſtendunt hoc ipſo ſe agnoſcere tempus ejus adventus jam præterlapſum: ne autem vel a ſeipſis confundantur, prohibent tempora adventus illius computare. Præſertim autem tempore Chriſti ita de proximo ejus adventu perſuaſi erant, ut pro eo alii HERODEM, alii JUDAM *Gaulonitam*, alii alios qui circa JESU tempora vixe-

vixerunt, pro Meſſia haberent. Nec aliud Judæos a Chriſto JESU ſuſcipiendo impediebat, quam quod infenſus eſſet, ob libertatem carpendi vitia ſua, & quod ejus humilitas eorum ſuperbiæ contraria eſſet, ipſique potius regnum carnale exſpectarent.

CAPUT XXIV.

De Judaicis erroribus tum in ipſo Judaiſmo, cum in Chriſtianiſmo ortis.

I.

Sectæ antiquæ Judaicæ.

Proximis Chriſti adventui temporibus variæ caput erexerunt ſectæ, ut vel ipſa evangelica hiſtoria de Phariſæis, Sadducæis, & Herodianis nos docet, quas & alias antiqui nonnulli Patres inter hæreticos Judaicos numerant; tametſi credere in Phariſæorum doctrina quidquam enormius peccatum fuiſſe, videatur Chriſti verbis adverſari: *In cathedra Moyſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite* (*a*). Ad has & illa Eſſenorum referenda eſt, cujus nulla in novo teſtamento habetur mentio, eoquod extra Judæam in Ægypto potiſſimum verſaretur a.

tur

(*a*) Math. XIV.

tur. Fuerunt hæ ſectæ inſtar philoſophorum illarum apud Græcos hæreſum, non ea nominis notione, qua hodiedum uſurpatur: ita ut Phariſaica ad Stoicam diſciplinam proxime accedat, qui omnia fato tribuerunt; Sadducaica ad Epicuream, qui providentiam ſaltem alterius vitæ præmia & pœnas negant: Eſſenica ad Pythagoricam diſciplinam: qui etiam chriſtianis accedunt, præſertim Therapeutæ, unde a multis pro chriſtianis habentur. Herodiani inſtitutis fere cum Phariſæis, ſeu etiam, quæ nonnullorum opinio eſt, cum Sadducæis conveniunt, addicti peculiarius Herodi. Sadducæi licet multo Phariſæis moribus meliores, ſententias fidei divinæ multum adverſantes tuiti ſunt, utpote qui ſpiritus exiſtere negaverint, & reſurrectionem carnis. Eos vero DEUM corporeum putaſſe, oppido incertum, nec illud ſatis exploratum, quid de cæteris præter Pentateuchum ſcripturis ſenſerint. Tamen tunc iſta necdum ad fidei perfectionem cum tracta ſint, promiſcua communione omnes hæ ſectæ uſæ ſunt, ſingulæ ad ſacra ipſumque pontificatum admiſſæ. Sectæ tres priores jam a tempore Machabæorum juxta Josephum (*a*) invaluerunt.

II. Ma-

(*a*) Jos. antiq. Jud. L. XIV. c. 9. Vid. Hou-

II. Majoris nominis fuerunt ſchiſmata, quæ obtinuerunt inter Judæos, imprimis illud tempore ROBOAMI & JEROBOAMI, invecto cum regni divortio religionis ſchiſmate. Hinc ortum præcipuum illud Samaritanorum cum Jeroſolymitanis contendentium de templo Garizim, de quo habemus diſceptationem mulieris Samaritanæ cum Chriſto. Licet autem a nonnullis ante Chriſtum ſæculis immunes fuerint ab idololatria, in pluribus tamen a Judæis diſſentiebant, licet legem MOYSIS, ſolum Pentateuchum admittentes, ſervarint, & Meſſiæ adventum præſtolati ſint. Tertium etiamnum viget inter Judæos grave, inter Traditionarios ſeu Rabbinos, & Karaitas: quorum ultimi ſolam ſcripturam, alteri etiam traditam admittunt doctrinam. Sunt qui hoc ſchiſma primum exortum putent poſt Chriſtum natum, idque ſæculo demum octavo: aliis antiquiſſima omnium ſecta habetur, cujus initium ab ætate PTOLOMÆI *Philadelphi* ſit repetendum. Ignotius eſt vulgo ſchiſma illud ab ONIA, ONIÆ III. Pontificis filio inſtauratum, in Ægypto extructo templo, quod eſſet æmulum Jeroſoly-

Schiſmata Judaica.

TEV. Diſc. hiſtorique & critique ſur la methode des auteurs qui ont ecrit pour & contre le Chriſt.

ſolymitano : cui ſe caput & pontificem præfecit Onias, ſacerdotes, & alia ſacra inſtituit. Quod templum dum ab Onia nomen ſervaſſet, haud ignobiles auctores conjectati ſunt, inde fabulam manaſſe, Judæos caput aſini pro DEO coluiſſe, ex ſimilitudine nominis Ὀνίȣ, & ὄνȣ, hoc eſt aſini.

Hæreſes in chriſtianiſmo ortæ ex Judaiſmi aut nimia obſervantia, aut deſpectu.

III. Venimus ad eas hæreſes, quæ in Chriſtianiſmum illatæ ſunt ex nimio aut legis Moſaicæ ſtudio, aut deſpicientia profectæ. Nota eſt tum ex apoſtolorum actibus, tum ex epiſtola S. Pauli ad Galatas effervéſcens inter ipſos apoſtolos, virosque apoſtolicos de legalium obſervatione, maxime circumciſionis, & communionis, convictusque cum gentilibus controverſia : cujus gratia Cephæ, in faciem ſeſe reſtitiſſe, ſcribit
a. Paulus (*a*). Qua de re conſtat legationem Jeroſolymis a Jacobo Antiochiam miſſam ad apoſtolos, atque concilium poſtea Jeroſolymis habitum, ubi abrogata ſunt legalia, cum Chriſtus hac de re nihil aperte conſtituiſſet. Non potuit tamen legis obſervantia, Judæis quibusdam ad chriſtianam fidem ſeſe convertentibus, ita deſeri, ut non Judaizarent quandoque. Scimus etiam poſt apoſtoli-

(*a*) Gal. II. 11. 12. &c.

ſtoſiorum ſæculum in Aſia conſuetudinem celebrandi Paſchatis cum Judæis tantas radices egiſſe, ut ſive POLYCRATES a VICTORE, ſive POLYCARPUS ab ANICETO adduci haud potuerit, ut diverſam Romanæ & aliarum eccleſiarum conſuetudinem reciperent. JUSTINO viſum eſt ſæculo jam altero a Chriſto Moſaicas obſervantias necdum mortales eſſe. Atque nota eſt quarto ſæculo Sabbathianorum hæreſis. Sed omnium peſſime primis ſtatim eccleſiæ temporibus hac in re egit EBION, qui cum tenaciſſime legis Judaicæ obſervationem requireret, ideo PAULUM tanquam apoſtatam habuiſſe traditur, quod in legalium uſum cæteris acrius invectus ſit. Contraria fuit MARCIONIS hæreſis, & quæ ex hac pullulavit Manichæorum, quæ ſic alienæ fuerunt a Moſaica lege, ut illam malo principio, cum duo ſtatuerent bonum & malum, tribuerent, hincque vetus damnarent teſtamentum: qui hodie error quadantenus etiam Anabaptiſtis tribuitur.

IV. Quid de hodiernis Judæis dicamus? qui ab avita fide ſua, & lege in plurimis defectionem fecerunt Rabbinicis ſuis, & Talmudiſticis nugis fabulisque toti addicti. Duas hodiedum in ſectas diviſi ſunt Karaicam, & Rabbinicam, *Adumbratio hodiernorum Judæorum.*

X de

de quibus mox diximus: illi ſuæ doctrinæ principium unicum ſcripturam Talmude, omnibusque Phariſæorum traditionibus repudiatis, conſtituunt. Hi, numero longe ſuperiores, duobus ſuam abſolvunt theoſophiam, ſcriptura nempe ſeu ſcripta lege, & Talmude orali lege. Quæ duæ ſectæ ſibi infenſiſſimæ diris ſe devovent, & execrantur; ſed Talmudiſtæ celebriores ſunt. Continet autem Talmud doctrinam & ſententias Rabbinorum antiquorum, nec non traditiones avitas, omnemque complectitur diſciplinam, qua nunc Judaica regitur natio. Hodie Judæi a priſcis nihilominus in plurimis diſcedunt, docentque non pauca, quæ cum chriſtiana doctrina pugnent, imprimis vero de Meſſia, quem adhuc præſtolantur, mentibus eorum præjudicata inſidet opinio, a quo terrenum principatum, regnumque reſtituendum ſperant, ac ſtabiliendam legem ſuam, ritus & cæremonias, quas æternum perſeveraturas putant. Meſſiæ adventus finem non ponunt redemtionem humani generis a peccatis, ſed liberationem ex captivitate Romana: ſunt qui duos fingunt, unum pauperem ex tribu JOSEPH, alterum divitem & excelſum ex tribu JUDA & familia DAVID: alii Meſſiam demum in fine

mundi

mundi venturum: alii aliter ſentiunt, & inter ſe mirum in modum de tempore Meſſiæ colliduntur. Ne quid de commentis aliis dicam, quibus pertinaciſſime ſeſe ſuis in erroribus contra Chriſtum, chriſtianumque nomen obfirmarunt, quod multi etiam ex illis peſtilentiſſimis contra chriſtianos ſcriptis declararunt. Notum eſt diſſidium illud MAXIMILIANI Cæſaris ævo inter *Joannem* PFEFFERKORNUM, chriſtianæ profeſſionis Judæum, diu agentem apud Cæſarem, ut abolerentur impii & rabuliſtici Rabbinorum libri nugaciſſimi; renitente *Capnione* REUCHLINO, atque conſultius judicante ſi ſervarentur, ex quorum fallaciis optima cudi poſſent arma. Romam etiam delata lis, poſtquam diu in academiis, maxime Colonienſi & Pariſienſi arſiſſet, variis animorum æſtibus agitata, tandem ſopita eſt. Ipſo momento, quo hæc prelo committo, fertur ad nos ex Polonia nuntius, ſectam adverſam Talmudiſtis videri oculos aperuiſſe, & verum agnoſcere Meſſiam, veramque chriſtianam religionem etiam contra adverſam partem publice propugnare velle. Sed necdum fidunt perfidæ genti Noſtri, diesque docebit, tempus ne illud propinquet, quo velamen ab im-

piorum Judæorum ſit tandem ſubtrahendum oculis.

CAPUT XXV.

De Mahumedaniſmo.

I.

Cur Mahumedaniſmo hic locus datus.

Dubitavi, an & Mahumedanæ perverſitati locus aliquis hic dandus eſſet in hac brevi religionum recenſione ad id inſtituta, ut rejectis omnibus aliquando inſtitutis cœtibus, religionem profitentibus, ſive veram & deficientibus, ſive falſas, ad unam illam veri DEI eccleſiam viam complanarem. Multi ex ſanctis etiam Patribus in MAHUMEDEM ſtilum acuerunt: perhibet *Euſebius* RENAUDOTIUS in hiſtoria patriarcharum Alex. multa Arabico etiam idiomate aſſervari in bibliothecis manuſcripta adverſus Mahumedanos, quæ edi optandum eſſet, ac inter Turcas ſpargi. Et quamvis Turcicæ plebi interdicatur lectio librorum ad religionem pertinentium, atque MAHUMED in Alcorano credi ſibi velit ſine inquirendi libertate, fructus tamen inde aliquis ſperari poſſet, cum chriſtiani ſaltem inter Turcas verſantes rationes contra eos inde repetere

tere

tere poſſint. Unde ſuadet POSSEVINUS hæc eadem, ſeu pro ſuggeſtu in concionibus, ſeu libellorum, qui iſta continerent diſſeminatione, docendos eſſe exercitus & claſſes chriſtianas, ſi quando in orientem fieret expeditio, ne dum ferro alios appeterent, ipſi erroribus adverſus fidem inficerentur.

Hiſtoria dogmatica Mahumedaniſmi.

II. Mahumedana perfidia a MAHUMEDE nomen & originem habet, ſeptimo ineunte ſæculo ſeſe caput ſingularis religionis efferente, quæ unius quidem veri DEI cultui tot ſuperſtitiones adjungit ex diverſis ſectis, ut colluvies, & ſentina dici poſſit errorum ex hæreticorum chriſtianorum dogmatis, nec non Judaicis & gentilibus ſuperſtitionibus conflata. Uſus is opera SERGII monachi Neſtoriani, & quorumdam hæreticorum, ac Judæorum, ut plures gentes in ſuam ſocietatem facilius pertraheret, novæ religionis cudendæ conſilium in Arabia iniit, quo fuerat SERGIUS Byzantio hæreſis cauſa pulſus: cum autem eo temporis chriſtiana Judaica, & Ethnica in tribus tunc cognitis orbis partibus obtineret, his maxime congruam fingere voluit. Ferunt S. ISIDORUM Hiſpalenſem ei ſynchronum ex phyſiognomia hujus hominis,

cum privatus in Hiſpaniam veniſſet, collegiſſe, magno & eccleſiæ, & reipublicæ damno natum eſſe, & ut caperetur ſuaſiſſe. Alii juſtæ DEI vindictæ tribuunt, quod permiſerit MAHUMEDEM in Arabia novam diſſeminare religionem, quæ directa fronte cum chriſtiana pugnaret, & tamen corruptioni multorum, tunc etiam chriſtianorum quadraret. Re-
a. fert VINCENTIUS (*a*) Bellovacenſis, quod eodem tempore, quo Alcoranum ſuum venditavit MAHUMED, etiam alii ſimilibus ſcriptis ſe jactarint Mazeilena, Helaiſi, & Æthiops Alabazbi, Calliata Ellecedi. Prophetam & legatum DEI ſe jactabat MAHUMED, omnem doctrinam, ſomnia, delirationes Alcorano complexus. Eorum quorum uſus eſt ad eum compilandum opera, Judæi etiam, & illaudati monachi Neſtoriani (Arianum fuiſſe dicit Jo. DAMASCENUS) dogmatis ſubinde conſpurcatus deprehenditur Alcoranus. Habentur in eo multa ex ſcripturis novo & vetere teſtamentis, nec non & ex apocryphis variis, nugis & fabulis omnia conſperſa, aucta, & interpolata. De Chriſto magnifice ſentit. Leges etiam multas ad mores, & vitam degendam continet, quibus jam utuntur Mahumedani, quamquam in

(*a*) Spec. hiſt. XXXIII. 55.

in varias ſectas ſciſſi Alcorani diverſo intellectu, & Calipharum diverſa ſucceſſione ortas. Perſæ præſertim, poſtquam regnum peculiare condiderunt, etiam in negotio religionis diſſidere cœperunt in interpretatione diverſa Alcorani, diverſis ritibus & cæremoniis. Cæterum circumcidi omnes ſe patiuntur, & Muſelmanni dici amant. S. Jo. DAMASCENUS eorum originem & nuncupationem altius repetit, quod nempe ipſi Mahumedani ſeſe jactarint ab ISMAELE & AGAR deſcendiſſe. Ipſa DAMASCENI (*a*) verba audiamus: *Sed & hactenus*, inquit, *populorum ſeductrix ſuperſtitio Iſmaelitarum, quæ Antichriſti adventum antevertit, ducere originem fertur ab Iſmaele, quem Abrahamum ex Agar ſuſcepit, quam ob rem Iſmaelitæ vulgo Agarenique cognominantur. Saracenos autem eos vocant, quaſi Saravacuos, pro-*

(*a*) Ἐστι, δὲ καὶ ἡ μέχρι τοῦ νῦν κρατοῦσα λαοπλάνος θρησκεία τῶν Ισμαηλιτῶν πρόδρομος οὖσα τοῦ ἀντιχρίστου. Κατάγεται δὲ ἀπὸ Ισμαὴλ τοῦ ἐκ τῆς Αγὰρ τεχθέντος τῷ Αβραάμ διόπερ Αγαρηνοὶ καὶ Ισμαηλῖται προσαγορεύονται. Σαρακήνους δὲ αὐτοὺς καλοῦσιν, ὡς ἐκ τῆς Σάῤῥας κενοὺς, διὰ τὸ εἰρῆσθαι ὑπὸ τῆς Αγὰρ τῷ ἀγγέλῳ, Σάῤῥα κενήν με ἀπέλυσεν. Lib. de Hær. c. 1. fol. 110. Nov. Edit. Pariſ.

pterea quod Agar angelo reſponderit, Sara vacuam me dimiſit. Non eſt hujus loci, diſquirere, an hæc a S. Patre allata Saraceni nominis derivatio vera & genuina ſit, de quo & alia multa, & ipſum Græcum idioma, quo uſi haud ſunt Saraceni addubitare nos facit.

Dogmata Alcorani.

III. Non eſt nobis conſilium immorandi in næniis Alcorani, quem librum ſecta hæc tamquam e cœlo divinitus dimiſſum ſuſpicit. Ad quadraginta capita ipſemet MAHUMED revocavit omnia credita, factuque neceſſaria, quæ legere potes, ſi voles apud HOTTINGERUM (*a*), REINECCIUM (*b*), alios. Statuunt quinque præcipua ſuæ religionis fundamenta: Proteſtationem, quod non ſit Deus ullus præter unum, & quod MAHUMED ſit ejus legatus: perſolutionem orationis, contributionem eleemoſynæ, peregrinationem Meccanam, jejunium menſis Romadan; de quibus omnibus explicatius videri poteſt MARACIUS (*c*), & REINECCIUS (*d*). Articulos, quibus a religione vera recedunt, ad 15. numerant: De ſcriptura, Deo, creatione, angelis, homine, providentia, peccato, libero arbitrio, Chriſto, lege, & evangelio, regeneratione, juſtificatione, pœnitentia,

tia,

(*a*) Hiſt. orient. p. 409. (*b*) Edit. Alcorani Lipſ.
(*c*) *Prod.* p. 9. &c. (*d*) Loc. cit.

tia, & converſione, ſacramentis; noviſſimis, quos illuſtratos, & Alcorani locis auctos, invenies apud laudatum REINECCIUM, & alios.

IV. Mahumedana ſecta armis propagata eſt: cum enim miracula ab auctore MAHUMED peterentur, quæ exhibere non poterat, non ſe legatum ad edenda miracula dictitavit, ſed ad propagandum unius DEI cultum. Fuerunt tamen deinceps, qui ei etiam miracula attribuerent, ſed ſine teſtibus, ipſamque contra MAHUMEDIS confeſſionem: quamvis nihil magis caperet, quam miro aliquo ſigno apud rudem populum auctoritatem comparare: unde etiam columbam aſſueviſſe dicitur, quæ loquenti ipſi advolaret, & in aurem verba, quæ loqueretur, depromere videretur. Cum igitur deſperaret, alia ſigna ad confirmationem ſuæ religionis edere, armis ſe miſſum venditavit: ſolentque ſui armorum ſucceſſum & imperii magnitudinem pro argumento veritatis in ſua religione ponere. Sic fucatas merces ſuas obtrudit, ut de iis inquiſitionem fieri vetet, ſed ſimpliciter credi velit. Nihil difficilius habuit MAHUMEDEM ſua in ſtabilienda ſecta, quam ea de miraculis quæſtio, qua & a ſuis, & a noſtris plu-

Ratio propagationis per arma, cæca fide ſine miraculis.

rimum turbabatur, turbanturque Mahumedani, & ad anguſtias rediguntur. (*a*)

a.

Quid de Moyſe, Chriſto & noſtra religione ſenſerit Mahumed.

V. Moysen & Chriſtum prophetas DEI fuiſſe liberaliter concedit, ut ea etiam attingamus, quæ de noſtra religione, ejusque inſtitutoribus ſenſit Mahomed: profitetur ſe Alcorano ſuo confirmare legem & evangelium. In lege, evangelio & Alcorano ſalutis cardinem ſtatuit verti, & ſicut Moysen a DEO miſſum laudat, ita Filium Mariæ eſſe legatum DEI dicit ac Meſſiam, evangeliumque Chriſto traditum commendat, quod ſit lux, confirmatio teſtamenti, veraque via implendi legem. At contendit in Alcorano omnia ad ſalutem neceſſaria contineri, ut nec lege nec evangelio opus ſit. Nihil vero de remiſſione peccatorum per Chriſtum ſtatuit, nec de hominis congenita corruptione, quæ a pecca-

(*a*) Qua de re, cum ea proprie hujus loci ſit, quo de examinandis variis religionum formis agimus, non poſſum non in medium afferre locum aliquem ex *Theodori* Abucaræ concertationibus Damaſcenicis cum Saracenis, ubi miraculorum edendorum a Mahumede neceſſitatem ſtatuminandæ novæ ſectæ cauſa exemplo Moysis & Chriſti, quos veros prophetas & DEI legatos non abnuit Mahumed, oſtendit. *Non enim*, inquit, *fide digni Chriſtus & Moyſes fuerunt, quia prædicabant &*

peccato eſt, habet, multo minus de ſuppeditandis adverſus eam idoneis remediis, quamvis de peccato primi parentis ridiculas fabulas narret, & ambos e paradiſo ejectos fateatur. Chriſtum natum ex MARIA ſorore MOYSIS ſtupide fingit. Qua in re, dum de temporis ratione arguuntur Mahumedani, varia commenta de miraculoſe conſervata vita MARIÆ procudunt. Chriſtum a virgine ſine viri complexu conceptum natumque concedunt. Verbum etiam DEI agnoſcit MAHOMED, & ſpiritum DEI Chriſtum, ſed creatum, ad eum modum, quo & cætera DEI eloquia hominibus facta verbum DEI dicuntur. Spiritum vero ſanctum angelum facere videtur, qui MARIÆ apparens eandem de conceptione filii certiorem fecerit. Sunt qui ſectam inter

docebant, ut Muchametho credamus, quia prædicavit & docuit: Verum auſculta (alloquitur Saracenum) *unde uterque fide dignus habitus fuit.* Tum allatis miraculis, quibus & MOYSES, & Chriſtus fidem obtinuerit, ſimilia a MAHUMEDE propheta patrari debere, ſi ſe mundo probare velit, petit. *Moyſes itaque*, inquit, *cum hoc modo miſſus fuiſſet, hæc fecit, & propter opera ſermonibus ejus fides habita eſt . . Venit Chriſtus, ſeque a DEO miſſum comprobavit, non ex ſolo Moyſe teſtimonium habens, verum & inſuper ſignis portentis variisque virtutibus fidem ſibi adſtruens.*

inter Mahumedanos eſſe dicant, quæ Chriſtum vere Filium DEI, & DEUM & redemtorem mundi profiteatur. Nos pro idololatris habent, quod crucem adoremus, quam illi abominantur; quodque plures, quam unum DEUM faciamus. Quam ob cauſam & ſociatores teſte Jo. DAMASCENO olim nos vocarunt, haud minus quam gentiles, quod uni DEO ſocios adjungamus. Abſurdiſſimum MAHUMEDO viſum eſt, DEUM filium generaſſe: neque, carnalibus rebus totus immerſus, in animum ſibi inducere potuit, qua ratione DEUS, cum uxorem non habeat, filium generare poſſit. Quare pernegant Mahumedani, Chriſtum ſe aliquando DEUM dixiſſe. Narrat S. Jo. DAMASCENUS lepidam fabellam MAHUMEDIS. Chriſtum a DEO, poſtquam in cœlum translatus eſſet, quæſitum, num ſe DEUM hominibus prædicaſſet? *Illud*
a. *etiam*, verba ſunt DAMASCENI (*a*), *narrat, Chriſtum cum in cælum aſcendiſſet, interrogatum a DEO fuiſſe, num ſe filium DEI dixiſſet? JESUM vero hoc modo reſpondiſſe: Propitius mihi ſis Domine, ſcis me*

(*a*) Καὶ τῦτο λέγει, ὅτε τῦ ἀνελθόντ⊕ εἰς τὺς ὐρανὺς, ἐπηρώτησεν αὐτὸν ὁ Θεὸς λέγων Εὖ Ιησῦ σὺ εἶπας, ὅτι υἱός εἰμὶ τῦ Θεῦ; ϗ ἀπεκρίθη κ.τ.λ. De Hæreſ. f. 111. Ed. N.

me nunquam id locutum eſſe, neque tuam me faſtidire ſervitutem. Verum homines improbi hoc me dixiſſe mendaciter ſcripſerunt contra me, magnoque in errore verſantur. Tum DEUM illi reſpondiſſe: Novi te ſermonem hunc minime protuliſſe. Alia complura præſertim Sura IV. Alcorani de vera Chriſti legatione habet teſtimonia MAHUMED, variasque miſcet fabulas: Judæos redarguit, quod in Chriſtum non crediderint: *Et quia non crediderunt in JESUM, & dixerunt mendacium contra MARIAM magnum, accuſantes eam adulterii*, inquit MAHUMED (a), *malediximus illis, & dixerunt: Nos certe occidimus Chriſtum JESUM filium MARIÆ, legatum DEI: nec tamen occiderunt eum, neque crucifixerunt eum, ſed objecta eſt eis ſimilitudo ejus, & non occiderunt eum vere, ſed elevavit eum DEUS ad ſe, & DEUS eſt præpotens, ſapiens, & nullus eſt ex ſcripturalibus, qui non crediturus ſit omnino in eum, ante mortem ſuam, & die reſurrectionis erit JESUS contra eos teſtis.* Tum paucis interjectis, *Certe*, proſequitur, *Chriſtus JESUS filius MARIÆ eſt legatus DEI, & Verbum ejus, quod immiſit in MARIAM, & Spiritus ab eo. Credite ergo in DEUM, & in legatos ejus: & ne dicatis tres: abſtinete ab hoc dicendo:* *melius*

(a) Sura IV. f. 95. Ed. Reineccianæ.

melius erit vobis. Porro DEUS eſt DEUS unus, abſit ut ſit illi filius: ipſius eſt id, quod in cælis & quod in terra exiſtit, & DEUS eſt ſufficiens procurator ſibi ipſi, ſine ope filii. Non dedignabitur ſuperbe, Chriſtus eſſe ſervus DEI. Porro tam in veteri teſtamento, quam in novo, multa de ſe ſuaque ſecta prænuntiata, & apud JOANNEM a nobis eraſa eſſe, quæ ibi de eo ſcripta fuerint, contendit.

Nugæ & fabellæ Alcorani.

VI. Deſiderarunt viri docti, operæ pretium fore, ut ſtudioſius incumberetur ad deterrimæ Mahumeticæ ſuperſtitionis refutationem: quod ii faciant, qui articulatius controverſias tractant, quibusve occaſio ſuppetit, præſtandi id cum fructu. Nobis hic extremo digito attingenda hæc lues fuit, ut rejectis omnibus peſtilentiæ ſedibus, expeditum eſſet ad veram eccleſiam iter. Nugaciſſimæ fabulæ ejusmodi etiam ſunt, quæ ſeipſas falſitatis convincant. Cujusmodi illa de pulchra muliere ab angelis carmen edocta, quo pro lubitu cœlum aſcendere, & inde deſcendere queat. Unde accidiſſe puto, ut multi illos Venerem colere exiſtimaverint, quod S. Jo. DAMASCENUS de illis temporibus aſſerit, quæ MAHUMEDEM præceſſerunt. Fabulatur enim Alcoranus, hanc mulierem a DEO depre-

prehenſam, in Veneris ſtellam eſſe mutatam. Somnia illa de epulis in altera vita, de tribus fluviis aquæ, vini, & lactis, quæ in paradiſo manent, ut refert DAMASCENUS, & mulierum copia concedenda, veterum quorundam hæreticorum ſapiunt phantaſmata de regno millenario: quamvis hæc ſapientiores ex illis in alium ſenſum detorquere nitantur, invito certe MAHUMEDE. Quæ ipſemet de ſuis narrat viſionibus, commercio cum archangelo GABRIELE, legenti cuivis riſum movent. Stultitiam omnem ſuperant, quæ habet de portentoſa camelo DEI, ut vocat, de qua dicit, ut habet Jo. DAMASCENUS (*a*), camelum ex a.
DEO prodiiſſe, quæ totum fluvium ebiberet, neque inter duos montes transiret, quia ipſi ſatis ſpatii non eſſet. Populus igitur illius loci uno die fluminis aqua potabatur, altero camelus, quæ cum aquam ebiberet, ipſa potabat illos, aquæ loco lac ſubminiſtrans. Improbi vero cum eſſent illi homines, impetu facto camelum occiderunt. Hæc parvam camelum genuerat, quæ interfecta matre clamavit ad DEUM, qui eam ad ſe aſſumſit. Abſurditatem promiſſionum, & felicitatis prorſus carnalis, & hinc neceſſitatem aliarum promiſſionum, ipſe

AVI-

(*a*) De Hæreſ. fol. 114. Ed. N.

Avicenna Mahumedanus agnovit L. IX. de prima Philoſ. *Lex*, inquit, *noſtra, quam dedit Mahomed diſpoſitionem felicitatis & miſeriæ, quæ ſunt ſecundum corpus, attendit. Sed eſt alia promiſſio, quæ attenditur intellectu, ſapientibus vero theologis multo major cupiditas fuit ad apprehendendam iſtam, quam corporum; quæ quamvis daretur eis, non tamen attendebant eam, nec in pretio habuerunt in comparatione felicitatis, quæ eſt conjunctio cum veritate.* Hæc tamen carnalis lex, & hominum deſideriis apta, ſic facile propagari potuit, ut jam tantam in orbe terrarum partem occupet; ſed rectæ rationi non convenit, & religionis chriſtianæ veritatem confirmat magis, quam concutit: ut quæ nunquam tantos progreſſus feciſſet, cum ſit adeo adverſa carni, niſi divina virtute, diviniſque inſtructa ſignis. Hæc ſunt verba D.
a. Thomæ (a): *Tam mirabilis mundi converſio ad fidem chriſtianam indicium certiſſimum eſt præteritorum ſignorum, ut ea ulterius iterari neceſſe non ſit, cum in ſuo effectu appareant evidenter. Etenim omnibus ſignis mirabilius, ſi ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia, & ad ſperandum tam alta, mundus abſque mirabilibus ſignis inductus fuiſſet a ſim-*

(a) Contra Gentes. L. I. c. 6.

ſimplicibus & ignobilibus hominibus, quamvis non ceſſet DEUS, etiam noſtris temporibus ad confirmationem fidei per ſanctos ſuos miracula operari. Hi vero, qui ſectas introduxerunt, proceſſerunt via contraria, ut patet in Mahumeto, qui carnalium voluptatum promiſſis, ad quorum deſiderium carnalis concupiſcentia inſtigat, populos illexit, præcepta etiam tradidit promiſſis conformia voluptati carnali habenas relaxans, in quibus in promptu eſt a carnalibus hominibus obediri. Documenta etiam veritatis non attulit, niſi quæ de facili a quolibet mediocriter ſapiente naturali ingenio cognoſci poſſent, quin potius vera quæ docuit, multis fabulis & falſiſſimis doctrinis immiſcuit &c.

Contradictiones Alcorani.

VII. Nihil eſt accommodatius ad Alcorani confuſionem, quam innumeræ contradictiones, quibus undique eſt refertus, & ſeipſum damnat: cum ipſemet MAHUMED ex eo voluerit agnoſci a DEO eſſe ſuam doctrinam, ſi a ſeipſo in nullo capite diſſentiat. *An non*, ait, (a) *attente conſiderant Alcoranum? quodſi eſſet ab alio quam DEO, certe invenirent in eo contradictiones multas.* a. Atqui innumeris contradictionibus ſcatet Alcoranus: infinities enim, quod uno loco

(a) Alcor. Sura IV.

ſtatuitur, altero abrogatur ſæpe eadem pagina; ut Mahumedani neceſſum habuerint varias de hac re figere regulas, quæ non ceſſat tot eis figere cruces.

CONCLUSIO
ET
ADHORTATIO
Ad veram chriſtianam religionem agnoſcendam.

Quæ cum ita ſint a primo uſque ad ultimum, pateſcit non ſolum neceſſitas colendi DEUM, ſed etiam illa ſocietas, in qua inter tot falſas vera DEI cultus ac religionis obtineat ratio. Summa impietate laborant, qui omnino DEUM coli debere idcirco negant, quod DEUM inter res exiſtentes non ponant: aut qui eum exiſtentem quidem agnoſcunt, nec tamen rerum curam ei adſcribunt, nec rerum productionem illi in acceptis referunt. Quid ſceleſtius, quid immanius eſſe queat, quam gigantum exemplo velle DEUM ex rerum natura extirpatum, aut throno ſui

domi-

II. Quo minus vero perfectum hoc ſibi orbis gratularetur gaudium, atque in ſinu ſuo plauderet eccleſia chriſtiana, inimici hominis, imo infinitorum perverſorum hominum in cauſa eſt malitia, quæ in tot partes ſcidit catholici dogmatis confeſſionem, quot hæreſum & ſchiſmatum turbæ aliquando vexilla ſua contra eccleſiam erexerunt; aſtutæ fraudis ſubtilitate agente communi hoſte humani generis dæmone, pro erepto, & proſtrato idolorum cultu errorum ſtatuere monſtra ſolicite ſatagente (*a*). Multo diffi- cilli-

Ob hæreſes inter chriſtianos exortas diſpiciendum quænam vera eccleſia.

a.

At cum propter animarum imbecillitatem, ex » quadam veluti fame contractam ad percipiendum » myſterium illud homines nequaquam » eſſent idonei, a multorum prius Deorum cul- » tu per prophetas & legem ſic revocati ſunt, » ut unam cernere divinitatem, & in una divi- » nitate ſolam Patris potentiam agnoſcere aſ- » ſueſcerent, quippe qui ſolidiori, ut diximus, » cibo non eſſent idonei. Deinde quos » ad pleniorem divinitatis cognitionem lex » præparaverat iis revelatus eſt per evange- » lium unigenitus Filius, ac poſtremo datus » eſt nobis perfectus naturæ noſtræ cibus, » in quo vita eſt Spiritus ſanctus. » Hucuſque S. GREGORIUS *Niſſenus*, cujus verbis ob oculos ponitur, divinæ diſpenſationis ordinem ea ſerie decurriſſe a mundo condito ad Chriſtum, prout eſt a nobis hucuſque deſcriptus.

(*a*) » Quid aſtutius (inquit S. CYPRIANUS » *de unit. Eccl. p.* 139. *Ed. Paul. Man.*) »

cillimam facere veræ eccleſiæ aſſertionem tot errores quis ambigat? Cum omnes vires inferi portæ exerant, ut ſua evanida portenta opinionum obtrudant, atque apud ſe quiſque veram religionem reperiri perſuadeat. Quorum offuciis ne decipiamur, diſpiciendum, quænam ſit vera Chriſti ſponſa, cum quælibet ſecta ſeſe eam jactet, atque ſibi concredita ſponſi arcana, depoſitum fidei &

„ quidve ſubtilius quam ut Chriſti adventu de-
„ tectus, ac proſtratus inimicus (poſtquam
„ lux gentibus venit, & ſoſpitandis hominibus
„ ſalutare lumen effulſit, ut ſurdi auditum
„ gratiæ ſpiritalis admitterent, aperirent ad
„ DEUM oculos ſuos cæci, infirmi æ-
„ terna ſanitate revaleſcerent, claudi ad ec-
„ cleſiam currerent, muti claris vocibus &
„ precibus orarent) videns ille idola dereli-
„ cta, & per nimium credentium populum
„ ſedes ſuas & templa deſerta, excogitave-
„ rit novam fraudem, ut ſub ipſo chriſtiani
„ nominis titulo fallat incautos? Hæreſes
„ invenit & ſchiſmata, quibus ſubverteret fi-
„ dem, veritatem corrumperet, ſcinderet
„ unitatem. Quos detinere non poteſt in viæ
„ veteris cæcitate, circumſcribit, & decipit
„ novi itineris errore. Rapit de ipſa eccle-
„ ſia homines, & dum ſibi appropinquaſſe
„ jam lumini, atque evaſiſſe ſæculi noctem
„ videntur alias neſcientibus tenebras rurſus
„ infundit, ut cum evangelio Chriſti, & cum
„ obſervatione ejus, & lege non ſtantes, chri-
„ ſtianos ſe vocent, & ambulantes in tene-
„ bris habere ſe lumen exiſtiment &c.

LIBER II.

DEMONSTRATIO VERÆ ECCLESIÆ CHRISTIANÆ CONTRA FALSAS QUASVIS.

CAPUT I.

Inter innumeras ſectas indagare neceſſarium eſt veram eccleſiam, apud quam ſit vera religio.

I. Postquam lux ſplendidiſſima mundo exorta eſt, ſuis radiis orbem univerſum colluſtratura, JESUS Chriſtus ſol juſtitiæ, ve- *Eccleſia chriſtiana fide perfectiſſima ſtabilita eſt poſt*

tot aberrationes.

ri Numinis cultus & obſervantia, anterioribus temporibus tetris tenebris, & alta oblivione ſepulta reſplenduit, & illuxit: eo pulcherrimo ordinis conſilio, quem hucuſque deſcripſimus, ut paulatim humanis mentibus inſinuarentur divina myſteria, atque in Chriſto conſumarentur. (a)

II. Quo

(a) „ Initio (verba ſunt S. Greg. *Niſſeni Serm. de Spiritu S.*) aberrvaverunt homines a co-
„ gnitione D E I, relictoque rerum omnium
„ Domino, alii mundi colebant elementa, a-
„ lii dæmones venerandos cenſuerunt, pleris-
„ que vero manufactæ etiam ſimulacrorum
„ imagines Numina eſſe videbantur... Beni-
„ gnis igitur oculis naturæ Dominus corru-
„ ptam hominum naturam reſpexit, & huma-
„ nam vitam ab errore ad veritatis cognitio-
„ nem quibusdam quaſi gradibus revocavit:
„ quemadmodum enim, qui diuturna fame
„ confectos ex medicæ facultatis præſcripto
„ reficiunt eorumdem imbecillitati proſpicien-
„ tes, haud illico eis ad ſatietatem cibos ſup-
„ peditant; ſed poſteaquam victu moderato
„ vires recuperarunt, tum demum ipſis ad ar-
„ bitrium ſeſe explendis poteſtatem faciunt:
„ ſic etiam cum horrenda veluti fame huma-
„ num genus abſumtum eſſet, myſteriorum e-
„ ſcam divina illis providentia diſpenſavit,
„ ut indies paulatim atque ordine proficien-
„ tes ad perfectionis tandem apicem perveni-
„ rent. Quod enim nobis ſalutem impertit,
„ vitalis eſt illa virtus, in quam in nomine
„ Patris, & Filii, & Spiritus ſancti credimus.

dominii deturbatum? Ii vero, qui utrumque agnoſcunt & DEUM & DEI providentiam, nec tamen colendum putant pro tantis beneficiis, omnem humanam exuunt rationem homines ingratiſſimi, impudentiſſimique: qui quod hominibus ſibi paribus natura negare non poſſunt, ut quibus hanc vitam, atque hujus vitæ commoda debent, aut alia de cauſa ſunt obſtricti, eos honore proſequantur, DEO hæc pietatis officia negent, aut ſi forte DEUM non prorſus indignum exiſtiment, quem religioſe colant, perinde cum Puccio & aliis Indifferentiſtis habent, qua religionis forma in ejus cultu utantur: cum hominum ſtudia ſibi derelicta licet DEUM cognoſcant, non tamen ut DEUM glorificent; nec niſi a DEO ipſo ſciri poſſit, quomodo rite a nobis coli placeat.

Pariter igitur ſe obnoxios præbent ſeveriſſimæ divinæ vindictæ, qui vel nullum vel præpoſterum cultum ei impendunt, ſummæ & æternæ ſeſe infelicitati exponentes, cum DEUM amittere, nec rite colere, & ſe infelicem reddere intime ſibi ſint ſociata. Stulti iſti ac ſuperbi pro puerilibus hæc habeant terriculamentis, quibus imbecilles tantum deterreantur animi, ſe vero

ro fortes reputent ſpiritus & ingenia, qui hæc omnia derideant: ſero tandem agnoſcent DEUM, quem exiſtere, rerum curam gerere, conſequenter coli debere, & velle tot & tantis evidentibus rationibus conſtat: hæcque totius fere generis humani teſtimoniis & agnitione fulcita, non ſolum ita ſe habere, ſed eos etiam, qui fidem detrectant, nec DEUM rite colunt ſeveriſſime puniendos fore experientur: ut qui DEUM infenſum ſibi reddiderint, & ingenti contumelia affecerint, præcepta contemnendo, minas deridendo, & pro vanis habendo.

Cum hæc ipſa animi affectio & irreligioſitas in homine jam ſit maxima pœna, quam impii hi ſuis peccatis meruerint, ut contra omnium ſenſum & agnitionem ipſi, dum ſoli ſibi ſapere videantur, ſoli deſipiant maximo & irrecuperabili damno ſuo, DEO lumen ſuum ſubtrahente, & cæcitati mentem relinquente, qui tamdiu & toties irradianti tam per naturam quam gratiam lumini refragati fuerint, ac clauſerint oculos ſolo ſuo nocumento, cum per agnitionem & ſincerum cultum, non DEO, ſed homini utilitas accedat. *DEUS enim nullius eget, nec manibus huma-*

humanis colitur indigens aliquo, cum ipſe det omnibus vitam, & inſpirationem, & omnia: fecitque ex uno omne genus hominum, inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta, tempora, & terminos habitationis eorum, quærere DEUM, ſi forte attrectent eum, aut inveniant, quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum, in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus (*a*). Quare cum breve ſit tempus & incertum, cum ſumma diligentia inquirendus eſt DEUS & colendus, ne ſtatuta prætereant tempora, & termini habitationis noſtræ quærendi DEUM. Quærendus dum inveniri poteſt, invocandus dum prope eſt; ne nobis accidat, quod illis, quibus tamdiu DEUS locutus, comminatus eſt ille, qui venit quærere & ſalvum facere, quod perierat: *Quæretis me, & non invenietis*: nimirum quod deſtinato tempore aut modo non quærunt: cum videlicet aut non in tempore quærunt, aut non ſicut oportet, aut non ubi oportet.

Quærendus ergo DEUS in tempore, utendum præſentibus gratiis & radiis divinæ agnitionis, ne dum his oculos, ac mentem claudimus, DEUS lucem

(*a*) Act. Apoſt. XVII. 25.

ſuam ſubtrahat: quod multis hodie contingere cernimus, qui nihil de futuris anxii, nihil de divinis ſoliciti, æquanimes incedere videntur, & ſecuri, omnia quæ ad religionem ſpectant faſtidientes & deridentes: nimirum, impius, cum in profundum venerit, peccatorum contemnet: ſed ſequitur eum ignominia & opprobrium, ut a ſapientiſſimo poſt homines natos eſt pronunciatum (*a*). Ii autem multo plus habent cauſæ, quod timeant ſibi, qui jam in agnitione veræ religionis verſantur, qui agnoſcunt inſipientiam plures colentium Deos, eosque impuriſſimos ſacris impuriſſimis proſequuntur: qui vident cæcitatem gentis illius tanto jam tempore a DEO derelictæ, nec ſuſcipere volentis miſſum ſalvatorem, nec agnoſcere tempus viſitationis, & agnoſcunt unicum Dominum & redemtorem JESUM Chriſtum, nec ſe pſeudo - apoſtolis, quales poſt ſe venturos prædixit Chriſtus, tradunt: qui vi & armis, nec ullis divinis ſignis commendati, religionem carni faventem, ſpiritui & rationi contraeuntem intruſerunt: ſed in ea nati & educati ſunt religione, quæ tantis motivis credibilitatis ſuam probat divinitatem, hæc tamen lumina

in

(*a*) Prov. XVIII. 3.

riter in libro de utilitate credendi rem totam ediſſerit adverſus Manichæorum technas, quibus ipſe aliquando fuerat deceptus ſpecioſo rationis titulo, quam ubique pollicebantur. *Noſti enim*, alloquitur (*a*) HONORATUM, *non aliam eſſe cauſam nos in tales homines incidiſſe, niſi quod ſe dicebant terribili auctoritate ſeparata, mera & ſimplici ratione eos, qui ſe audire vellent introducturos ad DEUM, & errore omni liberaturos. Quid enim me aliud cogebat annos fere novem ſpreta religione, quæ mihi puerulo a parentibus inſita erat, homines illos ſequi, ac diligenter audire, niſi quod nos ſuperſtitione terreri, & fidem nobis ante rationem imperari dicerent, ſe autem nullum premere ad fidem, niſi prius diſcuſſa & enodata veritate.* Sic ſimplices non ſolum, ſed facile doctiſſimos etiam quosque alliciebant Manichæi. Suſcepit igitur S. AUGUSTINUS in ſe probare ſacrilege ac temere eos carpi, qui catholicæ fidei auctoritatem ſequentes, antequam illud verum, quod pura mente conſpicitur, intueri queant, credendo præmuniuntur, & illuminaturo præparantur DEO. Refert autem poſtea modum, quo ipſe ad hanc eccleſiam adductus ſit.

Pri-

(*a*) S. AUG. de utilitate credendi. n. 2. T. VIII. p. 46. A.

Primum enim, diu Academicorum fluctibus delatus, ſenſit quærendi modum ab aliqua divina auctoritate eſſe deſumendum. *Reſtabat*, inquit (*a*), *quærere quænam illa eſſet auctoritas, cum in tantis diſſenſionibus ſe quisque illam traditurum polliceretur.* Vicit tandem animum catholicæ eccleſiæ auctoritas, atque hortatur HONORATUM, ut ſimilibus paſſibus ad eam devenire curet. *Hoc*, inquit, *ergo modo & ſimili animæ tuæ cura, ſi diu te quoque affectum vides, & ſi jam ſatis tibi jactatus videris, finemque hujusmodi laboribus vis imponere, ſequere viam catholicæ diſciplinæ, quæ ab ipſo Chriſto per apoſtolos ad nos uſque manavit, & ab hinc ad poſteros manatura eſt.*

Cum proprius rationis ductus religionis expertes homines reddat.

V. Utinam ingens hodie Academicorum, Indifferentiſtarumque numerus hoc AUGUSTINI ſequerentur monitum, nec cum Manichæis rationi nimirum indulgentes, rationemque ubique in religione requirentes, ſalutarem amitterent fidei viam, atque alieni ab omni redderentur religione. *Nam vera religio*, ut idem eodem loco aſſerit, *niſi credantur ea, quæ quisque poſtea, ſi ſe bene geſſerit, dignusque fuerit, aſſequatur atque percipiat, & omnino ſine quodam gravi auctoritatis imperio iniri recte nullo pacto poteſt.*

(*a*) S. AUG. de util. cred. n. 19. 20. p. 57.

& veræ religionis apud ſe inveniri ven-ditet.

III. Illud quidem pro indubitato te-nemus, illic veram deprehendi religio-nem, ubi vera eſt eccleſia Chriſti ſpon-ſa. Solide hoc tractat argumentum S. AUGUSTINUS (*a*) libro de vera Reli-gione contra omnis generis errores; ne-que errones, ſive extra, ſive inter chri-ſtiani nominis Pomœria degant. *Neque in confuſione Paganorum*, ait (*b*), *neque in purgamentis hæreticorum, neque in languo-re ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Ju-dæorum quærenda eſt religio, ſed apud eos ſolos, qui chriſtiani, catholici, vel ortho-doxi nominantur, id eſt, integritatis cu-ſtodes, & recta ſectantes. Hæc enim ec-cleſia catholica per totum orbem valde, la-teque diffuſa omnibus errantibus utitur ad profectus ſuos, & ad eorum correctionem, cum evigilare voluerint. Utitur enim gen-tibus ad materiam operationis ſuæ, hæreti-cis ad probationem doctrinæ ſuæ, ſchiſma-ticis ad documentum ſtabilitatis ſuæ, Judæis ad comparationem pulchritudinis ſuæ. A-lios ergo invitat, alios excludit, alios re-linquit, alios antecedit: omnibus tamen gratiæ DEI participandæ dat poteſtatem, ſi-ve illi formandi ſint adhuc, ſive reforman-di,*

Illic veram eſſe religionem, ubi eſt vera eccleſia.

(*a*) S. AUG. Op. T. I. p. 747. &c.
(*b*) Ibid. n. 9. p. 751. D.

ſuum vobis loquentem, quamque ſui cognitionem ac cultum deſideret, revelantem in evangelio percipitis. Credite DEUM ſui contemtum, ac contumeliam ſpiritus gratiæ diu impune haud laturum: nec vos præſertim chriſtianos effugituros, tanta neglecta ſalute, tanto ſpreto Numine, eique ſumme debitis denegatis cultus & religionis officiis.

Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.



LIB. II.

poteſt. Certe hoc unum ſupereſt remedium contra perniciosſum Indifferentiſmi & tolerantiæ morbum, qui manifeſte ad extinctionem Chriſtianiſmi & totius religionis vergit, quærere veritatem non per ſolam rationem, ſed cum eccleſia ſub illius auctoritate & ducatu.

CAPUT II.

Vera & genuina eccleſiæ notio, & deſcriptio generatim datur.

I.

Igitur quantivis momenti ad negotium religionis chriſtianæ, eccleſiæ eſt aſſertio: quapropter in ſcripturis tum propheticis, cum apoſtolicis honorifica adeo fit de ea mentio, vocaturque (*a*) mons Domini excelſus ac directa via. Columba (*b*) unica. Regnum (*c*) cœli. Quam (*d*) quicunque non audit, eſſe nobis debeat ſicut Ethnicus & publicanus, atque apud quam omnes ſint deponendæ lites & controverſiæ. Sitque (*e*) ſponſa, & (*f*) corpus Chriſti. Columna (*g*) veritatis, & firmamentum: cui Spiritus promiſſus

Eccleſia quantopere nobis in ſcripturis commendetur.
a.
b. c. d.
e. f.
g.

Z ſugge-

(*a*) Iſa. II. & XXXV. (*b*) Cant. VI. (*c*) Matth. XIII. (*d*) & XVIII. (*e*) Eph. V. (*f*) 1. Cor. XII. (*g*) 1. Tim. III.

a. b. ſuggerat omnia (*a*). Contra quam (*b*) por-
c. tæ inferi non ſint prævalituræ. Cui (*c*)
d. ſe chriſtiani omnes jubentur adjungere, atque tanquam in domo DEI (*d*) pacem colere &c. Et quæ ſunt alia innumera, quibus eccleſia nobis in ſacra ſcriptura commendatur, tanquam firma, ad quam nos in negotio religionis teneamus, anchora, ut tuti ſimus a quocunque tempeſtatum, fluctuum ac procellarum impetu, & ſecuri ad portum æternitatis navigemus: quicunque a DEO per divinum verbum ſuum ſumus convocati in congregationem fidelis populi ſui, ad æternam felicitatem deducendi, per doctrinam fidei, & ſalutaria præcepta legitime nobis expoſita.

Quæ etiam nobis tanquam articulus fidei proponitur.

II. Ut autem magis & apertius conſtaret, quo loco eccleſia nobis ſit habenda, inter primores articulos jam inde ab apoſtolis atque apoſtolicis temporibus pro ſymbolo omnium chriſtianorum ſelectos, unus eſt, quo in hanc eccleſiam jubemur credere. Quod vero in hac re probe notandum, quoties a nobis pronunciatur ſymbolum (fit autem & factum eſt ſemper & ubique) oportet eſſe talem eccleſiam, qualis a nobis creditur: imo quia articulus fidei eſt, debet ſemper eſ-
ſe,

(*a*) Jo. XIV. (*b*) Matth. X. (*c*) Joan. X. (*d*) 1. Cor. XI.

ſe, & credi, atque agnoſci a nobis magiſtra & columna veritatis, prout ab apoſtolo eſt dicta: Debet ſemper a nobis audiri, ut nobis a Chriſto Domino eſt præceptum. Sique ſemper erit eccleſia Chriſti, ſemper doctrinam Chriſti nos docebit, atque confitebitur: ſemper ſacramenta ſibi concredita in fidelium uſum miniſtrabit, totumque a Chriſto conſtitutum exercebit miniſterium, ſicque non ſolum interius vinculum charitatis, ſed etiam exterius conſervabit, unde dignoſci queat, & credi, ſicut nobis faciendum præcipitur, & apertiſſimæ divinæ promiſſiones pro omnibus temporibus uſque ad conſummationem ſæculi declarant *Matth. XXVIII.* 19. 20. *Luc. XXII.* 32.

Cum quo Chriſtus uſque ad conſummationem ſæculi ſe futurum promiſit.

III. Cum enim Chriſtus apoſtolis præcepiſſet, ire in univerſum mundum, prædicare evangelium, docere omnes gentes, ac baptizare in nomine Trinitatis, ſe uſque ad conſummationem ſæculi cum illis fore promittit, docentibus nimirum & ſacramenta ubique terrarum adminiſtrantibus, utique non ſemper apoſtolis vitam eouſque protracturis; ſed haud minus cum illis, qui eorum loco ſucceſſuri fuerint, in eccleſia uſque ad finem permanſura, adverſus quam portæ inferi non ſint prævalituræ. Quod

hactenus cernitur impletum contra tot perſecutiones tyrannorum, turbas & machinationes hæreticorum, quarum nullæ unquam eccleſiam ſubverterunt. DEO nec permittente promiſſiones ſuas effectu carere, nec veritatem ſuam extingui aut obſcurari, quin maneat in æternum, atque ab eccleſia a ſe conſtituta teneatur inconcuſſa, quidquid vel ad ſubvertendam ipſam, vel conſervatam in ea veritatem moliantur inferorum portæ.

Promiſſiones eccleſiæ factæ pertinent ad eccleſiam externam.

a.

IV. Huic argumento de promiſſionibus eccleſiæ factis, quæ ſint duraturæ uſque ad conſummationem ſæculi cum publica fidei confeſſione, ac prædicatione, adminiſtratione etiam ſacramentorum nihil non tribuit *Benignus* BOSSUET, (*a*) Meldenſium Antiſtes, & hæreticorum mal-

(*a*) „ L'Egliſe fondée ſur la confeſſion de la foi, „ ſera toujours, & confeſſera toujours la foi : „ ſon miniſtere ſera eternel : elle liera & déliera juſqu' a la fin du monde, ſans que „ l'enfer l'en puiſſe empêcher ; elle ne diſcontinuera jamais d'enſeigner les nations : „ les Sacremens, c'eſt-a-dire les livrées extérieurs, dont elle eſt revêtuë, dureront „ toujours. Enſeignez, & batiſez les natibns, & „ je ſera toujours avec vous. (*Matt. XXVIII.* „ 1. *Cor. XI.*) Toutes les fois, que vous „ mangerez de ce pain, & que vous boirez „ de cette coupé, vous annoncerez la mort „ du Seigneur juſqu'a ce qu'il vienne. Avec

malleus. Nec diffiteri potuit CLAUDIUS (*a*) acerrimus acutiſſimusque illius adverſarius, eccleſiam, de qua præſertim *Math. XXVIII.* fit ſermo, eſſe eccleſiam confeſſionem edentem, fidem publicantem, cui Chriſtus exterius dederit miniſterium, quæ utatur miniſterio clavium, quæ liget & ſolvat, quæ conſequenter ſit aliquod corpus externum viſibile. Et ſane naturalis eccleſiæ conceptus hoc ita dictat: dici vero non poteſt, quam ſit hæc res magnæ conſequentiæ: quantamque eccleſiæ conciliet auctoritatem, dignitatemque, ſi ſecundum promiſſiones divinas ſit externus cœtus, isque juxta ſymbolum, catholicus, qui ſit eccleſia DEI, columna veritatis, contra quam portæ inferi non ſint prævaliture, quæque ſemper ſit duratura, atque miniſterio prædicationis confeſſionisque evangelicæ uſura ad ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, &

la cene durera, & la confeſſion de la foi, „ & le miniſtere eccleſiaſtique, & la commu- „ nion exterieure & interieure des fidelles „ avec JESUS-CHRIST, & des fidelles entre „ eux, juſqu'a ce que JESUS-CHRIST vien- „ ne. La durée de l'Egliſe & du miniſtere „ eccleſiaſtique n'a point d'autres bornes. „ *Conference avec M. Claude ſur la matiere de l'Egliſe.*

(*a*) Reflexion ſur un Ecrit de M. CLAUDE.

agnitionem Filii DEI, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis
a. Chriſti (*a*). Quis enim neget neceſſitatem unicuique incumbere huic ſe jungendi? Quis non obligatum ſe ſentiat eam in omnibus audiendi? Quis non toto pectore ſe eidem concredat?

Adverſariis etiam fatentib⁹.

V. Hæc eſt ergo civitas illa ſupra montem poſita, quæ nullius oculis poteſt eſſe abſconſa, niſi qui ipſi oculos claudere amant, ne videant, & tenebras mentis ſuæ lucis hujus radiis percellant. *Non*
b. *eſt autem iſta operta*, inquit (*b*) S. AUGUSTINUS, *quia non eſt ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Et de illa dictum eſt: non poteſt civitas abſcondi ſupra montem conſtituta. Sed Donatiſtis velut operta eſt, qui audiunt tam lucida & manifeſta teſtimonia, quæ illam toto orbe demonſtrant, & malunt clauſis oculis offendere in montem, quam in eum aſcendere.* Qui hodie in conceptu de eccleſia Donatiſtis propius accedunt, tamen quando extra fervorem diſputationis, aut in naturali, proprio, & uſitato ſignificatu nomen eccleſiæ uſurpant, non aliter quam de exteriore ſocietate ſumunt. In ſuis etiam publicis confeſſionibus eccleſiam pro cœtu viſibili ſæpiſſime

(*a*) Eph. IV. 13.
(*a*) De unit. Eccl. T. IX. p. 366. C.

ſue ſumſerunt, ut pronum eſſet oſtendere, niſi Fratres Wallenburgici (*a*) jam hunc laborem occupaſſent, tum alibi tum primo ſtatim de unitate eccleſiæ ingreſſu. De miſſione etiam Proteſtantium agentes ex ZANCHIO referunt locum, ubi aſſeritur ex iiſdem ſcripturæ locis, quos nos antea laudavimus, externi miniſterii perpetuitas, quæ viſibilem ac indefectibilem eccleſiæ fidem profitentis, & Sacramenta adminiſtrantis formam denotat, quem locum hinc non poſſumus non hic afferre. *Neque enim ſcimus tempus, quouſque velit Chriſtus miniſterium in eccleſia perdurare, ad finem ſcilicet uſque mundi.* Et mox: *Docuit hoc Chriſtus cum conſtituta evangelii prædicatione, & baptiſmi adminiſtratione, & diſciplina dicendo:* Prædicate evangelium baptizantes in nomine Patris &c. docentes ſervare quæcunque mandavi vobis: *ſubjecit dicendo:* Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi: *quaſi dicat, uſque ad finem mundi vobis non deero, cum prædicabitis evangelium, cum baptizabitis, cum docebitis populos ſervare mandata mea. A promiſſione igitur perpetuæ præſentiæ & auxilii, docuit ſe velle ipſum etiam miniſterium eſſe perpetuum in eccleſia. Et ſic Paulus de Cæna:* Mortem, *inquit,*

(*a*) T. 1. p. 2. a. p. 8. &c.

inquit, Domini annunciabitis, donec veniat. Et mox: *Sicut eccleſia DEI perpetua ſit oportet etiam in hoc mundo propter promiſſionem DEI & Chriſti dicentis:* Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam: *ſic etiam legitimum ſemper in ea ſit, & maneat, miniſterium neceſſe eſt.*

Eccleſiæ adumbratio.

VI. Habemus hic confitentes, atque ex evangelicis textibus eruentes tres illas exterioris, ac viſibilis cœtus eccleſiaſtici notas miniſterii nimirum eccleſiaſtici, prædicationis, ac profeſſionis fidei, atque adminiſtrationis ſacramentorum perpetuo in eccleſia juxta divinas promiſſiones ſubſiſtentes. Nomen vero eccleſiæ ipſum ſuapte natura ſocietatem ac congregationem multorum indicat, illis vero notis & characteribus diſtinguitur ab aliis cœtuum & congregationum generibus, ut ſit nimirum eccleſia in ſuo genuino, & maxime uſitato ſignificatu ſocietas & congregatio ſub legitimo miniſterio in univerſum orbem ire juſſo, ſacramenta adminiſtrantium, fidem prædicantium, ac profitentium uſque ad conſummationem ſæculi.

CAPUT III.

Neceſſarias eſſe notas quasdam, quibus inter tot hæreticas vera demonſtretur eccleſia.

I.

Cum prædictum in evangelio ſit, ſeductores eſſe venturos, & hæreſes oportere eſſe, a talium nobis præſtigiis quarumdam rerum indiciis cavemus. Neque putandum eſt, quia credere in eccleſiam jubemur, ideo vel ad hæreticorum fruſtrandum conatum, ſuos conventus diabolicos pro vera DEI civitate obtrudentium, vel ad noſtram firmandam fidem ſignis certis & opportunis veram eccleſiam a ſpuria quavis diſtinguere nos non poſſe, cum Pſalmiſta (*a*) dicat: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis.* Notæ igitur & characteres veræ eccleſiæ ſunt, ex quibus nobis evidenter conſtat, de vera eccleſia a falſis quibusvis diſcernenda: alias enim ſtulte & temerarie eccleſia aliqua tenenda, & ſequenda præciperetur, niſi motivis & rationibus ea nobis commendaretur tanquam divina inſtructa auctoritate. Neque hac in parte DEUS defuit eccleſiæ, diſtinxitque veram ſuam a falſis quibus-

Vera eccleſia a falſis quibusvis notis aliquibus diſcernitur.

(*a*) Pſal. CXVIII.

vis eccleſiis, inde a prima origine in omnia tempora eam ſuſtinens, & diſtinguens notis maxime conſpicuis ac evidentibus, ut neminem earum latere poſſit ſplendor: quæ proinde ſint indagandæ ab eo, qui veræ eſt religionis ſtudioſus.

Notæ eccleſiæ contra hæreticos ex ſcripturis depromendæ.

II. Has vero ipſas veræ eccleſiæ notas, quoniam apud nos æque ac hæreticos indubitata eſt ſcripturæ auctoritas: ex illis ſuſcipimus, non e noſtro cerebro fingimus. *In ſcripturis didicimus Chriſtum*, ait S. Augustinus (*a*), *in ſcripturis didicimus eccleſiam. Vera*, ait idem alibi (*b*), *perennisque evangelica lectio nobis demonſtrat verum Chriſtum, & veram eccleſiam, ne in aliquo eorum erremus, aut ſancto ſponſo aliam pro alia ſupponamus: aut ſanctæ ſponſæ non ſuum virum, ſed alium importemus. Ergo ne in aliquo eorum erremus tamquam matrimoniales eorum evangelii tabulas audiamus.* Congerit hinc ſanctus Doctor ſcripturæ complura loca, quibus & Chriſto, & ejus ſponſæ eccleſiæ teſtimonium perhibetur. Eodem modo & nos de eccleſia, quoniam hæc nobis agitur cum hæreticis cauſa, ſcripturas uſurpamus teſtes illius idoneos omni ætate a ſtudio partium remotos inter-

(*a*) Epiſt. 166. vet. edit. nunc 105.
(*b*) Idem de Unit. Eccl. n. 20.

terpretes, quod quia facere ſe etiam illi jactant, prius videndum, quid in medium afferant.

III. Præcipue nobis hic objiciunt vitium illud, veluti per ſcripturam eccleſiam, & viciſſim per eccleſiam ſcripturam probatum ire videamur: huic nos quem hactenus ſecuti ſumus rei hujus tractandæ opponimus ordinem; ſtabilita prius DEI unius exiſtentia, qui providentiam hujus mundi, & noſtrum gerat, cultumque a nobis requirat, qui ea in vera religione impendatur, quæ ſe evidentibus motivis credibilitatis conſpicuam exhibuerit, quæque ea ipſa ſit, cujus initia a MOYSE in Geneſi deſcripta ſunt, quæ deinceps fide in Chriſtum venturum propagata, donec in plenitudine temporum adveniens, qui ſperabatur, eccleſiam inſtituerit toto orbe inclarituram. *Eccleſiæ cognitio*, ſunt verba Cardinalis RICHELII (a), *non pendet neceſſario a ſcriptura, poteſt enim eccleſia cognoſci ſine ſcriptura, quod patet ex eo, quod a fidelibus agnita ſit a creatione uſque ad Moſem, qui primus verbum DEI ſcriptis conſignavit, & a primis chriſtianis antequam apoſtoli, eorumque diſcipuli evangelium & libros N. T. conſcripſiſſent, quamvis*

Quomodo non incurritur circulus vitioſus.

(a) Tr. de converſione eorum, qui ab eccleſia ſeceſſionem fecerunt. L. I. c. 10.

vis infallibiliter ſcriptura cognoſci non poſſit, niſi ex eccleſia, non incurritur in circulum vitioſum, qui idem per ſeipſum probat. Igitur primo eccleſiæ credimus, atque ab eccleſia demum ſuſcipimus ſcripturas. Eccleſiam hic intelligimus ſocietatem illam, apud quam ſeſe inde ante omnem ſcripturam vera religio evidentibus motivis credibilitatis commendavit, quæ licet non eadem ſe omni tempore claritate & copia oſtenderit, filum tamen perpetuum decurrentis ſemper veræ religionis exhibet: cujusmodi in chriſtiana religione a primis orbis conditi crepundiis habetur, cui ſemper aliquod verbum revelatum primo per traditionem, poſtea etiam per ſcripturam concreditum eſt, tam in veteri quam novo teſtamento, in quo nobis eam religionis formam, eamque eccleſiam, quæ jam in toto orbe fulget, diſpoſuit.

Quod ulterius explicatur.

IV. Primo igitur dari aliquam in mundo religionem ſtatutum manet, quæ facile queat inveniri ab iis, qui illius inquirendæ ſunt ſolliciti. Non equidem per examen rerum & dogmatum, quæ tradit divinitus; ſed potius per motiva ejusmodi credibilitatis, quibus certo evincitur, DEUM eſſe religionis hujusce auctorem: unde illa pro vera agnoſcenda,

da, atque ab ea ſuſcipienda ſint, quæcunque nobis proponit, quam etiam intellectus noſtri vires & captum excedant: dum conſtat ea a DEO eſſe, qui manifeſte prodidit, ſe eſſe auctorem religionis. Hoc modo nos hucuſque veritatem religionis chriſtianæ oſtendimus, nempe eccleſiæ toto orbe jam diſperſæ.

V. Quæ ipſa tamen aſtu dæmonis, & perverſis humani ingenii ſtudiis, opinionum varietate, & animorum exacerbatione eſt in varias diſtracta partes ſeſe mutuo execrantes, dirisque devoventes, ut jam eccleſiam chriſtianam in eccleſia, id eſt, chriſtiano nomine in orbe terrarum diffuſo indagandi neceſſitas ſit: quod ut effectum eamus, jure optimo notas quasdam & criteria contra hæreticos, qui ſcripturarum fidem nobiſcum ſuſcipiunt, ex ipſis ſcripturis elicimus, quibus contra veram eccleſiam ſeſe erigentes utimur: ut apud eos eum eccleſiæ conſpectum non eſſe comprobemus, quem ſacræ nobis ob oculos ponunt ſcripturæ; quarum divina oracula haud minus illi, quam nos ſuſcipiunt, & venerantur. Has vero notas colligimus non noſtro fidentes judicio, aut privato ſpiritu turgidi, ſed idoneo doctorum uſi teſtimonio, & interpretatione: nec non

Notæ veræ eccleſiæ, quomodo ex ſcripturis repêtantur.

anti-

doque & *Atheiſticum contemtum*, ut loquitur. Quá in re haud ægre ſecum nos ſentientes habet: ſed dicat, unde Proteſtantium ab eccleſia Romana ſeparatio ortum duxerit, quam ab animi exacerbatione, contemtu ſatyrico & irriſorio eccleſiæ auctoritatem ſpernente? Infeliciter item ſolere explicare doctrinam de eccleſia pertendit WEISSMANNUS, homines, qui revelationem externam crepant, id eſt, Enthuſiaſtas, Fanaticos, ſpiritu privato obſecundantes, quales apud ſuos quærere debet, non apud nos. Ponit deinceps eos, qui ex ſtatu politico de eccleſia judicant, & eo feriri nos putat, cum adverſarii eundem eccleſiaſticum cum politico ſtatum faciant, nos dividamus, ſecernamusque: ſed de hac re deinceps uberius. Poſtremo loco WEISSMANNUS inter eos, qui non ſane de eccleſia judicent, ponit ſectarios, ſed quos alios quam ſe ſuosque? Patet quam parum ſibi ſuæque, ad quam e noſtra apoſtata abiit eccleſiæ caveat WEISSMANNUS, dum, qui de eccleſia minus recte & vere judicare queant, recenſet, ſui enim ut pro talibus habeantur, ſolum efficit, contra nos ne hylum proficit.

Notæ eccleſiæ debent eſſe [illegible] eccle-

II. Notæ eccleſiæ cum inquiruntur, circumſpiciturque, ubinam ille ſit cœtus, aqud quem vera eccleſia inveniatur,

ut

ſia, ac cœtu externo ac viſibili.

ut per ſe patet, nec adverſarii negant, ipſeque agnovit CALVINUS, de viſibili quodam cœtu diſquiſitio fit, cui nos adjungere debeamus, flagitantibus a nobis evangelicis præceptis dominico ore prolatis. Juxta MOLINÆUM de ejusmodi etiam ſignis quæritur, quæ ſint magis nota quam ipſa eccleſia, cum hanc indicare debeant. Nuper *Joannes* CLERICUS editioni *H.* GROTII, de veritate chriſtianæ religionis a ſe curatæ addidit librum de eligenda inter chriſtianos diſſidendentes ſententia. Et quamvis ultra communia Proteſtantium principia tegendæ religioni faveat, nihilominus pro publica fidei profeſſione, addictioneque cœtui exteriori veræ eccleſiæ ſciſcit. *Inter præcepta Chriſti*, inquit, *& apoſtolorum hoc habetur, ut coram hominibus nos profiteamur eſſe diſcipulos Chriſti, ſi eum nos pro ſuis agnoſcere, cum extremum feret de vivis & mortuis judicium, velimus; ſin minus, ut eum negaverimus magiſtrum coram hominibus, ſic illum viciſſim in ultimo illo humani generis conventu coram DEO diſcipulos nos eſſe ſuos negaturum. Cætera. Quæ cum ita ſint, oportet eum, qui religionem chriſtianam veram eſſe exiſtimat, hanc animi ſui ſententiam quavis data occaſione intrepide aperire, & profiteri.* Egregie CLERICUS ſuam de externa profeſſione fidei decla-

rat opinionem, ejusque neceſſitatem forte amplius etiam probat, & agnoſcit, quam ſuæ religionis rationes ferant, atque mos ſuus, compluriumque aliorum ex Proteſtantibus eruditorum noſtra ætate, ſit, qui, quam de religione fovent ſententiam, callide tegunt. Sed Clericum porro audiamus: *Præterea neceſſe eſt, talem quærere, ſi qui ſint ejusdem ſententiæ, & cum iis pacem ac amicitiam ſingularem colere, hoc enim judicio diſcipulos ſuos agnitum iri docet Chriſtus, ſi ſe viciſſim exhibeant: quin etiam eos hortatus eſt cœtus habere in nomine ſuo.* Tum paucis interjectis: *Verum*, ait, *quia non eſt hodie (uti nec olim fuit) unum hominum genus, unusque cœtus in Chriſti nomine convenientium; non eſt illico credendum eum eſſe vere chriſtianum, qui ſancto illo nomine cenſeri cupit; nec proinde cœtui cuivis eorum, qui ſe chriſtianos dicunt, ſine examine ſeſe adjungere licet.*

Jo. Clericus ex ſcripturis N. T. veram eccleſiam dignoſci vult.

III. Jam audiamus, quanam Clericus nota diſcerni verum a falſo cœtu velit. *Videndum*, inquit, *ante omnia, an eorum dogmatibus conveniat, cum ea forma ſanorum verborum, quam ex Novi Teſtamenti attenta lectione animo concepimus . . Ergo hominis eſt nulli cœtui in perpetuum nomen dare, niſi apud quem perſpexerit eam, quam*

vere

vere putat, doctrinam chriſtianam vigere. In hoc aberrat maxime adverſariorum a noſtra, de dignoſcenda eccleſia, ſententia: tam enim quoad eam normam, qua nobis ex ſcripturis declarantur ejusdem notæ, quam etiam quoad notas ipſas diverſiſſima deprehenditur. CLERICUS cum ſuis quemvis ligonem, ſartorem, ſutorem, & deliram anum judicem conſtituit doctrinæ evangelicæ veræ dignoſcendæ, & illius cœtus, apud quem hæc doctrina genuina ſervetur: nos non noſtro fidendum dicimus judicio, ſed ab idonea auctoritate, ut diximus, ſcripturæ verum mutuamus intellectum, nimirum illius ipſius eccleſiæ, in qua notas germanas reperimus, neque etiam ſuo cuivis ſapore, ac propria electione notarum eccleſiæ veræ contra conventicula hæreticorum ex ſcripturis investigationem committimus, ſed quæ omnium temporum, & ſæculorum comprobatione habitæ ſunt veræ notæ, ſuſcipimus. CLERICUS contra, ut diximus, cujusvis induſtriæ & ſagacitati committit religionis eccleſiæque ſimulacrum e ſcriptura ſacra effingere, aut taliter ab aliis formato ſe adjungere. *Diſſentientibus*, inquit, *chriſtianis diſpiciendum quinam optime omnium ſentiant, nec damnandi unquam, niſi qui probe perſpecta damnatione*

digni nobis videntur, iisque adhærendum, qui nec ulla dogmata credi, quæ a nobis falſa habentur, nec ulla quæ putamus eſſe vera damnari poſtulant. Verum de hoc paulo poſt viderimus.

Sententia Clerici convenit cum communi Proteſtantium

IV. Parum, ſi quod res eſt perpendatur, hic aliud agit Clericus, quam quod egerunt Proteſtantium anteſignani Lutherus, & Calvinus, notas eccleſiæ conſtituentes ſinceram evangelii prædicationem, & legitimum ſacramentorum uſum, aliquibus a Luthero additis levioris momenti. Niſi quod ſe Socinianis favere prodat Clericus ſolum novum amplectendo teſtamentum. Volunt enimvero ipſi illi ex ſcripturis hauriri, & dignoſci, idque cujusvis judicio, verum evangelii ſenſum, veraque ſacramenta.

Cujus inconvenientia oſtenditur.

V. Non eſt opus diutius his notis eccleſiæ refutandis immorari, poſtquam theologi paſſim oſtenderunt, & quotidiana docet experientia, nec notiores clarioresque eſſe ipſa eccleſia, nec eſſe diverſis hominum conditionibus appoſitas, neque ab omnium ingeniis dignoſci poſſe. Quotus enim quisque eſt, cui facultas ſuppetat in veram inquirendi doctrinam atque ſacramenta, inter tanta de his omnibus certamina? Quomodo quivis de cujusvis ſectæ doctrina decernat,

ſtat, intelligentiam ſcripturarum ſibi vindicet, quod omnes ſibi ſectæ arrogant? *Singuli quippe hæreticorum cœtus*, ut recte inquit LACTANTIUS (*a*), *ſe potiſſimum chriſtianos*, & *ſuam eſſe catholicam eccleſiam putant.* Certe nullus eſt, qui non jactet ſe puram habere Chriſti doctrinam, & genuina ſacramenta: omnes in errorum ſuorum patrocinium ſcripturas allegant. *Neque enim*, inquit S. AUGUSTINUS (*b*) de Geneſi ad litt. *non omnes hæretici ſcripturas catholicas legunt, nec ob aliud hæretici ſunt, niſi quod eas non recte intelligentes, ſuas falſas opiniones contra earum veritatem pertinaciter aſſerunt.* Hoc igitur unicum ſupereſt, ut eccleſiam claris notis inquiramus, eamque in his difficultatibus conſulamus. *Scripturarum*, idem inquit AUGUSTINUS (*c*) contra CRESCON. *a nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod univerſæ jam placuit eccleſiæ, quam ipſarum ſcripturarum commendat auctoritas.* Hoc eſt quod nos agimus, hoc eſt quod unice agere expedit.

a. b. c.

VI. At adverſarii humano ingenio, induſtriæ, & ſagacitati relinquunt, de veritate doctrinæ veræ eccleſiæ judicandi

Secundum quas cuivis liberum eſt ſectam

Aa 3

(*a*) Lib. IV. c. 29. Inſtitut.
(*b*) L. VII. c. 9.
(*c*) L. I. c. 33.

condere, & de tota religione decernere.

candi arbitrium: atque poteſtatem faciunt propriam ſibi cudendi fidem, efformandique ſectam, ſi alia nulla arrideat. OWENUS (*a*), celebris apud ſuos theologus, unicum præpedimentum veræ ſapientiæ ponit, *quod*, ut ipſe inquit, *ultra ſectarum placita ſapere plurimi ex quibus conſtant, nefas ducunt, cum ei, cujus pars quisque eſt, omnem ſcientiam, pietatem, doctrinam, ſapientiam includat tamquam cornucopiæ.* Ergo ad mentem OWENI cuivis liberum eſt, novam ſectam condere, conditas pro libidine augere placitis, detrahere, mutare, & quid non? Neque eſt, quod a plurima parte horum ex grege alia doceri exſpectes: quicunque enim proprio judicio in ſcripturis verſantur, fidemque chriſtianam, & doctrinam veram ſeipſa ſentiri aſſerunt, ſicut viſu album, & guſtu amarum diſcernitur; aut ſpiritum neſcio quem privatum jactant, ita opinari debent.

M. JURIUS & CLAUDIUS diſcuſſionis viam rejiciendo guſtum ſtatuunt.

VII. Primi reformatores, ut ſe vocarunt, examen fidei privatum etiam laicis ac rudibus indulſerunt; ſecuti ſunt, qui licet examen iſtud difficile agnoverint, quotidie tamen fieri vel inde comprobare voluerunt, quod apud Proteſtantes plebei quique allegando ſcriptu-

ræ

(*a*) Præf.

ræ dicta aſſueverint ſua dogmata firmare: quin etiam diſputando adverſantibus negotium faceſſiverint, more primorum chriſtianorum, qui non auctoritate eccleſiæ, ſed examine ex ſacra ſcriptura inſtituto, converſi ſint. At poſtea experientia edocti ſunt, noſtriſque argumentis fateri compulſi, hoc ſingulare cujusque de rebus religionis arbitrium maximis abſurditatibus patere, nec poſſe illud defendi, exemplo primorum chriſtianorum, qui motivis credibilitatis, & certis notis ac indiciis ad agnoſcendam eccleſiæ auctoritatem ſemper ſint conducti, ſicuti nos deinceps oſtendemus. Itaque alio ſunt delapſi tam in agnoſcenda divinitate ſacrarum ſcripturarum, quibus divinum continetur verbum, quam etiam ipſis veritatibus divinis, & fidei dogmatibus ſaltem fundamentalibus. Nempe diſtinctionem inter varias examinis ſpecies excogitarunt, ac triplex ſtatuerunt: Attentionis, quando adverſus animum attentum, & loca ſcripturæ conferentem veritas ita operetur, ut eam quivis non agnoſcere non poſſit, idque plebi convenire: alterum diſcuſſionis, ubi extantiora dubia & objectiones ſolvantur, idque doctis proprium eſſe: tertium præciſionis, in quo omnia in univerſum dubia & obſcura tollantur,

idque in hac vita non dari. Ita Jurius arguit: agnoſcitque tandem non ſemel ſuo in ſyſtemate, examen diſcuſſionis ſe non conſulere, nec neceſſarium ducere tam iis, qui jam eccleſiæ ſunt addicti, quam ſe addicere volunt, utpote cujus ſimplex capax haud ſit: imo expreſſe dicit: a. (*a*) *Cette voie de trouver la verité, n'eſt pas celle de l'examen: car je ſuppoſe avec M. Nicole qu'elle eſt abſurde, impoſſible, ridicule, & qu'elle ſurpaſſe entierment la portée des ſimples.* Rem igitur redigit ad ſolam attentionem ſeu applicationem veritatis intellectui, quæ eodem modo contingat, quo lumen ſenſibile ſe oculis corporeis applicat, veritate intellectum eodem modo percellente, quo lumen oculos afficit: quæ attentio nil ſit quam guſtus animæ, quo bonum a malo ſecernit, verumque a falſo, haud aliter ac palatus amarum a dulci: putatque ſic ſine libris etiam & ſcripturis veritatem ſentiri, haud aliter ac lumen, quando videtur calor prope ignem, & amarum in manducando. Hoc modo etiam ſentiri a nobis vult, & a ſola ratione dignoſci, quinam articuli religioni ſint eſſentiales & fundamentales: ſicut oculus diſtinguit nigrum ab albo, magnum a parvo &c. Miniſter Claudius hac ſimili-

(*a*) Jur. Syſt. L. II. c. 13.

ſimilitudine rem explicat: ſentire nimirum animam, an ſit ſufficienter repleta veritate, ſicut naturaliter corpus ſentit ſe ſufficienter nutrimentum accepiſſe. Idem etiam eundem agnoſcit guſtum in agnitione tam veritatum chriſtianarum, quam etiam librorum ſacrorum.

VIII. Sed uterque infeliciter; cum experientia quotidie doceat, tam parum guſtum iſtum aptum eſſe ad negotia religionis decidenda, quam via diſcuſſionis: quivis enim ſe præ alio guſtum iſtum habere jactabit. Quinam verò divinitatis guſtus ſe e. g. legenti Canticum Cant. offeret? aut quinam in myſteriis Trinitatis & Incarnationis ſenſus intellectum feriet? Lutheranus in Euchariſtia realem guſtat præſentiam, Calvinianus figuralem ſolum, quis amborum habet verum guſtum? An non eſt hic guſtus merus Fanaticiſmus, ut quivis pro divino agnoſcat, quod ſibi imaginatur? Cum præſertim agnoſcant veritatem etiam præſcindendo a ſcripturis ſic agnoſci. Deinde oſtendant, qua ratione hunc guſtum pro veritatis criterio obtrudant, quem ſua in phantaſia excogitarunt contra principia etiam ſuæ reformationis, qua cuique diſcuſſionem promiſerunt. Animos ad ſe allexerunt, quod cuique liberum veritatis examen & diſcuſſio-

Qui haud magis ad religionis negotium prodeſt, quam via diſcuſſionis.

nem permitterent; nunc agnoſcunt hanc diſcuſſionem eſſe abſurdam & impoſſibilem, ejus tamen loco ſenſum ac guſtum veritatis a quocunque percipiendum promittunt. Interim in priore confuſione, inconſtantia, incertitudineque omnia relinquunt, cum radicem aberrandi in negotio religionis non tollant: quæ non eſt alia, quam quod cuilibet privato poteſtas tribuatur, & facultas adfingatur fidei ſuæ efformandæ, nec agnoſcant tribunal eccleſiæ: & ſic nunquam ad certi & fixi aliquid determinandum, certam & fixam regulam ſtatuere valent. Neque integrum relinquunt homini, aliquando ſuam figere fidem, quin eam cum ita viſum fuerit, poſſit immutare: prout non ſolum diverſis diverſa placent, ſed etiam iisdem nunc hæc nunc illa arrident, & vera videntur, cum de guſtibus non ſit diſputandum. Nulli etiam ſic ſecura via ac ratio ſuppetit, cum vera & germana ſeſe jungendi eccleſia, præſertim ſimplici, qui docetur omnibus diffidere, ſibi autem non ſe poſſe fidere propria dictat conſcientia.

Fruſtra etiam hic ad ſcripturæ judicium provocant ſi-

IX. Nec melius conſultum eſt, ſi quisque ad ſcripturam vocetur. *De intelligentia enim hæreſis, non de ſcriptura eſt*, ſapientiſſime S. HILARIUS (*a*) inquit, *&* *ſenſus*

(*a*) Lib. II. de Trinit. p. 789.

ſenſus, non ſermo ſit crimen. Aſt numquid corrumpi veritas poteſt? Numquid ſcripturæ ſenſus pro interpretum diverſitate verſatilis eſt? Una ſcripturæ, atque æterna veritas, nec commutabile humana volubilitate divinum eloquium. Quibus igitur rationibus inducar, ut uni potius, quam alteri ſcripturæ ſenſum explicanti credam? Certe aliqua alia mihi debent præberi indicia, unde clavem ſani ſenſus, & interpretationis ſcripturæ cuipiam commiſſam putem; aut ſigna & miracula edere eum cogam. Si ergo intelligentia non littera dogma chriſtianum facit, ego haud minus ab eo qui interpretatur, quam qui primus verbum divinum ſcriptis mandat, ut MOYSES & apoſtoli, miracula, ſigna auctoritatis, & ſcientiæ ſuæ requiro: cum ab hoc decipi æque poſſim, perverſum ſenſum audiendo, quam non verum divinum accipiendo verbum. Aut ſi hoc durum nimis videatur poſtulatum, ex ipſa ſaltem ſcriptura, cui omnia deferunt, quamque interpretantur, oſtendant, cur huic potius quam alteri credam, cur LUTHERI magis quam CALVINI ſequar caſtra? *Doce ſcripturas canonicas*, liceat loqui cum S. AUGUSTINO (*a*), *aperte dixiſſe . . . quod ſi hoc docere non potes, doce huic*

ne certo interprete.

(*a*) De unit. Eccl. n. 69. T. IX. p. 383. B.

huic communioni tuæ . . . ubi hoc didiciſti apertum aliquod & manifeſtum teſtimonium a ſcripturis canonicis perhiberi, & fatebor ad te eſſe transeundum. Obſepiam, claudamque hæc HIERONYMI (*a*) dicto, quod cauſæ jugulum petit. *Nec ſibi,* inquit, *blandiantur, ſi de ſcripturarum capitulis videntur affirmare quod dicunt, cum & diabolus de ſcripturis aliqua ſit locutus; & ſcripturæ non in legendo conſiſtant, ſed intelligendo, alioqui ſi litteram ſequimur, poſſumus & nos quoque novum nobis dogma componere: ut aſſeramus, in eccleſiam non recipiendos, qui calceati ſunt, & duas tunicas habeant.*

Nemo ſuo judicio penitus ſe committere poteſt in judicio doctrinæ chriſtianæ.

X. Dicent, non ſe velle, ut aliis credamus ſacram interpretantibus doctrinam, hoc a nobis potius fieri, ut aliorum, id eſt eccleſiæ ſententiæ nos tamquam mancipia quædam, ac bruta animantia toti confidamus: ſe PAULI mandato probare ſpiritus, utrum ex DEO ſint, & ſi quæ alia ſunt ſcripturæ loca, quæ magno numero coacervant, quibus jubemur cum Peroenſibus non ſine multo examine accipere doctrinam evangelicam, ſed caute inquirere & diſpicere, ne mala nobis pro bona obveniat merx. Ajunt ſe velle, ut quisque judicet, & arbitretur de doctrina evangelica,

(*a*) Dial. cont. Lucif. c. ult.

gelica, & quonam in cœtu ea conſervetur doctrina: ſine hac inquiſitione nolle ſe, ut quis cœtui ſe alicui adjungat. Sed quæſo, ſi homini credi putant, quid intereſt, an aliis credant, an ſibi ipſis? Niſi quod major ſit ſuperbiæ tumor & arrogantiæ, ſummus præſumptionis gradus, ſuo judicio tantopere fidere, ut nil, niſi tuo arbitrio ſtatuas? Excuſati jam omnes ſunt hæretici, cujuſcunque generis ſint: excuſati Deiſtæ, imo Atheiſtæ, ſuo enim judicio, ſuo arbitrio verum ipſi tenent.

Præſertim juxta principia evangelica adverſa principiis Proteſtantium.

XI. Sed qua ratione hæc tanta præſumptio & confidentia de judicio proprio conſiſtere queat cum humilitate & docilitate chriſtiana, alia eſt quæſtio: ut nimirum quiſque privatum ſuum dictamen præferat dictamini omnium aliorum, ſeque plus rationis, gratiæ, lucis, ac S. Spiritus habere ſibi perſuadeat, quam eccleſia: ut ſi ſit etiam congregata ex omnibus terræ angulis non tantum valeat illius auctoritas, quin adhuc poſt illius judicium diſquirendi, decernendique competat jus cuicunque etiam fœminæ, & ignorantiſſimo hominum. Abſurdum hoc Ill. Bossuet ex principiis Proteſtantium, quemque arbitrum ſuæ fidei facientium, invicte demonſtravit in collatione cum M. Claudio ſuper materiam de Eccleſia.

cleſia. Imo etiam oſtendit ex iisdem principiis, aliquando debere dubitare, an ſcriptura ſit inſpirata a DEO, an evangelium ſit veritas, an fabula? an Chriſtus ſit impoſtor, aut veritatis doctor. Ea ſcilicet de cauſa, quod ad omnia examinanda proprio marte quisque obſtringatur, & antequam quis ſibi ſcripturæ divinitatem perſuadeat, prius eam ſecundum omnes ſuas partes examinare debeat: id quod Bossuet hoc ſimplici argumento evicit l. c. *Le chretienne batisé avant, que de lire l'ecriture ſainte, ou peut faire cet acte de foi: je croi, que cette parole eſt inſpirée de DIEU, comme je croi que DIEU eſt, ou il ne le peut pas faire, s'il ne le peut pas faire, il en doute donc, il eſt reduit a examiner, ſi l'evangile n'eſt pas une fable: mais s'il le peut faire par quel moien le fera-til? Le ſaint Eſprit le lui mettra dans le cœur. Ce n'eſt pas répondre: car on eſt d'accord que la foi en l'ecriture vient du ſaint Eſprit. Il eſt queſtion du moien exterieur dont le ſaint Eſprit ſe ſert, & il ne peut y en avoir d'autre, que l'autorité de l'Egliſe.*

Sectis enim, atque ſtando principiis Proteſtantium quæ-

XII. Eodem modo adverſarium ſuum ſtringit ratione ſcripturæ, illiusque ſenſus, ac clavis interpretandi, niſi tandem res devolvatur ad judicium ultimatum eccleſiæ: oſtendit Indifferentiſmo latas

aperiri

aperiri januas, experientia ipſa teſte: cum ſtionum
ſine via auctoritatis nulla ſpes ac ratio de fide
ſuperſit figendi certum aliquem ſcriptu- nullus po-
ræ ſenſum. Quoniam vero in iſta do- teſt eſſe
gmatizandi libertate auctoritas penitus terminus.
exploſa eſt, nec conſiſtere cum principiis reformationis poteſt, inde accidit, ut nec novis dogmatibus & ſectis obſiſti poſſit. Neque jam ſupereſſe poteſt ſpes finiendi quæſtiones, contentioneſque in cauſa fidei & religionis, quando nulla agnoſcitur obligatio deferendi alicujus tribunalis ſacri auctoritati: quod dum fit, nec ordo conſervari poteſt, nec remedium ſupereſt reprimendi, aut condemnandi errores: nec ulla unionis mutuæ conſervandæ ratio præſto eſt, quam omnia æqui bonique conſulendo, ac indifferenter habendo quaſque de religione opiniones, ſingulas tolerando ſectas ac factiones, quæcunque ſacram ſcripturam agnoſcant, licet in ejus interpretatione in diverſiſſimas abeant opiniones: cum nihil obſit, quo minus unuſquiſque firmus in ſua hæreat ſententia, quod neminem agnoſcere obſtringatur judicem, poſſitque imo debeat quivis ſequi propriæ mentis perſuaſionem. Fruſtra ergo ſunt omnes deciſiones dogmatum, omnes confeſſiones, ac formulæ fidei: & Proteſtantes contra propria principia

ege-

egerunt, ſi quid unquam in præjudicium aliorum in ſuis conventibus, ſynodis, ac decretis egerunt: ut ſæpe fecerunt recedendo a propriis principiis, ac ſponte coacte principia noſtra de judice eccleſia amplectendo.

Quod aliter evenire nequit, niſi eccleſiæ agnoſcatur auctoritas.

XIII. Utinam tandem aliquando communi dogmate etiam & ſententia veritati accedant! hoc ſolum reliquum eſt ad pacem unitatemque eccleſiæ reſtituendam, quæ tam miſere hodie diſcerpta, ac profligata jacet, ceu in confuſione Babelica quolibet diverſum loquente idioma, ac dogma. Et qui aliter accidat, quando humanæ perverſitati libera conceditur vagandi licentia? Superba mens, & ratio dominatur in divinis myſteriis, atque religionis arbitrium ſibi arrogat, contemnitur vero ſacerrimum eccleſiæ tribunal in explicandis aſſerendisque divinis oraculis, nec agnoſcitur Chriſti ſponſa ut veritatis magiſtra, ac cuſtos. Secus facimus nos Catholici, atque idcirco conſervamus concordi ſenſu, pronoque animo fidei depoſitum: neutiquam vacillamus, neque omni doctrinæ circumferimur vento; ſed in obſequio fidei perſeverantes idipſum ſinguli ſentimus, cuſtoditoque vinculo pacis, ne in nobis ſint ſchiſmata, cavemus, omnemq; hæreticam pravitatem cane pejus & angue fugimus.

XIV.

Quare & quomodo nos doctrinam chriſtianam Judicio eccleſiæ ſuſcipiamus.

XIV. Dum vero eccleſiæ nos credimus, ideo facimus ſecuriſſime, quod nobis certis & evidentibus ſeſe notis probet: quod apertiſſimam Chriſti commendationem in ſcripturis habeat. *Habeo*, ut verbis AUGUSTINI utar, *manifeſtiſſimam vocem paſtoris mei, commendantis mihi, & ſine ullis ambagibus exprimentis eccleſiam: mihi imputabo, ſi ab ejus grege, quod eſt ipſa eccleſia per verba hominum ſeduci, atque aberrare voluero, cum me præſertim admonuerit dicens*: Quæ ſunt oves meæ, vocem meam audiunt, & ſequuntur me. *Ecce vox ejus clara & aperta! hac audita, qui eum non ſequitur, quomodo ſe ovem ejus dicere audebit? Nemo mihi dicat: O quid dixit Donatus, o quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet illorum. Quia nec catholicis epiſcopis conſentiendum eſt, ſicubi forte falluntur, ut contra canonicas DEI ſcripturas aliquid ſentiant. Sed ſi cuſtodito unitatis & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis, quod Apoſtolus ait*: Et ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque DEUS revelabit. *Jam vero iſtæ divinæ voces de univerſa eccleſia ita manifeſtæ ſunt, ut contra eas, niſi hæretici animoſa perverſitate, & cæco furore latrare non poſſint.* Quod vero hic ex ipſa AUGUSTINI ſententia con-

tra nos argumentum ſtruere forte nituntur, ac ſi mens AUGUSTINI ſit, neç catholicis epiſcopis conſentiendum, ſicubi forte falluntur, ut contra canonicas DEI ſcripturas aliquid ſentiant, ex mox ſequentibus AUGUSTINI verbis diluitur, veraque ratio conſtituitur, quare accidere non poſſit, ut, cum illi in aliquod dogma conveniunt, licet ſinguli humano judicio labi poſſint, conſpirent tamen in falſam doctrinam: nimirum, *ſi cuſtodito unitatis & charitatis vinculo in hoc incidunt, fiet in eis, quod apoſtolus dicit, & ſi quid aliter ſapitis, hoc quoque DEUS revelabit.*

Doctrinæ veræ prædicatio, & ſacramentorum legitimus uſus notæ eccleſiæ non ſunt, ſed ſuſcipienda ab eccleſia.

XV. Quare manifeſtum eſt, doctrinæ veræ prædicationem, & legitimum Sacramentorum uſum, notas eccleſiæ eſſe non poſſe: cum has res ſuſcipere ab eccleſia debeant omnes tamquam in ea a Chriſto & apoſtolis depoſitas, non ex eorum diſcuſſione ad eccleſiam venire: quod diſcere deberent ab omnibus illis, qui a primis eccleſiæ ſæculis ſcriptis ſuis ſenſum veteris eccleſiæ tradiderunt: puta ab IRENÆO, TERTULLIANO, quos ſtudioſe nomino ex illis ſæculis, quæ integra adhuc, & intemerata fide fuiſſe confitentur: hi igitur volunt peti doctrinam ab eccleſiis apoſtolicis. Sed de hoc mox copioſior tractatio inſtituetur.

XVI.

Argumentũ Molinæi ſolvitur.

XVI. Molinæus invictum ſe protuliſſe argumentum autumat, prædicationem veræ doctrinæ, & adminiſtrationem ſacramentorum legitimas eſſe notas, quod nobis non diffitentibus ad eſſentiam conficiendam eccleſiæ conferant. Sed quis unquam dixerit notam ipſam eſſentiam eſſe, & non quædam ex eſſentia promanantia ſigna, & proprietates, ſicuti in homine non ipſa anima rationalis eſt index hominis: hoc enim poſito in hac vita homo hominem noſcere nunquam poſſet, cum anima rationalis corporeis oculis pervideri non poſſit. Verum quidem eſt, & dudum a noſtris agnitum, doctrinam ſanam, & legitimum ſacramentorum uſum ad notam ſanctitatis revocari, & quodammodo ad reliquas notas etiam referri, ſed longe alio reſpectu, quam ab adverſariis aſſeritur. Sic conformitas ſententiarum & dogmatum, initiatio & communio ſacramentorum unitatis eccleſiaſticæ compagem conglutinant: ſanctitas doctrinæ & ſanctificatio ſacramentorum cognominem notam potiſſimum exornat: catholica & apoſtolica fidei tradux maxime attenditur: ſacramenta etiam exterioris formæ eccleſiaſticæ, & ſocietatis in religione viſibile ac conſpicuum ſunt ſignum a primo divinæ in-

ſtitutionis exordio permanens. Sed quæritur, quodnam alteri præeat ac præjudicet, indicium præbeat?

CAPUT V.

Conſtituuntur genuinæ notæ, criteria, ac totius veræ eccleſiæ ratio & forma a primo ſæculo.

I.

Antiquæ eccleſiæ forma, agnitæque notæ etiā hodie agnoſcendæ.

Ne quid nobis ipſis tribuere in hac pertractanda materia videamur, aut e noſtro effingere cerebro, antiquiſſimis teſtibus hanc rem conficiemus, quorum ſi deferre nolint auctoritati Neoterici, atque ſolis ſcripturis fidem adhibere ſe jactent, conſiderent earundem ſcripturarum ſcientia imbutos, ſtudio ac meditatione jugi intentos, ex earum ſententia, adductis etiam locis, & magno numero citatis, talia SS. viros ſcripſiſſe. Si nec iſtis moveantur, quæſo ne indignentur, nos horum potius duci auctoritate in hanc rem conſpirante, quam eorum, qui ſchiſma, & hæreſin fecerunt, atque adverſus eccleſiam rebellarunt. Igitur nihil tergiverſamur ex antiquitatis conſenſu, apoſtolica doctrina per

ſcripturam

ſcripturam ipſam firmata, contra Novatores eccleſiæ veræ ſtatuere notas, formamque ac faciem declarare, qualis ſemper fuit, eritque eccleſia: nec non indicare præjudicium, quod veræ eccleſiæ demonſtratio contra quosvis inſultus errorum facit. Adverſarios, velint, nolint, his impetimus armis, maxime ex illis ſæculis, quæ adhuc defæcatiora fluxiſſe, & illibata conſtitiſſe ultro plerumque largiuntur.

Auctores antiquiſſimi in hanc rem, ac primo CLEMENS Romanus in prima epiſtola, quæ commendatur.

II. Auctores autem laudabo, atque ex illis teſtimonia referam, quæ non aliud veluti agentes, alienoque argumento protulerunt; ſed prout præſens occaſio, atque principalis materiæ pertractatio ferebat. Primus prodeat S. CLEMENS Romanus apoſtolorum diſcipulus, pontifex Romanus & martyr: *Scripſit is ex perſona eccleſiæ Romanæ,* quæ ſunt D. HIERONYMI (*a*) verba, *ad eccleſiam Corinthiorum valde utilem epiſtolam.* a. De ea EUSEBIUS (*b*) teſtatur, *quod ſit ab omnibus uno conſenſu recepta, eximia prorſus, atque admirabilis:* b. Is etiam HIERONYMO præivit atteſtando in eccleſiis publice legi conſueverit. S. IRENÆUS (*c*) eam c.

(*a*) In catal. c. 15.
(*b*) L. III. c. 16. Hiſtor.
(*c*) L. III. adv. Hæreſ. c. 3.

ſtendit centrum illud unitatis eccleſiaſticæ conſiſtere in conjunctione cum apoſtolicis, atque ab apoſtolis probatis hominibus, id eſt eorum ſucceſſoribus. Præterea oſtendit recte eorum etiam mores, & conditionem attendendam, qui ſchiſmata & diſcordias ſerunt. Quod noſtris temporibus etiam congruit, alii enim corruptis moribus & vita fuerunt, alii autem laici, nullus vero conditionibus neceſſariis inſtructus ad tantos motus, & immutationem in eccleſia faciendam.

Eccleſiæ per orbem ab apoſtolis propagatio cum ſucceſſionis ordine ab apoſtolis.

V. Eadem epiſtola docetur, qua ratione evangelium a Chriſto acceperint, ac prædicarint per urbes & regiones, atque quos eſſe probatæ fidei, ſatisque eruditos cernerent, epiſcopos conſtituerint. (a) Atque divino conſilio ob contentiones & ſchiſma-

„ vobis intulit, propendebatis enim in apo-
„ ſtolos teſtatæ ſanctitatis, & in virum ab illis
„ probatum. Nunc vero quinam ſint, qui
„ vos perverterint, & nomiatiſſimi fraterni
„ amoris imminuerint decus, animadvertite.

(a) „ Apoſtoli (inquit S. Clemens *Epiſt. I. n.* 42.
„ *p.* 171.) nobis evangelizaverunt a Domino Jeſu
„ Chriſto, Jesus Chriſtus a DEO. Miſ-
„ ſus igitur eſt Chriſtus a DEO, apoſtoli a
„ Chriſto, & factum eſt utrumque ordinatim
„ ex voluntate DEI. Itaque acceptis manda-
„ tis, & certo perſuaſi per reſurrectionem
„ Domini noſtri Jesu Chriſti, & in fide con-
„ firmati per verbum DEI cum ſancti Spiri-

ſchiſmata prævisa hunc ſucceſſionis apoſtolicæ ordinem inſtitutum aperit (*a*): Exemplis vero a militari ordine, & corpore humano adductis, ad debitam ſubjectionem ordini hierarchico præſtandam hortatur. (*b*)

VI. Suppar S. CLEMENTI IGNATIUS ſecundæ poſt Romanam ſedis Antiochenæ epiſcopus & martyr: quam

S. Ignatius contra ſchiſmata & hæreſes.

tus plenitudine, ac ſecuritate, egreſſi ſunt »
annunciantes adventurum eſſe regnum DEI. »
Prædicantes igitur per regiones, ac urbes »
primitias earum ſpiritu cum probaſſent, in »
epiſcopos, & miniſtros (διακόνους) eorum, »
qui credituri erant, conſtituerunt.

(*a*) » Et apoſtoli noſtri cognoverunt per Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, quod futura eſſet contentio de nomine epiſcopatus: ob eam ergo cauſam accepta perfecta præcognitione, conſtituerunt ſupradictos, & deinceps futuræ ſucceſſionis regulam tradiderunt: ut cum illi decederent, miniſterium eorum ac munus alii viri probati exciperent. » *Ib. n.* 44. *p.* 173.

(*b*) » Sumamus (inquit) corpus noſtrum: caput abſque pedibus nihil eſt: ſic neque pedes abſque capite: minima autem corporis noſtri membra neceſſaria & utilia ſunt toti corpori: tum univerſa conſpirant, & ad conſervationem totius una ſubjectione utuntur. Servetur itaque totum corpus noſtrum in Chriſto JESU, & unusquisque proximo ſuo ſubjiciatur juxta gratiæ donum ipſi aſſignatum. » *Id. n.* 37. *p.* 169. *T. I.*

Secundum S. Ignatium unitatem eccleſiæ in communione & ſubjectio.

VIII. Hanc autem unitatem ſectandam eſſe in communione cum epiſcopo ſexcenties inculcat (*a*). Eodemque modo præjudicium veritatis ex ſententia epiſcopi capiendum vult, atque omnia in communione cnm ipſo facienda, mo-

„ (Et ad Magneſianos *n.* 7.) Omnes itaque „ velut ad unum templum DEI concurrite, „ velut ad unum altare, velut ad unum Jesum Chriſtum qui ab uno prodit, & in „ uno exiſtit, in unum revertitur. *Ad hanc* „ *unitatem etiam vult expanſis ulnis ſuſcipi,* „ *ſi qui poſt diviſionem redeant.*' (*ad Philad.* „ *n.* 3. *p.* 76.) Quotquot pœnitentia ducti „ redierint ad unitatem eccleſiæ, & iſti DEI „ erunt; ut ſecundum Jesum Chriſtum vi- „ vant. (Et poſtea *n.* 8.) Ubi diviſio eſt, & „ ira, ibi DEUS minime habitat. Omni- „ bus igitur pœnitentibus remittit DEUS, ſi „ reſipiſcant in unitatem DEI, & epiſcopi „ conceſſum.

(*a*) „ Sine epiſcopo (ſcribit ad Smirnæos *n.* 8.) „ nemo quidquam faciat eorum, quæ ad ec- „ cleſiam ſpectant. Rata Euchariſtia habea- „ tur illa, quæ ſub epiſcopo fuerit, vel cui „ ipſe conceſſerit. Ubi comparuerit epiſco- „ pus, ibi & multitudo ſit, quemadmodum „ ubi Chriſtus, ibi omnis adſtat exercitus „ cœleſtis, velut imperatori virtutis domini- „ cæ, omnisque intelligibilis naturæ modera- „ tori: non licet ſine epiſcopo nec bapti- „ zare, neque offerre, neque ſacrificium im- „ molare, neque convivium dominicum cele- „ brare. Sed quodcunque illi viſum fuerit „ ſecundum beneplacitum DEI eſt: ut tu- „ tum & ratum ſit, quodcunque agitis.

monet Magneſianos n. 7 (*a*). Sunt omnes S. IGNATII epiſtolæ refertæ ejusmodi monitionibus ad ſubjectionem unitatemque cum epiſcopo foven-

ne cum epiſcopis conſervandam.

(*a*) „ Quemadmodum itaque Dominus ſine Patre nihil facit : *Non poſſum enim* (inquit *Jo. V.* 30.) *facere a meipſo quidquam :* ſic & vos ſine epiſcopo : nec presbyter, nec diaconus, nec laicus. Neque quidquam videatur vobis rationi conſentaneum præter illius judicium. Quod enim tale eſt, iniquum eſt, & DEO inimicum. Omnes ad orandum in idem loci convenite : ſit una communis precatio, una mens, una ſpes, in charitate, in fide inculpata, quæ in Chriſtum JESUM, quo nihil præſtantius eſt. Omnes, velut unus, in templum DEI concurrite, velut ad unum altare, velut ad unum JESUM Chriſtum, ſummum ſacerdotem DEI ingeniti. Ne patiamini vos ſeduci alienis doctrinis. (Philadelphenſes idem hortatur) Fugite itaque ut filii lucis & veritatis ſectionem unitatis, & pravam doctrinam hæreticorum, a quibus pollutio egreſſa eſt in omnem terram. Ubi vero paſtor eſt, eundem ut oves ſequamini, multi enim lupi velleribus induti, eos qui in DEI ſtadio currunt, per malam voluptatem captivos comprehendunt : verum in veſtra unitate non habebunt locum. „ (Scilicet in unitate cum epiſcopo, quem antea laudarat. Et paulo poſt idem inculcat.) Quotquot enim Chriſti ſunt, hi ſunt cum epiſcopo : qui vero ab illo declinant, & cum maledictis communionem amplectuntur, hi cum illis excidentur.

vendam. Nos pauca ejus generis ſolum adduximus, quæ ad unam apoſtolicam eccleſiam demomſtrandam deſignandamque propius faciunt, quatenus in ſucceſſione epiſcoporum, eorumque auctoritate, in omni re, eccleſiam ſpectante, eamque conſtituente, fundatur.

CAPUT VI.

Ratio, notæ, & prærogativæ veræ eccleſiæ, ac contraria hæreſum ſigna ex mente S. Irenæi.

I.

S. Irenæi ingens ſtudium pro eccleſiæ pace & unitate contra ſchiſmata & hæreſes conſervanda.

A primo ſæculo dum progredimur ad alterum, primum locum meretur S. Lugdunenſium epiſcopus & martyr Irenæus: qui nominis ſui etymon factis complens, pro pace eccleſiaſtica ſtrenue laboravit, hæreſum, ſchiſmatumque profligator acerrimus, auctoritatis vero, & unitatis eccleſiaſticæ aſſertor inſignis. Ac dolendum imprimis, quod ætas non tulerit, quæ is *de ſchiſmate* ad Blastum perſcripſit, uti ex Eusebio diſcimus. Aliunde autem novimus, Blastum hunc eccleſiam turbaſſe, non ſolum ritu Judaico Paſcha agendum putans, verum etiam, qui ſecus facerent,

con-

condemnans. Id quod ferre non valens pacis ſtudioſiſſimus S. IRENÆUS, eum litteris convenit. THEODORETUS (*a*) a.
BLASTUM diſcipulum facit VALENTINI. At PACIANUS (*b*) in hæreſim Montaniſtarum collapſum dicit. b.
Hoc conſtat, eum Romæ ſuis erroribus plures infeciſſe, atque ſacerdotio exutum eſſe teſte EUSEBIO(*c*): ut adeo S. IRENÆUS c.
hoc in ſchiſmatico cohibendo tam felix haud fuerit, uti alias, ne ſcilicet quæſtio de diverſitate Paſchatis in apertum ſchiſma erumperet, fructuoſe laboravit, litteris non ſolum ad VICTOREM R. P. datis, quibus eum monet, ne a communione ſeparet, qui alium ſervarent ritum, ſed etiam hujus rei cauſa ad alios epiſcopos ſcribens: ſic ei cordi erat unitas eccleſiæ. Monitis autem & exemplis id agebat, ut pacifice ferrentur diverſitates in ejusmodi ritibus, ne unitas turbaretur: Ut autem apud EUSEBIUM (*d*) teſtatur. *Non ſolum de die Paſchæ* d.
agebatur controverſia, ſed & de ipſa ſpecie jejuniorum. Et tamen, inquit paulo poſt, *nihilominus omnes iſti, etiam cum in obſervantia variant inter ſemetipſos, & pacifici fuerunt ſemper nobiſcum, & ſunt:*
nec

(*a*) L. I. Hæret.
(*b*) Ep. I. ad Symp.
(*c*) Hiſt. Eccl. L. V. c. 15.
(*d*) Hiſt. Eccl. L. V. c. 24.

nec diſſonantia jejunii, fidei conſonantiam rupit. Sic ille ſtudium eccleſiæ pro unitate eccleſiæ VICTORI deprædicavit.

Schiſmatis operationem agnoſcit præjudicium falſæ, unitatem autem notam veræ eccleſiæ.

II. Contra hæreſes vero agens in homine chriſtiano ac diſcipulo Chriſti vere ſpirituali facultatem agnoſcit judicandi eos, qui ſcindentes unitatem eccleſiæ ſchiſmata inducunt, etiam ſub reformandi prætextu: cum ex mente Sancti noſtri nunquam tantum bonum ex reformatione ejusmodi proveniat, quantum malum ſit ſchiſma. Quod probe notent reformatores, & demum agnoſcant operationem ſchiſmatis eſſe præjudicium erroris, unitatis autem conſervationem indicium ac notam eccleſiæ diſcipulo vere ſpirituali, qui receperit Spiritum DEI: qualem nobis deſcribit S. IRENÆUS L. IV. c. 33. (a)

III.

(a) „ Judicabit autem (inquit n. 7.) & eos qui „ ſchiſmata operantur, qui ſunt inanes, non „ habentes DEI dilectionem, ſuamque utilitatem potius conſiderantes, quam unitatem eccleſiæ, & propter modicas, & quaslibet cauſas magnum & glorioſum Corpus „ Chriſti conſcindunt, & dividunt, & quantum in ipſis eſt, interficiunt, pacem loquentes, & bellum operantes. Nulla enim ab eis „ tanta poteſt fieri correctio, quanta eſt ſchiſmatis pernicies. Judicabit autem & omnes „ eos, qui ſunt extra veritatem, id eſt, qui ſunt „ extra eccleſiam: ipſe autem a nemine judicabitur.

III. Hæc & alia omnia, quæ pro unitate & communione omnium per orbem diſperſarum eccleſiarum ſcripſit, ac fecit IRENÆUS, oſtendunt, quam neceſſarium ille duxerit hoc catholicæ eccleſiæ vinculum in eadem fide, ac ſpe, eccleſia ſub eodem regimine ſeſe conſpicuam in omnem terram diffundente (*a*) ſive interiora ejus chariſmata & decorem, ſive exteriorem ejus ſpeciem, ac varium ornatum, quo circumdata reſplendet, conſideremus. Quæ conſervanda nobis eſt a primis eccleſiæ ſæculis conſignata eccleſiæ notio, atque repudianda illa, quam nuper aliqui excogitarunt, ita in orbem omnem diſperſæ eccleſiæ, ut nullo fidei

Notio & forma eccleſiæ, qualis a S. IRENÆO agnita.

a.

Cc

(*a*) „ Eorum (inquit S. IRENÆUS *L. V. c.* „ 20.) qui ab eccleſia ſunt, ſemita circum- „ iens mundum univerſum, quippe firmam „ habens ab apoſtolis traditionem, & videre „ nobis donans omnium unam & eandem eſſe fi- „ dem, omnibus unum & eundem DEUM Patrem „ præcipientibus, & eandem diſpoſitionem In- „ carnationis Fili DEI credentibus, & ean- „ dem donationem Spiritus ſcientibus, & ea- „ dem meditantibus præcepta, & eandem fi- „ guram ejus, quæ eſt erga eccleſiam, ordi- „ nationis ſeu regiminis eccleſiaſtici cuſto- „ dientibus, & eundem exſpectantibus ad- „ ventum Domini, & eandem ſalutem totius „ hominis, id eſt animæ & corporis, ſuſtinen- „ tibus, & eccleſiæ quidem prædicatio vera, „ & firma apud quam una, & eadem ſalutis „ via in univerſo mundo oſtenditur. „

dei, communionis, ac regiminis ſocietate conglutinetur, ac etiam mutuo anathemate ſe feriat.

Sanctitatem qualem pro nota eccleſiæ veræ S. Irenæus ſtatuat.

IV. S. Irenæus cum apoſtolo præcipuum chariſma charitatem agnoſcens, eam in eccleſia vera tantam martyrum multitudinem generaſſe edicit (*a*). Et quemadmodum ex fructibus veræ charitatis veram eccleſiam demonſtrat, ita hæreticas factiones ex horum fructuum defectu arguit, communiter cum eccleſia illorum temporum, quæ didicit a Chriſto falſos prophetas ex fructibus eorum cognoſcere. Præcipuum autem fructum
b. hic deſignat Irenæus (*b*) martyrium, &

(*a*) „ Præcipuum (inquit S. Irenæus *L. IV.* „ c. 33.) dilectionis munus, quod eſt prætioſius, quam agnitio, glorioſius autem quam „ prophetia, omnibus autem reliquis chariſmatibus ſupereminentius. Quapropter eccleſia omni in loco ob eam, quam habet „ erga DEUM, dilectionem multitudinem „ martyrum in omni tempore præmittit ad „ Patrem, reliquis autem omnibus non tantum non habentibus hanc rem oſtendere „ apud ſe, ſed nec quidem neceſſarium eſſe „ dicentibus tale martyrium: eſſe enim martyrium verum ſententiam eorum.

(*b*) „ Opprobrium enim (inquit loco citato) eorum, qui perſecutionem patiuntur propter „ juſtitiam, & omnes pœnas ſuſtinent, & „ mortificantur propter eam, quæ eſt erga „ DEUM, dilectionem, & confeſſionem Filii „ ejus, ſola eccleſia pure ſuſtinet.

& perſecutiones propter juſtitiam, quas ſola vera eccleſia pure ſuſtineat. De aliis S. Spiritus chariſmatis idem declarat, ea in ſola vera haberi eccleſia, ita ut indicium eccleſiæ præbeant operationes Spiritus ſancti (*a*). Inter has autem o- a.
perationes donum miraculorum refert, etiam poſt apoſtolos (*b*). A qua virtute b.
tantum abeſſe dicit hæreticos, ut ne quidem credant hoc in totum poſſe fieri, & ſi quid mirum moliantur, id in perniciem & errorem per magicas eluſiones, & univerſa fraude plus lædentes, eos facere.

Ab eccleſia eſſe veritatem deſumendam ex mente S. Irenæi.

V. Ab eccleſia autem veritatem unice deſumendam eſſe contra omnes inſurgentes hæreſes & errores dicit. Nec eſt, quod magis inculcet, ut in hoc o-

(*a*) „ Ubi eccleſia (inquit *L. III. c.* 24.) ibi & „ Spiritus DEI, & ubi Spiritus DEI, illic „ eccleſia, & omnis gratia, Spiritus enim „ veritas. Quapropter qui non participant „ eum, neque a mamillis matris nutriuntur „ in vitam, neque percipiunt de corpore „ Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem. „

(*b*) „ In fraternitate ſæpiſſime (inquit *L. II. c.* „ 31.) propter aliquid neceſſarium, ea, quæ eſt „ quoquo loco eccleſia univerſa poſtulante, per „ jejunium, & ſupplicationem multam rever- „ ſus eſt Spiritus mortuis, & donatus eſt „ homo orationibus Sanctorum. „

mne firmamentum ſuis in libris contra
a. hæreſes collocet. (*a*)

Scilicet juxta ſucceſſionis apoſtolicæ decurſum in eccleſia.

VI. Quænam autem ſit illa eccleſia, & qui depoſitarii, apud quos obortis controverſiis quærenda ſit ſana & apoſtolica eccleſia, porro declarat (*b*). Apoſtolicarum eccleſiarum nimirum traditionem : ſucceſſionemque certiſſimum, ac indubitatum ſtatuit doctrinæ ac veritatis evangelicæ firmamentum : atque hunc jugem ſucceſſionis curſum & perpetuitatem characterem inſignem, notamque veræ eccleſiæ, veræque doctrinæ
c. facit, quæ ſint mutuo ſibi nexæ. (*c*) Ut autem

(*a*) „ Non enim (inquit *L. III. c.* 4. *n.* 1.) oportet quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab eccleſia ſumere : quum apoſtoli, quaſi in depoſitarium dives, pleniſſime in eam contulerint omnia, quæ ſunt veritatis : ut omnis, quicunque velit, ſumat ex ea potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures ſunt, & latrones. Propter quod oportet devitare quidem illos, quæ autem ſunt eccleſiæ cum ſumma diligentia diligere, & apprehendere veritatis traditionem.

(*b*) „ Quid enim? (pergit) & ſi de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere eccleſias, in quibus apoſtoli converſati ſunt, & ab eis de præſenti ſumere quod certum & re liquidum eſt.

(*c*) „ Agnitio vera eſt (inquit *L. IV. c.* 33.) apoſtolorum doctrinà, & antiquus eccleſiæ ſtatus

autem pateat IRENÆUM non fiducia tantum ſtatus eccleſiæ ejus temporis adhuc illibati ita loqui, jam antea ſæpius docuit, doctrinæ veritatem eſſe certum epiſcopali ſucceſſioni divina providentia annexum chariſma, cui omnes teneantur deferre. (a)

in univerſo mundo, & character corporis „ Chriſti ſecundum ſucceſſionem epiſcoporum, „ quibus illi eam, quæ in uno quoque loco „ eſt, eccleſiam tradiderunt, quæ pervenit uſque „ ad nos cuſtoditione, ſine fictione ſcripturarum tractatio pleniſſima &c. „

(a) „ Quapropter (inquit *L. IV. c.* 26. *n.* 2.) „ eis, qui ſunt in eccleſia, presbyteris obaudire oportet, his, qui ſucceſſionem habent „ ab apoſtolis, ſicut oſtendimus, qui cum „ epiſcopatus ſucceſſione chariſma veritatis „ certum ſecundum placitum Patris acceperunt: reliquos vero, qui abſiſtunt a principali ſucceſſione, & quocunque loco colligunt, ſuſpectos habere, vel quaſi hæreticos, vel quaſi ſcindentes, & elatos, & ſibi „ placentes, aut rurſus ut hypocritas quæſtus „ gratia, & vanæ gloriæ hoc operantur. Omnes autem hi deciderunt a veritate. Et hæretici quidem alienum ignem afferentes ad „ altare DEI, id eſt, alienas doctrinas, a cœleſti igne comburentur .... qui vero exſurgunt contra veritatem, & alteros adhortantur adverſus eccleſiam DEI, remanent apud „ inferos. qui autem ſcindunt, & ſeparant „ unitatem eccleſiæ, eandem quam Hieroboam pœnam percipiunt a DEO. „

Novitas & variatio notæ hæreticorum, unitas & conſtantià veræ eccleſiæ ſecundum eundem.

VII. Opponit autem antiquitatem doctrinæ apoſtolorum & eccleſiarum, quas illi fundarunt, novitati hæreticorum, atque invictum inde ducit argumentum, divini Spiritus eorum non eſſe adinventiones (*a*). Hoc inde probat, quod ſint poſteriores epiſcopis iis, qui apoſtolis ſucceſſerunt (*b*). Inde colligit alteram hæreticorum notam ſeu ſtigma, variationem nimirum (*c*), *quam ſit inconſtans eorum ſententia, ut qui de iisdem non eadem dicant, verum & rebus & verbis pugnantia inter ſe pronuncient.* Opponit autem unitatem & conſtantiam eccleſiaſticæ doctrinæ ipſorum diverſitati, & variationibus (*d*). Vide ſuperius etiam jam

c.

d.

(*a*) „ Ante VALENTINUM enim (inquit S. IRENÆUS *L. III. c.* 4. *n.* 3.) non fuerunt, qui „ ſunt a VALENTINO, neque ante MARCIONEM erant, qui ſunt a MARCIONE, neque „ omnino erant reliqui ſenſus maligni, quos „ ſupra enumeravimus, antequam initiatores, „ & inventores perverſitatis eorum fierent. „

(*b*) „ Omnes enim ii (ait *L. V. c.* 20. *n.* 1.) „ valde poſteriores ſunt quam epiſcopi, quibus „ apoſtoli tradiderunt eccleſias: & hoc in „ tertio libro cum omni diligentia manifeſtavimus. „

(*c*) Idem L. I. c. 11. n. 1.

(*d*) „ Neceſſitatem ergo habent (inquit *L. V. c.* 20. *n.* 1.) prædicti hæretici, quoniam ſunt cæci „ ad veritatem, alteram & alteram ambulare

jam recitatum locum. Nunc coronidis loco, quæ deinceps in commendationem eccleſiæ, & reprobationem hæreticæ pravitatis, ac vanæ ſcientiæ affert, apponemus (*a*).

exorbitantes viam: & propter hoc inconſonanter, & inconſequenter diſperſa ſunt veſtigia doctrinæ ipſorum. Eorum autem, qui ab eccleſia ſunt, ſemita circumiens mundum univerſum. „

(*a*) „ Huic enim (pergit) creditum eſt lumen DEI, & propter hoc ſapientia DEI, (*Prov. I.* 20. 21.) per quam ſalvat omnes homines *in exitu canitur &c.* Ubique enim eccleſia prædicat veritatem, & hæc eſt ἑπτάμυξος lucerna Chriſti bajulans crucem. Qui vero relinquunt præconium eccleſiæ, imperitiam ſanctorum presbyterorum arguunt, non contemplantes, quanto pluris ſit idiota religioſus a blaſphemo & impudente ſophiſta. Tales autem ſunt omnes hæretici, & qui ſe plus aliquid præter veritatem invenire putant, ſequentes ea, quæ prædicta ſunt, varie & multiformiter, & imbecille facientes iter, de iisdem non ſemper easdem ſententias habentes, velut cæci a cæcis circumducuntur, ſemper quærentes, & nunquam verum invenientes. Fugere igitur oportet ſententias eorum, & intentius obſervare, necubi vexemur ab ipſis: fugere autem ad eccleſiam, & in ejus ſinu educari, & dominicis ſcripturis enutriri. „

CAPUT VII.

Ex Tertulliani libro de præſcriptionibus demonſtratur veræ eccleſiæ legitima poſſeſſio contra Novatores.

I.

Tertulliani liber de præſcriptionibus hæreticorum laudatur ad præſens inſtitutum.

Paria ſententiis S. Irenæi de auctoritate apoſtolicarum eccleſiarum cum paſſim apud Patres primorum eccleſiæ ſæculorum reperiantur: nos tamen eos tantum adducimus, qui hanc materiam ſtudioſe, copioſeque ex profeſſo pertractarunt, ut digitum fonti intendamus, unde plura peti poſſint. Horum ex cenſu jure collocandus aureus ille, & nunquam ſatis legendus Tertulliani de præſcriptionibus contra hæreſes libellus, quem Theologi diu noctuque verſare debeant. Is totus in eo eſt, ut, qua ratione vera eccleſia ab hæreticorum conventiculis, veraque evangelica doctrina ab eorum falſitatibus ſit dignoſcenda, edoceat, tam egregie, ut *Richardus* Simonius perhibeat, ſe complures, titubantes hujus libelli lectione in vera confirmaſſe eccleſia, aberrantes autem ad eam reduxiſſe.

Is a Tertull. *contra hæ-*

II. Variæ hæreticorum ſectæ tum novæ tum antiquæ Tertullianum ad hanc

hanc pertractandam materiam induxerunt: licet vero certa figi nequeat epocha, quo ſcriptus ſit iſte libellus, pro certo tamen affirmari poteſt, exaratum eſſe ab auctore, antequam eccleſiæ deſereret fidem. Nunquam enim de falſo ſuo paracleto ingerit mentionem: ac gloriatur ſe in communione eccleſiarum apoſtolicarum eſſe, etiam Romanæ, quam mirificis elogiis mactat. Quod certe poſt lapſum ſuum haud feciſſet, qui orginem ſumſit ex æmulatione ſimultateque cum eccleſiæ Romanæ clero. Quid? quod credibile haud ſit eum ſchiſmaticum conſcripſiſſe opus, quod tam invicte omnia hæreſum ac ſchiſmatum deſtruit monſtra.

reſes elucubratus, dum adhuc integræ fidei erat.

III. Quod autem TERTULLIANUS hic maxime agit, in eo ſiſtit, ut relicta dogmatum diſcuſſione, ſolam opponat vetuſtatis & auctoritatis præſcriptionem contra quoscunque errores, mutato a juriſconſultis præſcriptionis termino: dum in negotiis & actionibus, quin ad controverſiæ diſcuſſionem intimam procedatur, præjudicio quodam poſſeſſionis, aut temporis cauſam tuemur: eſtque exceptio removens actionem, & poſſeſſoris ſecuritati conſulens.

Præſcriptio veritatis etiam ſine diſcuſſione dogmatum juxta TERTUL.

IV. Non uno autem ex capite TER-

Varii tituli hujus præſcriptionis.

a. TULLIANUS(*a*) ſic adverſus hæreſes omnes præſcribit. Ac primum eos audiendos eſſe non vult tanquam auctores contra eccleſiam catholicam, ſed exceptione inimicitiæ, & adverſæ partis ab omni actione & lite conteſtanda eſſe removendos (*b*). Excipit etiam tanquam contra ignaros, incompetentes, & incertos ob varietatem doctrinæ ſuæ arbitros, qui ſemper quærant, nunquam firmiter credant, aut diſquirendi finem faciant (*c*). Excipit porro, quod ad diſputationem

b.

c.

(*a*) Videant. FF. Wallenb. de præſcript. cathol.

(*b*) „ Nobis (inquit TERTULL. de præſcript. *c. XII.*) etſi quærendum eſſet adhuc & ſemper, ubi tamem quæri oportet ? ubi omnia extranea & adverſaria noſtræ veritati ? ad quos vetamur accedere. Urget etiam quod expulſi ſint ab eccleſia. Nam (inquit) conſtat illos neque adeo olim fuiſſe, ANTONINI fere principatu, & in catholicam primo doctrinam credidiſſe apud eccleſiam Romanenſem, donec ſub epiſcopatu *Eleutherii* BENEDICTI, ob inquietam ſemper eorum curioſitatem, qua fratres quoque vitiabant, ſemel & iterum ejecti.

(*c*) „ In tantum (inquit) quærere debemus, in quantum poſſumus invenire: ſemper quæremus, & nunquam omnino credemus: ubi enim erit finis quærendi ? ubi ſtatio credendi, ubi expunctio inveniendi ? apud MARCIONEM ? ſed & VALENTINUS proponit, quærite & invenietis: apud VALENTINUM ? ſed & APELLES hac me pronunciatione pulſabit: & EBION, & SIMON, & omnes ex ordine.

nem ſcripturæ non ſint admittendi. (*a*) a.
Deinde quod apoſtolus fugiendos jubeat hæreticos non cum illis diſputandum, monet. (*b*) Demum præſcribit quod congreſſio ſcripturarum non poſſit aliquid proficere, eoquod omnes noſtras non recipiant ſcripturas. (*c*) b. c.

V. Maxime urget præſcriptionem a poſſeſſione, & vetuſtate. Cum autem præſcriptio pro vitio actoris ſumatur, ut oſtendatur ei actionem non competere, hoc primum eſt ac principale, quod urget, hæreticos poſt apoſtolos prædicatio- Præcipuus titulus poſſeſſio inde ab apoſtolis, & vetuſtas juxta Tertull.

(*a*) „ Hunc igitur (ait idem *c. XV.*) potiſſimum „ gradum obſtruimus non admittendos eos „ ad ullam de ſcripturis diſputationem: ſi „ hæ ſunt vires eorum, anne eas habere poſſint, „ diſpici debet, cui competat poſſeſſio „ ſcripturarum, ne is admittatur ad eas, cui „ nullo modo competit. „

(*b*) „ Quod (inquit *c. XVI.*) fides noſtra „ obſequium apoſtolo debeat, prohibenti quæſtiones „ inire, novis vocibus aures accommodare, „ hæreticum poſt unam correptionem „ convenire, non poſt diſputationem. „

(*c*) „ Iſta (inquit *c. XVII.*) hæreſis non recipit „ quaſdam ſcripturas: & ſi quas recipit „ adiectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem „ inſtituti ſui invertit: & ſi recipit „ non recipit integras: & ſi aliquatenus integras „ præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones „ commentata convertit. Tantum „ veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum „ & corruptor ſtylus. „

cationem evangelii, explicationemque ac aſſertionem veritatis catholicæ propria auctoritate uſurpare haud potuiſſe ſine legitima miſſione ac ordinatione. *Cupio* (inquit *c.* 30.) *oſtendant mihi qua auctoritate prodierint.* Et mox: *probent ſe novos apoſtolos eſſe: dicant Chriſtum iterum deſcendiſſe, iterum ipſum docuiſſe &c. Sic enim apoſtolos ſolet facere, dare illis præterea virtutem eadem ſigna edendi &c.* Tum qualem intelligat poſſeſſionem ac vetuſtatem urget (*a*). Eas vero eccleſias

(*a*) „Hanc igitur (inquit *c.* 21.) dirigimus præ„ſcriptionem: Si Dominus JESUS Chriſtus „apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non „eſſe prædicatores, quam quos Chriſtus in„ſtituit, quia nec alius Patrem novit niſi Fi„lius, nec aliis videtur revelaſſe Filius quam „apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, uti„que quod illis revelavit. Quid autem præ„dicaverint, id eſt, quid Chriſtus illis re„velaverit, & hic præſcribam non aliter „probari debere, niſi per easdem eccleſias, „quas ipſi apoſtoli condiderunt, ipſi eis præ„dicando tam viva, quod ajunt, voce, quam „per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, con„ſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum „illis eccleſiis apoſtolicis matricibus, & ori„ginalibus fidei conſpiret, veritati deputan„dam, id ſine dubio tenentem, quod ec„cleſia ab apoſtolis, apoſtoli a Chriſto, Chri„ſtus a DEO ſuſcepit. Reliquam vero o„mnem doctrinam de mendacio præjudican„dam, quæ ſapiat contra veritatem eccle-

ſias, quæ ab apoſtolis fundatæ non ſunt, ſed poſterioribus temporibus conſtitutæ, communione cum apoſtolicis ſtabiliri declarat. (*a*) a.

Uſus huj* præſcriptionis contra Novatores.

VI. Qui controverſias ex Catholicis contra Proteſtantes pertractant & ipſi, quamvis ſingularum materiarum diſcuſſionem non detrectent, tamen jure hoc præſcriptionis utendum ſibi ducunt, atque excipere contra eos ſolent tanquam contra illegitimos actores, inimicos, projectos, & excommunicatos, qui inter ſeipſos diſcrepantes oſtendunt ſe cauſæ ignaros, nec ſatis demonſtrant cuinam ex partibus & factionibus veritas competit, an potius a Lutheranis vel Calviniſtis accipienda, qui inſtrumenta truncarint, nec vel authentice habere, aut explicare, interpretarique queant: ac denique legitima auctoritate ipſi deſtituantur, contra veterem poſſeſſionem, vel vetuſtatem noviſſime ſe erigentes,

tamdiu

ſiarum, & apoſtolorum, & Chriſti, & „ DEI &c. „

(*a*) „ Ad hanc (idem inquit *c.* 33.) formam „ provocabuntur ab illis eccleſiis, quæ licet „ nullum ex apoſtolis, vel apoſtolicis aucto- „ rem ſuum proferant, ut multo poſteriores, „ quæ denique quotidie inſtituuntur: tamen „

tamdiu dogmata, ſunt verba FF. Wal-
a. lenburgicorum (*a*), *religionis chriſtianæ ſunt certa, & credenda fide divina, quamdiu conſtat eſſe vere antiqua, & juxta præſcriptionem Tertulliani, ab apoſtolis deſcendentia, quæ, cum Catholici a majoribus ſuis ſeſe accepiſſe demonſtrent, non eſt, quod vereantur, ne, qui negant, aut præſumunt, ſecus contrarium evincant, quoniam hæretici ad formam Tertulliani provocati, id præſtare nunquam potuerunt, poſſunt, aut poterunt &c.*

Quorum exceptiones contra hanc præſcritionem confutantur.

VII. Reponunt quidem 1*mo*. non eſſe præſcriptione agendum, ſed veritate: 2*do*. nec in re theologica juridicam debere locum labere præſcriptionem: 3*tio*. præſcriptionem ſic etiam gentiles ac Phariſæos urgere poſſe, & quæ ſunt aliæ HULSEMANNI, DANNHAWERI, BEBELII, SIRICII, *Frid.* SPANHEMII objectiones, quibus jam abunde ab aliis tum nominatim FF. Wallenburgicis eſt ſatisfactum. Ac primum quidem quod ſpectat, non hic agitur de præſcriptione contra veritatem, ſed pro ipſa veritate, quæ juxta evangelicam formam, atque eccleſiæ inſtitutionem tunc poſſidetur, quando

» in eadem fide conſpirantes non minus apo-
» ſtolicæ deputantur pro conſanguinitate do-
» ctrinæ.

(*a*) De Præſcript. cathol. P. II. c. 4. §. 3.

quando a primis apoſtolorum temporibus ita per legitimam poſſeſſionem, & vetuſtatis præſcriptionem ſeſe tuetur contra Novatores, qui nulla legitima auctoritate inſtructi, imo manifeſtis vitiis, quibus ab actione impediantur, notati, novas docent ac moliuntur res. Unde errores, per præſcriptionem talem evicta ipſa veritate, revincuntur, a qua per novitatem, & defectus alios deprehenduntur receſſiſſe. Et quemadmodum veritas, quæ æterna eſt, æternam præſcriptionem recte patitur; ita veritates, in evangelio revelatæ, & ab apoſtolis patefactæ, rite præſcribuntur ab illis, quibus hæ veritates ut depoſitariis, ac legitimis poſſeſſoribus fuerunt commiſſæ. Neque hæc eſt præſcriptio juridica, niſi quatenus eccleſiæ jus, & auctoritas ea conſervatur hoc modo, quam legitime a Chriſto & apoſtolis accepit, & ſemper conſervavit: uti vel ea teſtimonia oſtendunt, quæ laudavimus, laudabimusque pro demonſtranda vera eccleſia, ac illius auctoritate in veritatibus catholicis. Quam præſcriptionem gentiles & Phariſæi pro ſe non habebant; cum priores pro ſe nullam auctoritatem, contra ſe autem veritates manifeſtas pugnantes haberent; alteri autem poſſeſſione etiam quam habebant, legitime eſſent dejecti

a Chri-

a Chriſto & apoſtolis: qui apertis ſignis ſe a DEO eſſe, agereque ac innovare novo conſtituto teſtamento, ac veteri abolito, demonſtrabant: quod ſi reformatores fecerint, novitates eorum non detrectabimus; hoc autem juxta TERTULLIANI præſcriptionis formam jure ab illis flagitamus.

Præſcriptionem veritatis facere eccleſiæ oſtenſionem.

VIII. Nimirum hæc eſt conſtitutæ a Chriſto eccleſiæ ratio & prærogativa, ut quæ concredita accepit eloquia DEI, eorum ſit diſpenſatrix & tutrix, *ideoque non inquirendum*, ut Noſter loquitur, (a) *cum id inveneris & credideris, quod ab eo inſtitutum eſt, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod inſtituit, de hoc quidem ſi quis dubitat, conſtabit penes nos eſſe id quod a Chriſto inſtitutum eſt.* Nihil ſcilicet aliud ad demonſtrationem veritatis flagitat, quam oſtenſionem eccleſiæ.

b. *Supereſt ergo*, ait, (b) *ut demonſtremus, an hæc noſtra doctrina . . . de apoſtolorum traditione cenſeatur, & ex hoc ipſo, an cætera de mendacio.* Audin' reſponſum, ac præjudicium, præſcriptionemque veritatis: Communicamus cum eccleſiis apoſtolicis, quod nulla doctrina diverſa, hoc eſt teſtimonium veritatis.

IX. Poſt-

(a) TERTULL. de Præſcript. c. 9.
(b) Idem. c. 21.

IX. Poſtea exceptioni occurrens, rem magis confirmat in unitate ac communione eccleſiarum veritatem eſſe (*a*): eumque unam eccleſiam fieri per communionem pacis declarat, hanc unitatem & communionem dicit veram oſtendere doctrinam, cum conſtans omnium conſenſus error eſſe non poſſit.

Præſertim eccleſiarū conſenſus catholic⁹.

 X. Qui

(*a*) ,, Videamus (inquit *c.* 27.) ne forte apoſtoli ,, quidem ſimpliciter & plene, eccleſiæ autem ,, ſuo vitio aliter acceperint; quam apoſtoli ,, proferebant. Omnia iſta ſcrupuloſitatis in- ,, citamenta invenias prætendi ab hæreticis. ,, Tenent increpatas ab apoſtolo eccleſias. *O* ,, *inſenſati Galatæ, quis vos faſcinavit &c.* ,, Cum correptas eccleſias opponunt, credant ,, emendatas. Sed & illas recognoſcant, ,, (*Rom. I. & XV. Eph. I. Philip. I.*) de ,, quarum fide & ſcientia, & converſatione ,, apoſtolus gaudet, & DEO gratias agit: ,, quæ tamen hodie cum illis correptis unius ,, inſtitutionis jura commiſcent. Et (*c.* 28.) age ,, nunc omnes erraverint, & apoſtolus de teſti- ,, monio reddendo quibusdam: nullam reſpe- ,, xerit Spiritus ſanctus . . . neglexerit officium ,, DEI villicus, Chriſti vicarius, ſinens ec- ,, cleſias aliter interim intelligere, aliter cre- ,, dere, quam ipſe per apoſtolos prædica- ,, bat. Ecquid veriſimile eſt, ut tot ac tan- ,, tæ in unam fidem erraverint? Nullus in- ,, ter multos eventus eſt unus exitus, variaſ- ,, ſe debuerat error doctrinæ eccleſiarum. ,, Ceterum quod apud multos unum invenitur ,, non eſt erratum, ſed traditum. Studeat ,, ergo aliquis dicere illos erraſſe, qui tradi- ,, derunt? ,,

Hæreticorum notæ & characteres juxta TERTULL.

X. Qui ſine præjudicio hæc expendit, facile ejusmodi deſcriptionem, demonſtrationem eccleſiæ cum præſcriptione veræ doctrinæ ac religionis agnoſcet, qualem una ſancta, catholica, & apoſtolica conſervat eccleſia. Nunc etiam ex deſcriptione conventuum, acſocietatum hæreticarum quædam excerpemus, ut æquus lector judicet, an non hodie conventibus eorum, qui eccleſiam deſeruerunt, conveniant notæ
a. ejusmodi (*a*).

CAP. VIII.

(*a*) „ Imprimis (inquit TERTULL. de Præſcript. „ *c.* 41.42.43.) quis catechumenus, quis fidelis „ incertum eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant: etiam ethnici, ſi ſupervenerint, Sanctum canibus, & porcis „ margaritas, licet non veras jactabunt, ſimplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, cujus penes nos curam lenocinium vocant: pacem quoque paſſim cum omnibus „ miſcent. Nihil enim intereſt illis, licet diverſa tractantibus, dum ad unius veritatis „ expugnationem conſpirent. Omnes tument, „ omnes ſcientiam pollicentur. Ante ſunt „ perfecti catechumeni, quam edocti. Ipſæ „ mulieres hæreticæ quam procaces, quæ audeant docere, contendere, exorciſmos agere, curationes repromittere, forſitan & „ tingere. Ordinationes eorum temerariæ, „ leves inconſtantes: nunc Neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, ut gloria eos obligent, quia veritate non poſſunt. Nusquam facilius pro-

CAPUT VIII.

S. Cypriani de tenenda unitate eccleſiæ catholicæ ac apoſtolicæ contra hæreſes & ſchiſmata, doctrina.

I.

TERTULLIANO ſuccedat CYPRIANUS, magiſtro diſcipulus, quamvis longe felicior, qui & ipſe in hac de vera eccleſia materia ita verſatus eſt, ut eam usque ad finem vitæ, quem glorioſo mar- Dd 2 tyrio

S. CYPR. ſtudium pacis & unitatis eccleſiæ.

„ ficitur, quam in caſtris rebellium, ubi ipſum
„ eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie
„ epiſcopus, cras alius; hodie diaconus, qui
„ cras lector; hodie presbyter, qui cras laicus;
„ nam & laicis ſacerdotalia munera injungunt.
„ De verbi autem adminiſtratione quid dicam,
„ cum hoc ſit negotium illis, non ethnicos
„ convertendi, ſed noſtros evertendi... quo-
„ niam & ipſum opus eorum non de ſuo pro-
„ prio ædificio venit, ſed de veritatis deſtru-
„ ctione... Ceterum nec ſuis præſidibus re-
„ verentiam noverunt. Et hoc eſt, quod
„ ſchiſmata apud hæreticos vere non ſunt, quia
„ cum ſint, non parent ſchiſmata, eſt enim u-
„ nitas ipſa. Mentior ſi non etiam a ſuis re-
„ gulis variant inter ſe, dum unusquisque
„ proinde ſuo arbitrio modulatur, quæ accepit,
„ quemadmodum de ſuo arbitrio ea compo-
„ ſuit ille, qui tradidit. Agnoſcit naturam
„ ſuam, & originis ſuæ morem, profectus
„ rei. Idem licuit Valentinianis, quod VA-

tyrio coronavit, conſervavit. Neque vero antiquius is aliquid unitate eccleſiaſtica habuit, quam nec in errore ſuo deſeruit, & præſertim contra ſchiſma Novatianum, in eccleſia Romana caput erigens, plurimis ſcriptis epiſtolis aſſeruit, atque ſingulari etiam de unitate eccleſiæ contra ſchiſmatis duplicitatem, & hæreſis perverſitatem libro edito: ubi totus

in-

„ LENTINO, idem Marcionitis quod Marcio-
„ ni de arbitrio ſuo fidem innovare. Denique
„ penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis
„ cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehen-
„ duntur, plerique nec eccleſias habent, ſine
„ matre, ſine ſede, orba fide extorres, quaſi
„ ſibi, late vagantur. Notata ſunt etiam com-
„ mercia hæreticorum cum magis quamplu-
„ ribus, cum circulatoribus, cum aſtrologis,
„ cum philoſophis, curioſitati ſcilicet deditis.
„ Quærite & invenietis, ubique meminerunt.
„ Adeo & de genere converſationis qualitas fi-
„ dei æſtimari poteſt: doctrinæ index diſci-
„ plina eſt. Negant DEUM timendum: ita-
„ que libera ſunt illis omnia & ſoluta: ubi
„ autem DEUS non timetur, niſi ubi non eſt?
„ Ubi DEUS non eſt, nec veritas ulla eſt:
„ ubi veritas nulla eſt, merito & talis diſci-
„ plina eſt. At ubi DEUS, ibi metus in
„ DEUM, qui eſt initium ſapientiæ: ubi me-
„ tus in DEUM: ibi gravitas honeſta, & di-
„ ligentia attonita, & cura ſolicita, & adle-
„ ctio explorata, & communicatio delibera-
„ ta, & promotio emerita, & ſubjectio reli-
„ gioſa, & apparitio devota, & proceſſio
„ modeſta, & eccleſia unita, & DEI omnia.

in id incumbit, ut contra omnia hujusmodi maligni ſpiritus inventa, quibus, ut ibi loquitur S. Pater, ſubverteret fidem, veritatem corrumperet, ſcinderet unitatem, compendium hoc, & tutiſſimum aſylum eccleſiæ aberrantibus commonſtret, ac indicet.

II. Unicam cauſam omnis ſtatuit fallaciæ, omnium errorum, ac hæreſum, ſi hæc de unitate eccleſiæ non teneatur veritas (*a*). Tunc aggreditur ſuam de unitate & auctoritate eccleſiæ demonſtrationem. *Hanc*, inquit inter alia, *unitatem qui non tenet, DEI legem non tenet, non tenet Patris, & Filii fidem, vitam non tenet, & ſalutem.* Atque hanc quidem unitatem perpetuo eccleſiæ adhæſuram ſemper inculcat (*b*).

Eccleſiæ unitas contra hæreſes & ſchiſmata omnia tutum præſidium, & præjudicium.

b.

(*a*) „Hoc (de unitate eccleſiæ inquit) fit fratres dilectiſſimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec Magiſtri cœleſtis doctrina ſervatur. Quæ ſi quis conſideret, & examinet, tractatu longo opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. „

(*b*) „Adulterari (inquit) non poteſt ſponſa Chriſti, incorrupta eſt & pudica. Unam domum novit, unius cubiculi ſanctitatem caſto pudore cuſtodit. Hæc nos DEO ſervat, hæc filios regno, quos regeneravit, aſſignat. Quisquis ab eccleſia ſegregatus adulteræ jungitur, a promiſſis eccleſiæ ſeparatur, nec perveniet ad Chriſti præmia, qui relinquit eccle- „

S. Pater non ſingularium eccleſiarum, ſed unius catholicæ eccleſiæ unitatem aſtruit.

III. Hanc autem unitatem non ſingularium eccleſiarum eſſe, ut nuper Dodwellus evincere voluit, ſed unius illius catholicæ, quæ omnes ambitu ſuo per terrarum orbem eccleſias particulares complectitur, invicte demonſtrant ſcripta S. Patris: *Epiſcopatus*, inquit, laudato de unitate eccleſiæ libro, *unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur.* En unum epiſcopatum agnoſcit omnium per eccleſiam epiſcoporum, ac deinceps unam etiam eccleſiam ita adumbrat, ut non a. potuerit (*a*) vivis magis coloribus unitatem

„ ſiam Chriſti, alienus eſt, profanus eſt, hoſtis „ eſt. Habere jam non poteſt DEUM Patrem, qui eccleſiam non habet matrem. „ (Et poſt alia non minus gravia) Quis ergo „ ſic eſt ſceleratus & perfidus, quis ſic diſcordiæ furore veſanus, ut aut credat ſcindi „ poſſe, aut audeat ſcindere unitatem DEI, „ veſtem Domini, eccleſiam Chriſti.„ Sed non eſt opus de hac re afferre ex Cypriano teſtimonia, cum omnis pagina lecta præbeat, præter ſingularem etiam hunc de unitate eccleſiæ libellum.

(*a*) Sic vero pergit: „ Eccleſia quoque una eſt, „ quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo ſolis multi „ radii, ſed lumen unum, & rami arboris „ multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum, & cum de fonte uno rivi plurimi „ defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur „ exundantis copiæ largitate, unitas tamen „ ſervatur in origine. Avelle radium ſolis,

tatem diſperſæ undique eccleſiæ exprimere, nec evidentius manifeſtam reddere eccleſiæ univerſalis notionem ſuo ſemper obverſantem animo.

IV. Sed nihil eſt, quod aut frequentius, ac apertius proloquatur, quam principium hujus unitatis, communionem nimirum cum epiſcopis tanquam centro unitatis, extra quod fruſtra quis de unitate & communione eccleſiæ glorietur (*a*). Antea eodem loco hanc nobis dedit eccleſiæ deſcriptionem : *Illi* — Centrum unitatis juxta S. Cypr. epiſcopalis comunio. — a.

D d 4 *ſunt*

ab arbore frange ramum, fractus germinare » non poterit : a fonte præcide rivum, præ- » ciſus areſcit. Sic & eccleſia Domini luce » perfuſa per orbem totum radios ſuos porri- » git, unum tamen lumen eſt, quod ubique » diffunditur. Ramos ſuos in univerſam ter- » ram copia ubertatis extendit, profluentes » largiter rivos latius expandit, unum tamen » caput eſt, & origo una, & una mater fœ- » cunditatis ſucceſſibus copioſa. Illius fœtu » naſcimur, illius lacte nutrimur, Spiritu ejus » animamur. »

(*a*) „ Unde ſcire debes (inquit *Ep.* 66.) epi- » ſcopum in eccleſia eſſe, & eccleſiam in » epiſcopo, &, ſi qui cum epiſcopo non ſint, » in eccleſia non eſſe &c. fruſtra ſibi blan- » diri eos, qui pacem cum ſacerdotibus DEI » non habentes obrepunt, & latenter apud » quosdam communicare ſe credunt, quan- » do eccleſia, quæ catholica eſt, ſciſſa non » ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa, » & cohærentium ſibi invicem ſacerdotum » glutino copulata. »

ſunt eccleſia plebs ſacerdoti adunata, & paſtori ſuo grex adhærens. Libro de unitate eccleſiæ allato Apoſtoli *Eph. IV.* teſtimonio *Unum corpus &c.* ſic loquitur: *quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus maxime epiſcopi, qui in eccleſia præſidemus, ut epiſcopatum quoque ipſum unum, atque indiviſum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida prævaricatione corrumpat.* Vide ipſum S. Doctorem magna facundia præſens argumentum pertractantem. Omnia etiam, quæ ad hanc ſpectant cauſam complexus eſt alio loco (*a*), quem proin omittere piaculum ſit. Percontanti enim ANTONINO epiſcopo, quid ſibi agendum in communionis negotio ob NOVATIANUM Pontificem ſeſe efferentem contra CORNELIUM legitime in Pontificatum Romanum evectum (*b*) tria attingit momenta S. Martyr

(*a*) L. IV. Ep. I. f. 84. Ed. Man.

(*b*) „ Accepi litteras tuas (exorditur CYPRIANUS epiſtolam ſuam) concordiam collegii „ ſacerdotalis firmiter obtinentes, quibus ſignificaſti cum Novatiano te non communicare, ſed ſequi conſilium noſtrum, & cum „ CORNELIO coepiſcopo noſtro unum tenere „ conſenſum. Scripſiſti etiam, ut exemplum earundem litterarum ad CORNELIUM collegam „ noſtrum transmitterem, ut depoſita omni „ ſolicitudine jam ſciret te ſecum, hoc eſt, „ cum catholica eccleſia communicare &c.

tyr communionem nempe, conſenſum, atque concordiam collegii ſacerdotalis. Itemque rationem illam, qua communio iſta fovebatur, conſervabaturque eo temporis per litteras, quas etiam formatas vocabant: denique haud obſcure hujus communionis vim declarat cum CORNELIO initæ: ſic enim jungi eſſe cum catholica eccleſia communicare.

Et legitima ſucceſſio apoſtolica adverſus ſeſe obtrudentes ſchiſmaticos.

V. Ut vero pateat eſſe epiſcopum, non continuo eccleſiæ veræ præbere indicium, ſed apoſtolicam requiri ſucceſſionis originem, interjectis quibusdam in eadem ad ANTONINUM epiſtola, de CORNELIO vero Romanæ ſedis epiſcopo legitimo apoſtolorum ſucceſſore præſcribit (a). Tum poſt multa in eandem rem diſceptata NOVATIANI vanitatem, & eccleſiæ in epiſcopo Romano a.

(a) „ Factus eſt autem CORNELIUS epiſcopus de „ DEI & Chriſti ejus judicio . . . cum nemo „ ante ſe factus eſſet, cum FABIANI locus, „ id eſt, cum locus PETRI, & gradus cathedræ „ ſacerdotalis vacaret, quo occupato de DEI „ voluntate, atque omnium noſtrum con- „ ſenſione firmato, quisquis jam epiſcopus „ fieri voluerit, foris fiat neceſſe eſt, nec „ habeat eccleſiaſticam ordinationem, qui „ eccleſiæ non tenet unitatem . . . & cum „ poſt primum ſecundus eſſe non poſſit, quis- „ quis poſt unum, qui ſolus eſſe debeat, „ factus eſt non jam ſecundus ille, ſed nul- „ lus eſt. „

Cornelio firmitatem per totum orbem diffuſam conjunctionem deſcribit
a. (a): univerſim vero de ſucceſſionis ac ordinationis epiſcopalis robore *Epiſt.* 33.
b. in eandem ſententiam ſcribit (b): epiſcopumque Antoninum de vera, inter ſchiſmatis diviſionem, inſtruit eccleſia: oſtenſa unitate communicationis membrorum, & animorum vinculo copulata, cathedræ item non interrupta ſucceſſione, & legitima occupatione propagatione que catholico orbi, & præcipuo epiſcoporum ordini ſociata, tum concludit: *qui ergo nec unitatem Spiritus, nec conjunctionem pacis obſervat, & ab eccleſiæ vinculo,* *atque*

(a) „ Quisquis ille eſt, & qualiscunque eſt, „ (inquit) chriſtianus non eſt, qui in Chriſti „ eccleſia non eſt . . . niſi, ſi epiſcopus tibi „ videtur, qui epiſcopo in eccleſia a ſedecim coepiſcopis facto, adulter, atque extraneus epiſcopus fieri a deſertoribus per „ ambitum nititur, & cum ſit a Chriſto una „ eccleſia per totum mundum in multa membra diffuſa: item epiſcopatus unus, epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, ille poſt DEI traditionem, poſt connexam, & ubique conjunctam catholicæ eccleſiæ unitatem humanam conetur facere „ eccleſiam &c.

(b) „ Inde per temporum & ſucceſſionum vices, „ epiſcoporum ordinatio & eccleſiæ ratio decurrit, ut eccleſia ſuper epiſcopos conſtituatur, & omnis actus eccleſiæ per eosdem „ præpoſitos gubernetur:

atque a ſacerdotum collegio ſeparat, epiſcopi nec poteſtatem habere poteſt, nec honorem, qui epiſcopatus nec unitatem voluit tenere nec pacem. Hæc legant qui contra unitatem ſchiſma, contra epiſcopatum apoſtolicum rebellionem, contra orbis catholici amplitudinem hæretica caſtra erigunt.

CAPUT IX.

Notio, ac notæ veræ eccleſiæ adverſus falſas quasvis a S. Optato Milevitano expoſita.

I.

S. Optati Milevitani ſtudium in demonſtranda eccleſia.

Poſteaquam ſemel perfungi cœpimus eo labore recenſendi, qui deſtinato conſilio certas eccleſiæ notas & auctoritatis teſſeram contra hæreticorum & ſchiſmaticorum poſtulationes conſtituerunt, neque jam æquum ſit eo ſuperſedere, quam longe etiam ſe protrahat oratio; proxime Tertulliano ac Cypriano adjungam gentilem Optatum Milevitanum contra ſchiſma Donatiſtarum calamum ſtringentem, atque eccleſiæ catholicæ dignitatem ac jura tuentem, quam ille mirifice extollit ceu electum a DEO montem Sion: *In quo monte*, inquit,

a. quia [illegible] a *DEO Patre Filius DEI regem ſe conſtitutum eſſe gratulatur in Pſalmo I. dicens*: Quoniam regem conſtituit me ſuper Sion montem ſanctum ſuum: *unique ſuper eccleſiam cujus rex, & ſponſus, & caput eſt.* Toto autem ſuo contra Donatiſtas opere ſtudioſe agit, ut eam perſpicue oculis omnium exponat, & demonſtret. *Dicendum eſt*, inquit libro primo non procul ab initio, *quæ, vel ubi ſit una eccleſia, quæ eſt, quia præter unam altera non eſt.*

Unius nimirum catholicæ contra hæreſes ac ſchiſmata.

II. Et quoniam contra ſchiſmaticos agit, qui ſimul nobiſcum agnoſcebant veram apud hæreticos non eſſe eccleſiam; attamen quæ & ubi ſit vera eccleſia nolebant intelligere, hoc primum ſatagit, ut unam eſſe veram eccleſiam oſtendat (*b*).

b. Schiſma præſertim Donatiſta.

III. Et cum de ſanctitate eccleſiæ inter ipſos conveniret, imo Donatiſtæ ſcrupulo-

(*a*) S. Opt. Mil. L. III, contra Donatiſtas.

(*b*) „ Excluſis hæreticis (ait *L. I.*) unam dixiſti „ eſſe eccleſiam: ſed eam, ubi ſit, agnoſcere „ noluiſti. (Et poſtea) Scimus hæreticorum „ eccleſias ſingulorum proſtitutas nullis legalibus Sacramentis, & ſine jure honeſti matrimonii eſſe, quas non neceſſarias recuſat „ Chriſtus, qui eſt ſponſus unius eccleſiæ: „ ſicut in Canticis canticorum ipſe teſtatur: „ qui cum unam laudat, ceteras damnat, quia „ præter unam, quæ eſt vera catholica, ceteræ „ apud hæreticos putantur eſſe, ſed non ſunt.

puloſiores eſſent in puritate hujuſce columbæ, ac Christi ſponſæ conſtituenda, demonſtrandum erat, nec apud ſchiſmaticos eſſe eccleſiam, eos etiam, qui ſe neſcio cujus ſanctitatis ſingularis cauſa extollebant, ac ſuperbiebant, non ſatis gnari veræ hujus ſponſæ Christi ſanctitatis. Ea de re ſecundo agit loco (a). Donatiſtæ contendebant apoſtataſſe atque evanuiſſe ex orbe terrarum eccleſiam, & apud ſe ſolos perſtitiſſe: cæteros crimine traditionis infectos, corruptos, & impuros evaſiſſe, quodque cum traditoribus communionem habuerint, eccleſiæ jure excidiſſe, atque apud ſe ſolos eccleſiam, eccleſiæque ſacramenta perſtitiſſe: quæ putabant vim ſuam a ſanctitate perſonarum a qui-

rum. contra quod genuinas ſanctitatis notas exponit.

a.

(a) ,, Illud demonſtrare (inquit idem de ſchiſ. DONAT. *L. II. c.* 1. *ſ.* 28. Ed. Amſt. &c.) jam proximum eſt, quod nos promiſimus ſecundo loco eſſe dicturos, quæ ſit una eccleſia, quam columbam ſuam, & ſponſam Chriſtus appellat. Ergo eccleſia una eſt, cujus ſanctitas de ſacramentis colligitur, non de ſuperbia perſonarum ponderatur: ergo hanc unam columbam, & dilectam ſponſam ſuam Chriſtus appellat. Hæc apud omnes hæreticos & ſchiſmaticos eſſe non poteſt, reſtat ut uno loco ſit. Eam tu Frater PARMINIANE apud vos ſolos eſſe dixiſti, niſi forte, quia vobis ſpecialem ſanctitatem de ſuperbia vindicare contenditis, ut ubi vultis, ibi ſit eccleſia, & non ſit ubi non vultis. ,,

a quibus conferantur, habere, econtra docet cum catholicis, Optatus, eccleſiam ſanctitatem ſuam non ex ſuperbia perſonarum repetere, ſed per ſacramenta nanciſci, quæ ſanctos efficiunt fideles. Docet etiam & declarat alia capita, ob quæ eccleſia ſancta dicatur, arguitque Parmenianum quod vera ſanctitatis dona eccleſiæ reticuerit ob perverſam ſuam de ſola perſonarum
a. ſanctitate perſuaſionem (*a*).

IV. Ulte-

(*a*) ,, Jam (inquit Opt. *L. II. n.* 10. *Ed. Antw.*
,, *Dupinii p.* 38.) illud mihi volo reſpon-
,, deas, cur de ſolis eccleſiæ dotibus loqui
,, voluiſti, & de ſanctis ejus membris, ac vi-
,, ſceribus tacuiſti, quæ ſunt procul dubio in
,, ſacramentis, & in nominibus Trinitatis.
,, Cui concurrit fides credentium, & pro-
,, feſſio, quæ apud acta conficitur angelo-
,, rum, ubi miſcentur cœleſtia, & ſpiritualia
,, ſemina, ut ſancto germine nova poſſit re-
,, naſcentium indoles procreari: ut dum Tri-
,, nitas cum fide concordat, qui natus fue-
,, rat ſæculo, renaſcatur ſpiritaliter DEO, ſic
,, fit hominum Pater DEUS, ſancta ſic fit ma-
,, ter eccleſia. Hæc omnia intelligo a te id-
,, eo non eſſe nominata, ne in iis omnibus
,, ratio baptiſmatis agnoſceretur: ubi nihil ſibi
,, operarius, qui homo eſt, vindicet, quod
,, vos facitis. Ideoque ad ſolas dotes te con-
,, ferre voluiſti, quas velut manu apprehen-
,, ſas, aut arca concluſas, Catholicis dene-
,, gans, vobis ſolis eas fruſtra vindicare co-
,, natus es. Cum agatur de regeneratione,

IV. Ulterius perſequitur, & carpit Donatiſtas, quod DEO divitias ſuas denegent (*a*). Longa recenſione eccleſiarum, quæ continentur toto orbe, & cum quibus catholici communionem habeant, easdem movet querelas, eandemque catholici nominis urget amplitudinem ac proprietatem. *Cum inde*, inquit, (*b*) *dicta ſit catholica, quod ſit rationalis, & ubique diffuſa.* Allatis vero divinis promiſſionibus acrius in eos invehitur, quod Chriſto ſuam hæreditatem, in univerſo orbe diſperſæ eccleſiæ, au-

Comprimis arguit, quod conentur contra divinas promiſſiones proprietatem eccleſiæ catholicæ reſtringere.

fer-

cum agatur de homine innovando, nulla a »
te credentium fides, nulla profeſſio nomi- »
nata eſt: dum vis de ſolis dotibus loqui, »
hæc omnia, ſine quibus ſpiritalis illa nati- »
vitas reparari non poteſt, in ſilentio re- »
miſiſti &c. »

(*a*) » Cujus hortum (inquit *ib. n.* 11.) in an- »
guſtias cogitis, dum vobis ſolis immerito »
omnia vindicatis. Utique (pergit) planta- »
tiones DEI ſunt diverſa ſemina per diverſa »
præcepta, juſti, continentes, miſericor- »
des, & virgines ſpiritalia ſunt ſemina: »
harum rerum arbuſculos in paradyſo DEUS »
plantat. Concedite DEO, ut hortus ejus »
ſit longe lateque diffuſus. Quid illi nega- »
tis orientis & ſeptentrionis, etiam occi- »
dentis provinciarum omnium, & innumera- »
bilum inſularum populos chriſtianos, con- »
tra quos vos pauci rebelles eſtis, & cum »
quibus nullum communionis conſortium »
poſſidetis? »

(*b*) Opt. *L. II. n.* 1.

ferre nitantur, cum Chriſtus eos in ſocietatem regni cœleſtis invitet.

Nota eccleſiæ illuſtrata ab OPTATO, quatenus apoſtolica dicitur.

V. Tum, qua ratione eccleſia apoſtolica ſit, oſtendit, & ad reliqua, ut vocat, progreditur ornamenta (*a*). Poſtea ſucceſſionis ſeriem deducit a cathedra PETRI unica, *quæ eſt*, ut ipſe affirmat, *prima de dotibus*, uſque ad SIRICIUM, *qui*, ut ait, *noſter eſt ſocius*, *cum quo nobiſcum totus orbis in commercio formatarum in una communionis ſocietate concordat.*

Notas omnes in communione ac centro unitatis convenire eccleſiæ catholicæ.

VI. Alias adhuc dotes tum PARMENIANUS, cum OPTATUS veræ eccleſiæ recenſuerant præter cathedram, & angelum,

(*a*) „ Ergo probavimus (inquit ib. *n.* 2.) eam „ eſſe catholicam, quæ eſt in toto orbe terrarum diffuſa, ejus jam commemoranda ſunt „ ornamenta, & videndum, ubi ſint quinque „ dotes, quas tu ſex eſſe dixiſti: inter quas „ cathedra eſt prima, ubi niſi ſederit epiſcopus, conjungi altera dos non poteſt, qui „ eſt angelus: videndum eſt quis, & ubi „ prior cathedram ſederit... Igitur negare „ non potes, ſcire te in urbe Romana PETRO „ cathedram epiſcopalem eſſe collatam, in „ qua ſederit omnium apoſtolorum caput PETRUS, unde & CEPHAS appellatus eſt, in „ qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ceteri apoſtoli ſingulas ſibi „ quiſque defenderent: ut jam ſchiſmaticus, „ & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram, alteram collocaret.

lum, Spiritum adoptionis, fontem, ſigillum, & umbilicum: queis ſingulis, quid velit, ignoro: & videtur hic luxata ejus oratio, nec enim ſatis cohæret, nec ſatis ſe explicat: nec neceſſe tamen videtur pluribus in eas inquirere, cum omnes connexas cum cathedra dicat (*a*). Ex hoc enim ipſo, a.
quod oſtenderit nos unam habere, certam nimirum, cathedram, cui reliquæ individuo vinculo ſocientur, oſtendit apud catholicam eccleſiam non apud Donatiſtas eſſe veram eccleſiam: eoquod per communionem mutuam eccleſiarum omnium in orbe terrarum pateat noſtram eſſe catholicam, hanc autem communionem fieri dicit mediante eccleſia Romana (*b*). b.

(*a*) „ Probatum eſt (inquit Opt. *L. II. n.* 9.) „ nos eſſe in eccleſia ſancta catholica, apud „ quos & ſymbolum Trinitatis eſt, & per ca- „ thedram Petri, quæ noſtra eſt, per „ ipſam & ceteras dotes apud nos eſſe. „

(*b*) „ Igitur, (inquit ib. *n.* 5.) cum manifeſtum „ ſit, & ipſa luce clarius, nos cum tot innu- „ merabilibus populis eſſe, & tot provincias „ nobiſcum, jam videtis vos in parte unius „ regionis poſitos, & ab eccleſia veſtris erro- „ ribus eſſe ſeparatos, fruſtra vobis ſolis hoc „ nomen eccleſiæ cum ſuis dotibus vindicare, „ quæ magis apud nos ſunt, quam apud „ vos: quas conſtat ita ſibi connexas & in- „ dividuas eſſe, ut intelligatur unam ab altera „

Minime vero, qui ab hac unitate ſe ſeparant, ac novas inſtituunt eccleſias.

VII. Donatiſtas autem ſchiſmatis reos evincit, quod cum eccleſiis totius orbis non communicent, ſeſeque ſeparaverint: is vero, contra quem alium angelum, id eſt epiſcopum, in eccleſia Carthaginenſi conſtituerant, in hac communione eccleſiarum permanſerit (*a*). Vehementer hic

„ ſeparari non poſſe . . . unde qui tenet
„ unum, totos teneat receſſe eſt, cum unuſ-
„ quiſque a paribus ſeparari non poſſit.

(*a*) „ Video, affatur PARMENIANUM, (*L. I.*
„ *n.* 10.) te adhuc ignorare ſchiſma apud
„ Carthaginem a veſtris principibus factum.
„ Quære harum rerum originem, & inve-
„ nies te hanc in vos dixiſſe ſententiam,
„ cum ſchiſmaticis hæreticos ſociaſti (ſcilicet
„ agnoverat PARMENIANUS ſchiſmati-
„ cos æque ac hæreticos eſſe extorres ab ec-
„ cleſia) non enim CÆCILIANUS exivit
„ a MAJORINO avo tuo, ſed MAJORINUS a
„ CÆCILIANO: nec CÆCILIANUS receſſit a
„ cathedra PETRI, vel CYPRIANI, ſed
„ MAJORINUS, cujus tu cathedram ſedes,
„ quæ ante ipſum MAJORINUM originem
„ non habebat. (Et poſtea:) De diviſione agi-
„ tur; & in Africa, ſicut & in ceteris pro-
„ vinciis, una erat eccleſia, antequam di-
„ videretur ab ordinatoribus MAJORINI,
„ cujus tu hæreditariam cathedram ſedes.
„ Videndum eſt, quis in radice cum toto or-
„ be manſerit, quis foras exierit, quis ca-
„ thedram ſederit alteram, quæ ante non
„ fuerat, quis contra altare erexerit, quis
„ ordinationem fecerit ſalvo altero ordinato;
„ quis jaceat ſub ſententia JOANNIS apo-

hic urget S. Doctor Donatiſtas conjunctis eccleſiæ unæ catholicæ & apoſtolicæ notis, atque eos ſchiſmatis reos, alienosque a veræ eccleſiæ conſortio convincit harum defectu.

CAPUT X.

Quibus indiciis, ac notis vera inter falſas quasvis dignoſcatur eccleſia juxta Pacianum.

I.

Transfretemus ex Africa in vicinam Hiſpaniam, illic S. PACIANUM de eccleſia eandem doctrinam ſuſtinentem contra Novatianos, quam OPTATUS contra Donatiſtas, reperimus: cum fuerit utrorumque idem contra eccleſiam peccatum, ac rebellionis ſpiritus, cujus unitatem horrendo ſcindere ſchiſmate non abhorruerunt. Nec alia pertinaciæ Novatianæ, quam ſuperbiæ Donatiſtarum fuit origo, quamvis, in proceſſu perverſitatis, in diverſas ſint prolapſi aberrationes.

S. PACIANI opera contra ſchiſma Novatianum.

E e 2 II. Schiſ-

ſtoli, qui dixit multos antichriſtos foras „ exituros : *quia non erant*, inquit, *noſtri*, „ *nam ſi noſtri eſſent*, *manſiſſent nobiſcum*. „ Ergo qui in uno cum fratribus manere no- „ luit, hæreticos ſecutus, quaſi antichriſtus „ foras exivit. „

Eſſe extra unitatem eccleſiæ, ac nova moliri, juxta PACIANUM *omne meritum, & auctoritatem tollit.*

II. Schiſma Novatianum antiquitus jam in S. CYPRIANO accepit ſtrenuum debellatorem : & tamen CYPRIANI auctoritate & exemplo poſtea cauſam Novatiani defendere contendebant, comparando merita NOVATIANI, illiusque pro fide perpeſſiones S. CYPRIANI martyrio. At S. PACIANUS SEMPRONIO diſparem utriusque demonſtrat cauſam, quod hic in unitate eccleſiæ deceſſerit,
a. quam ille disruperat (*a*). Hoc ſatis erat PACIANO, ut non ſolum omne meritum confeſſionis abjudicaret NOVATIANO, ſed etiam omnem veritatis auctoritatem, quam ille apud ſuos contra eccleſiam prætendebat, nimirum novitatis vitio, quod apud catholicos jam habet certum falſitatis præjudicium
b. (*b*). Neque jam ad diſputandum amplius admittendum eſt ratus eum, qui ab ec-
c. cleſia receſſerit (*c*). III.

(*a*) „ Etiamſi (inquit S. Doctor *Ep. II. ad Sempr.* „ *Bibl. PP. Lugd. ſæc. IV. P. I.* 308.) paſſus eſt „ aliquid NOVATIANUS, non tamen e- „ tiam occiſus. Etiamſi occiſus, non tamen co- „ ronatus. Quidni ? extra eccleſiæ pacem, „ extra concordiam, extra eam matrem, cujus „ portio debet eſſe, qui martyr eſt.

(*b*) „ Ergo (argumentatur Noſter, *Ep. III.* 309.) „ Chriſti uſque ad DECII principatum nullus „ intelligens ? poſt DECIUM denique omnis „ epiſcopus impatiens, omnes alii diſſoluti, „ qui ſe miſcere perditis mallent ? &c. „

(*c*) „ Age inquies, (ait loco citato) certe-

III. Cum autem Novatiani contenderent hanc veram eccleſiam jam periiſſe ab orbe terrarum dimittendo peccata poſt baptiſmum commiſſa, aut recipiendo peccatores, S. Pacianus in arenam deſcendit cum Semproniano, ut hoc contra eccleſiæ notionem, & primævam illius inſtitutionem eſſe oſtendat, & conſequenter demonſtret, eo ipſo apud Novatianos non poſſe eſſe hanc veram eccleſiam, quia non eſt apud ipſos, qualis a Chriſto inſtituta ſit, ut non in angulo aliquo, ſed toto diffundatur orbe. Urget autem ex propria confeſſione quod eccleſia ſit corpus Chriſti juxta S. Paulum (*a*).

Eidem non eſſe in eccleſia per orbem diſperſa jam eſt nota falſitatis.

mus exemplis & ratione pugnemus. At „ ego hucusque ſecurus, ipſa eccleſiæ ſerie, „ congregationis antiquæ pace contentus, „ nulla diſcordiæ ſtudia didici, nulla certaminum argumenta quæſivi; tu poſtquam „ a reliquo corpore ſegregatus es, & a matre diviſus, ut rationem facti tui redderes, totos librorum receſſus aſſiduus ſcrutator inquiris; occulta quæque ſollicitas, „ quidquid exinde ſecurum eſt, inquietas. „ Noſtri nihil ultro diſputavere majores, „ nuda eſt apud nos ipſa ſecuritas. „

(*a*) „ Corpus utique, (inquit S. Pac. *Ep. III. p.* 310.) non membrum: corpus multis in „ unum partibus, membrisque collectum; ſicut ait apoſtolus: *nam & corpus non eſt unum membrum, ſed multa.* Ergo e[illegible] „

Eccleſiam, quæ ſe catholicam nuncupat, eam eſſe veram.

IV. De nomine vero Catholicorum jam prima epiſtola diſputationem inſtituerat, duplicem afferens nominis etymologiam, non quidem ſatis accuratam quoad Græcæ linguæ ſignificationem, cujus ſe imperitum oſtendit, optimam tamen utrimque, quoad eccleſiæ notionem, quam mente conceptam habebat, atque ſoli veræ eccleſiæ contra omnes hæreticas conventiones convenire, cum proprio vocabulo optime gnarus erat (*a*). V. Ægre

„ ſia plenum eſt corpus, & corpus, & ſolidum, & toto jam orbe diffuſum. Sicut „ civitas, inquam, cujus partes in unum, „ non ut vos eſtis Novatiani quædam inſolens portiuncula, tuberque collectum, & „ reliquo corpore ſeparatum. (Et poſtea „ eandem diſperſionem in toto orbe opponens) calculare ſi potes, (inquit id. ib. *p.* „ 314.) catholicos greges, & duc in digitos „ noſtræ plebis examina. Nec illa modo, „ quæ toto orbe diffuſa ſunt unitis plena regionibus, ſed hæc Frater Sempronianе, „ quæ tecum in proximis finibus & vicina „ urbe conſiſtunt. Contemplare, quot noſtros unus aſpicias, quot meorum populis „ ſolus occurras. Nonne ut ſtillicidia fontibus magnis, nonne ut ab Oceano quædam gutta ſorberis?

(*a*) „ Chriſtianus mihi, (inquit id. *Epiſt. I. p.* 306.) „ nomen eſt, Catholicus vero cognomen. „ Illud me nuncupat, iſtud oſtendit: hoc „ probor, illo ſignificor, & ſi reddenda poſtremo Catholici vocabuli ratio eſt, & ex-

V. Ægre tulerat SEMPRONIUS ſe nomine Novatianorum traduci, atque ſe CYPRIANI fama tueri niſus eſt, quem etiam apoſtaticum capitolinum, fuerint, qui vocarint. S. Pater reſpondens quod CYPRIANUM ſpectat, maledicta ira-

Cum reliquæ auctorum ſuorum nominib' vocentur.

primenda de Græco interpretatione Romana, catholicus ubique unum, vel (ut doctiores putant) obedientia omnia nuncupatur, mandatum ſcilicet DEI... Ergo ſi Catholicus idem juſti obediens, qui obediens idem eſt chriſtianus, atque ita Catholicus chriſtianus eſt. Quare ab hæretico nomine noſter populus hac appellatione dividitur cum Catholicus nuncupatur: ſed & ſi Catholicus ubique unum eſt, ſicut ſuperiores putant, idipſum DAVID indicat &c. „ (Jam prius occurrerat exceptioni Novatianorum, quod poſterius ſit apoſtolis hoc nomen.) „ Sed (ait) ſub apoſtolis, inquies, nemo catholicus vocabatur; eſto ſic fuerit, vel illud indulge, cum poſt apoſtolos hæreſes extitiſſent, diverſisque nominibus columbam DEI, atque reginam lacerare per partes & ſcindere niterentur; nonne cognomen ſuum plebs apoſtolica poſtulabat, quo incorrupti populi diſtingueret unitatem, ne intemeratam DEI virginem error aliquorum per membra laceraret! nonne appellatione propria decuit caput principale ſignari? Ego forte ingreſſus populoſam urbem hodie cum Marcionitas, cum Apollinariacos, Cataphrygas, Novatianos, & ceteros hujusmodi comperiſſem, qui ſe chriſtianos vocarent, quo cognomine congregationem plebis meæ agnoſcerem, niſi catholica diceretur? „

ſcentiam & petulantiam hujus eſſe aſſerit, nec Cypriani populum aliud quam catholicum nominatum eſſe. De Novatiano vero nomine *Interim*, inquit (*a*), *ipſi vos dicite quid vocemini, negatisne Novatianos a Novatiano vocari? Quodlibet nomen imponas, ſemper iſtud hærebit, ſcrutare totos, ſi videtur, annales, & crede tot ſeculis, reſpondebis chriſtianum. Inquirente me genus ſectæ, Novatianum non inficiaberis.*

Cum ex ipſa novitate falſitatis arguantur.

VI. At non tam nomen accuſandum ſibi duxit, quam rem ipſam ex nomine redundantem, atque maculam, præjudiciumque erroris, & hæreſis nomini inhærentem, novitatem nimirum (*b*). Poſtulavit ergo eum novæ doctrinæ ſuæ ac miſſionis ſigna edere debuiſſe (*c*). Et dignoſcendam eccleſiam veram voluit ex

(*a*) Paq. Ep. II. p. 307. & 308.

(*b*) „ Novatianus (inquit id. *Ep. III. p.* 309.) „ hoc docuit; at vel quando frater, quibusve „ temporibus? ſtatim poſt Domini paſſionem? „ poſt Decii principatum, id eſt, poſt „ trecentos prope annos dominicæ paſſionis.

(*c*) „ An ipſe (pergit) tantum auctoritatis accepit? linguis locutus eſt? prophetavit? ſuſcitare mortuos potuit? horum enim aliquid „ habere debuerat, ut evangelium novi juris „ induceret, etſi contra clamet apoſtolus; „ *Licet nos aut angelus de cœlo evangelizet* „ *vobis, præterquam quod evangelizavimus* „ *vobis, anathema ſit.*

ex apoſtolica ſerie, novitatem autem omnem falſitati deputandam (*a*). Dum paulo antea eccleſiam catholicam inde aſſeruit, ut quæ ſemper adhæſerit pura & fidelis ſponſo Chriſto (*b*). Tandem autem hortatur, ut non pigeat eſſe cum multis, catholicos greges & tam late patentes eccleſiæ populos intueri &c. a. b.

CAPUT XI.

De veræ eccleſiæ notis characteriſticis contra ſchiſmatica conventicula ex mente S. Hieronymi.

I.

Inter eos, qui ſtudioſe ſponſam Chriſti eccleſiam ab aliena quavis notis diſtin- *S. Hieronymus ſtrenue contra...*

(*a*) „ Jam (inquit idem *p.* 314.) & illud attendite, an hæc potiſſimum ædificata ſit in fundamentis prophetarum & apoſtolorum, ex ipſo angulari lapide JESU Chriſto. Si ante te cœpit, ſi ante te credidit, ſi a fundamentis prioribus non receſſit, ſi non illa migravit, ſi non a reliquo corpore ſeparata ſuos ſibi magiſtros, & propria inſtrumenta conſtituit, ſi quid inſolitum argumentata eſt, ſi quid novi juris invenit, ſi corpori ſuo repudium pacis indixit, plane tunc a Chriſto receſſiſſe videatur, tunc extra prophetas & apoſtolos conſtitiſſe. „

(*b*) „ Adultera mulier hæretica congregatio „

ſudentem terram. Quod autem hic maxime notandum, hæc HIERONYMUS loquitur, poſtquam jam erroris convicerat adverſarium, hicque pejerat ſacramentum ſuæ catholicæ confeſſionis. Sic enim Luciferianus inducitur (a). *En tollo manus, cedo, viciſti. Verum cum arma deponam, Sacramenti in quod me jurare compellis, quæro rationem?* Tunc HIERONYMUS ſub orthodoxi nomine ei talem eccleſiæ deſcriptionem facit, cui ſe fidei ſacramento devoveat. Nec mirum, credere enim in eccleſiam jubemur catholicam, atque eodem modo, ac alii, hic a nobis requirit obſequium fidei articulus.

Eccleſiam nullam poſſe coaleſcere ſine epiſcoporum ordine.

III. Cum autem Luciferianus adhuc quæreret, quid eſſet de HILARIO diacono tenendum, qui poſt LUCIFERUM ſe ſchiſmatis caput erexerat? Reſpondet orthodoxus: *Hilarius cum diaconus de eccleſia receſſerit, ſolusque, ut putat, turba ſit mundi, neque Eucharistiam conficere poteſt, epiſcopos & presbyteros non habens, neque baptiſma ſine Euchariſtia tradere, & cum jam homo mortuus ſit, cum homine pariter interit & ſecta, quia poſt ſe nullum clericum diaconus potuit ordinare. Eccleſia autem non eſt, quæ non habet ſacerdotes, ſed omiſſis pauculis homunculis, qui ſibi* ipſi,

(a) Ib. c. 8.

ipſi, & laici ſunt, & epiſcopi, auſculta quid de omni eccleſia ſentiendum ſit . . . iſte enim, ut ais, ſcrupulus multos titillat.

IV. Tum incipit de ſtatu eccleſiæ in hac vita diſſerere, ſecundum membrorum varietatem, adverſariorum etiam inſultus explicat longo ſermone ab arcæ comparatione cum eccleſia orſus (*a*). Deinceps autem ex novo teſtamento oſtendit necdum, niſi ad finem mundi mundandam fore eccleſiam, atque varia zizania tolerari uſque ad meſſem. Poſtremo ſententiam ſuam aperit, quam de eccleſia habeat, ut tantum ei deferatur, quatenus ſola illius auctoritas omnibus quæſtionibus & controverſiis finem imponat, atque in illa ſit permanendum eccleſia, quæ ab apoſtolis fundata perduret (*b*). Vera a falſis eccleſiis quibus rebus diſcernatur.

CAP. XII.

(*a*) „ Ut (inquit *c.* 7.) in illa omnium animalium genera, ita & in hac univerſarum & gentium & morum homines ſunt : ut ibi pardus & hœdi, lupus & agni, ita & hic juſti, & peccatores . . . . dies me deficiet, ſi omnia arcæ ſacramenta cum eccleſia componens, ediſſeram. „

(*b*) „ Poteram (inquit id. ad finem) diem iſtiuſmodi eloquio ducere, & omnes propoſitionum rivulos uno eccleſiæ ſole ſiccare, verum . . . brevem tibi apertamque animi mei ſententiam proferam : illa eſſe in eccleſia permanendum, quæ ab apoſtolis fundata uſ-

CAPUT XII.

Qualem conceptum, exiſtimationemque S. Auguſtinus de vera eccleſia, illiusque a falſis quibusvis diſcrimine habuerit.

I.

S. Augu-ſtinus omnium copioſſime de præſenti materia ſcripſit.

Sanctus Augustinus etiam eſt in teſtimonium vocandus, cujus infinitum eſſet omnia huc facientia in medium afferre, quæ ipſe in hoc argumento in ſuis operibus, magno numero ad hunc cenſum pertinentibus, nominatim contra Donatiſtas diſputavit, ac fere integrum complent tomum nonum: præter ea, quæ ſparſim alibi, ac etiam ex inſtituto de veræ eccleſiæ notione, demonſtrationeque contra varias hæreſes ac ſchiſmata copioſe ſcripſit.

II. Quod

» que ad hanc diem durat. Sicubi audieris
» eos, qui dicuntur Chriſti non a Domino
» JESU Chriſto, ſed a quoquam alio nuncu-
» pari: ut puta Marcionitas, Valentinianos,
» Monteuſes, ſive Campitas: ſcito non eccle-
» ſiam Chriſti, ſed antichriſti eſſe ſynagogam.
» Ex hoc enim ipſo quod poſtea inſtituti ſunt,
» eos ſe eſſe indicant, quos futuros apoſtolus
» prænunciavit: nec ſibi blandiantur ſi de
» ſcripturarum capitulis videntur ſibi affir-
» mare, quod dicunt, cum & diabolus de
» ſcriptura aliqua ſit locutus, & ſcripturæ non
» in legendo, ſed intelligendo conſiſtant.

Cujus notió eccleſiæ vindicatur contra quorundam exceptiones.

II. Quod ſi Neotericis hujus S. Patris methodus, ac adumbratio eccleſiæ, cujusmodi animo conceptam nobis proponit, diſpliceat, noverint S. AUGUSTINUM nihil novi effinxiſſe, ſed Patrum ſuperiorum eodem verbo divino utentium ſecutum eſſe veſtigia: uti vel ex dictorum hactenus collatione cum illis, quæ ex mente S. Patris dicemus, conſtare poteſt, & S. AUGUSTINUS ipſe allatis antiquorum auctoritatibus oſtendit: cujusmodi libri contra GAUDENTIUM Donatiſtam magnam copiam præbent, atque extant ad finem *T. IX.* Quod vero putant, ac nominatim MICHAEL le VASSOR ſuo de ratione controverſias de religione examiandi tractatu contendit: aliam fuiſſe rationem priorum temporum, cur illi ad eccleſiarum, quas aut fundaverant apoſtoli, aut quibus præfuerant, teſtimonium provocarent, inane ac falſum eſt, & apertiſſima ſcripturæ loca de eccleſia evertit, quæ loca præcipue S. AUGUSTINUS illuſtravit, & aſſeruit. Ut adeo dici non poſſit, ei juſtam cauſam & rationem non fuiſſe ad eccleſiam provocandi, ſicuti antiquioribus ſe Patribus ac ſcriptoribus. Atque hoc ſolum modo ille veritatem doctrinæ, quod alii objiciunt, in diſputatione de eccleſia præſuppoſuit, quod ſcripturæ clariſ-

clariſſime de eccleſia teſtentur: cujus loca infra referentur a nobis.

S. Augu- ſtinus ſenſit eun- dem ſem- perperen- nem fore eccleſiæ formam.

III. Ex quibus ille teſtimoniis clare eruit nunquam imaginem, ac præclaram faciem eccleſiæ fore immutandam. *Neque*, inquit (*a*), *tot teſtimoniis commendaretur, quod erat cito periturum.* Illos etiam accerrime perſtringit, qui eccleſiæ ſtatum immutatum fingebant (*b*). Quare æque neceſſarium duxit ad ſalutem, credere in eccleſiam, quam quidvis aliud: æque item ad ſalutem expedire ſenſit eſſe in eccleſia, quam credere in Chriſtum, aut alia quæcunque myſteria: ſic declarat in libro de unitate eccleſiæ (*c*). IV. Quam

(*a*) S. Aug. de unit. eccl. n. 51. p. 374. T. IX.

(*b*) „ Sed illa eccleſia (idem *in Pſal. CI. n.* 8. *p.* 1105.) quæ fuit omnium gentium jam „ non eſt periit. (Sic loquitur ex mente adverſariorum, ipſe vero reſpondet:) O impudentem vocem? illa non eſt, quia tu in illa non es? vide ne tu ideo non ſis: „ nam illa erit, etſi tu non ſis. Hanc vocem abominabilem, deteſtabilem, præſumptionis & falſitatis plenam, nulla veritate ſuffultam, nulla ſapientia illuminatam, nullo ſale conditam, vanam, temerariam, præcipitem, perniciosam, prævidit Spiritus ſanctus &c.

(*c*) „ Ad ipſam vero ſalutem (inquit idem de unit. eccl. *n.* 49. *p.* 372.) ac vitam æternam nemo pervenit, niſi qui habet caput Chriſtum. „ Habere autem caput Chriſtum nemo poterit,

Quam invictam ſemper agnoſcens contra errores omnes fidei cuſtodem, ei detulit fidei obſequium.

IV. Quam ipſe eccleſiam invictam ſemper fore ac notis ſuis ornatam contra omnes inſultus & inferi portas alibi dicit, dum ſymbolum explicat (*a*). *Ipſa eſt eccleſia ſancta, eccleſia una, eccleſia vera, eccleſia catholica contra omnes hæreſes pugnans, pugnare poteſt, expugnari non poteſt. Hæreſes omnes de illa exierunt tamquam ſarmenta inutilia de vite præciſa, ipſa autem manet in vite ſua, in caritate ſua, portæ inferi non vincent eam.* Talem autem & ita deſcriptam eccleſiam, atque iſtis notis conſpicuam, ſibi firmiſſimam perſuaſionem, & fixam adhæſionem mentis imperare, alibi declarat, ubi motiva credibilitatis recenſet, cum eccleſiæ notis intime connexa (*b*). Patetque ab

niſi qui in ejus corpore fuerit, quod eſt eccleſia. (Et in eodem libro) quicunque (inquit *n.* 7. *p.* 342.) credunt quidem quod Chriſtus JESUS, ita ut dictum eſt, in carne venerit, & in eadem carne in qua natus & paſſus eſt, reſurrexerit &c. ſed tamen ab ejus corpore, quod eſt eccleſia ita diſſentiunt, ut eorum communio non ſit cum toto, quacunque diffunditur, ſed aliqua parte ſeparata inveniatur, manifeſtum eſt non eſſe in eccleſia catholica. „

(*a*) Idem Serm. de ſymb. T. VI. p. 554.

(*b*) „ Multa ſunt alia (inquit S. AUG. contra Epiſt. fundamenti, *n.* 5. *T. VIII. p.* 57.) quæ in gremio me juſtiſſime teneant, tenet conſenſus populorum atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, „

Augustino veritatem doctrinæ in diſputatione de eccleſia non præſupponi, ſed apud eum, eccleſiam notis & motivis credibilitatis commendatam fidem mereri.

Quibus notis inſignitam, qualiterq; conſtitutam eccleſiam S. Aug. ſenſerit.

V. Quemadmodum igitur eccleſia præjudicium, præſcriptionemque veritatis facit juxta doctrinam S. Augustini conſentientem cum aliis SS. Patribus & ſcriptoribus eccleſiaſticis, ita ad veram a tot falſis hæreticis congregationibus ſecernendam, cum aliis omnibus easdem agnoſcit notas & characteres, quos quamvis falſare, & ſibi tribuere nitantur

„ charitate aucta, vetuſtate firmata, tenet ab
„ ipſa ſede Petri apoſtoli, cui paſcendas o-
„ ves ſuas poſt reſurrectionem Dominus com-
„ mendavit, uſque ad præſentem epiſcopa-
„ tum ſucceſſio ſacerdotum, quod non ſine
„ cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta ec-
„ cleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hære-
„ tici ſe catholicos dici velint, quærenti ta-
„ men peregrino alicui, ubi ad catholicam
„ conveniatur, nullus hæreticorum vel ba-
„ ſilicam ſuam vel domum audeat oſtendere.
„ Iſta ergo tot & tanta chriſtiani nominis
„ chariſſima vincula recte tenent hominem
„ credentem in catholica eccleſia etiamſi pro-
„ pter intelligentiæ noſtræ tarditatem vel vi-
„ tæ meritum veritas nondum ſe apertiſſime
„ oſtendat. Apud vos autem, ubi nihil ho-
„ rum eſt, quod me invitet, & teneat, ſola
„ perſonat veritatis pollicitatio.

tur hæretici, nihil tamen proficiant (*a*). a.
Quamvis autem communionis ſit iſtud nomen catholicum, tamen S. Pater ſemper denominationem ex effectu deſumit, quatenus nimirum diffunditur per univerſum orbem (*b*). Neque tam ex nomine b.
diffuſionem eccleſiæ probandam vult, quam ex promiſſionibus, quarum completio nomini occaſionem præbuerit: ex quibus promiſſis etiam unice deſumendam putat hujus eccleſiæ catholicæ unitatem, de qua tam ſæpe loquitur, atque poſt S CYPRIANUM hoc titulo integrum etiam conſcripſit librum, ſeu ut ipſe vocat epiſtolam. *Nulla eſt*

(*a*) „ Una eſt catholica (inquit idem de util. „ credendi *n.* 19. *T. VIII. p.* 57.) cui hæreſes „ alia diverſa nomina imponunt, cum „ ipſæ ſingulæ propriis vocabulis, quæ nega- „ re non audeant, appellentur. Ex quo in- „ telligi datur judicantibus arbitris, quos nulla „ impedit gratia, cui ſit catholicum nomen, „ ad quod omnes ambiunt, tribuendum. „

(*b*) „ Quaſi non etiam ,(ſcribit ad VINCENTIUM ROGATIANUM) ſi forte hinc „ ſit appellata catholica quod totum veraciter „ teneat (hoc dicebant hæretici) cujus veri- „ tatis nonnullæ particulæ in diverſis inve- „ niuntur hæreſibus, hujus nominis teſtimo- „ nio nitamur ad demonſtrandam eccleſiam „ in omnibus gentibus, & non promiſſis DEI, „ & tam multis, tamque manifeſtis miraculis „ veritatis. „

a. *igitur*, inquit, (*a*) *ſecuritas unitatis, niſi ex promiſſis DEI eccleſia* (ſive ut alii habent codices, eccleſiæ) *declarata, quæ ſuper montem, ut dictum eſt, conſtituta abſcondi non poteſt, & ideo neceſſe eſt, ut omnibus terrarum partibus nota ſit.* Ex quo ille etiam concludit bonis malos eſſe commixtos, quin liceat ſchiſma idcirco
b. facere (*b*). In hac eccleſia ſemper apoſtolicæ ſucceſſionis attendendam ſeriem cum catholici nominis prærogativa dicit, & ſic ſecure nos eccleſiæ concre-
c. dere vult (*c*). Eam autem apoſtolicam ſucceſ-

(*a*) S. Aug. contra epiſt. Parmeniani L. III. n. 28.

(*b*) „ Inconcuſſum igitur (pergit) firmumque „ teneamus nullos bonos ab ea ſe poſſe dividere, id eſt nullos bonos, etiam ſi cognitos ſibi malos patiantur: ubicunque verſentur propter eos ſe a longe poſitis & incognitis bonis temerario ſchiſmatis ſacrilegio „ ſeparare. (Et in libro de unitate eccleſiæ *n.* 34 *p.* 362.) Neque enim nos ita dicimus „ per totum orbem diffundi eccleſiam, ut in „ ſacramentis ejus ſolos bonos eſſe, ac non „ etiam malos &c. „ (In breviculo etiam collationis retundit calumniam quaſi catholici duplicem admittant eccleſiam:) „ Sed, (inquit) eandem ipſam unam & ſanctam eccleſiam nunc eſſe aliter, tunc autem aliter futuram, nunc habere malos mixtos, „ tunc non habituram.

(*c*) „ Dubitabimus nos (inquit S. Aug. de util. „ credendi *c.* 17. *T. VIII.*) ejus eccleſiæ concredere gremio, uſque ad confeſſionem ge-

ſucceſſionem attendendam vult, quæ cum eccleſia univerſali communionem habet juxta divinas promiſſiones (*a*). a.

VI. Cum ergo ita S. AUGUSTINUS veram demonſtraret eccleſiam, conſequenter reliquas omnes falſas præjudicabat, quæ in partibus ſolum quibusdam terræ latitabant, uti illa DONATI, quod negotium illo tempore non ſolius AUGUSTINI, ſed catholicorum omnium erat contra ſchiſma Donatiſtarum, *ut oſtenderetur*, ſunt verba S. Doctoris (*b*) *eccleſia*

Quamvis diverſis indiciis falſæ eccleſiæ ac vera catholica inter ſe dignoſcantur.

b.

Ff 3

neris humani ab apoſtolica ſede per ſucceſſiones epiſcoporum, fruſtra hæreticis circumlatrantibus, & partim plebis judicio, partim conciliorum gravitate, partim etiam miraculorum majeſtate damnatis culmen auctoritatis obtinuit? cui nolle primas dare vel ſummæ profecto impietatis eſt, vel præcipitis arrogantiæ. „

(*a*) „ Has promiſſiones tenenti (ait epiſt. ad GENEROSUM) ſi tibi angelus de cœlo diceret: dimitte chriſtianitatem orbis terræ, & tene partes DONATI, cujus ordo tibi exponitur in epiſtola epiſcopi tuæ civitatis, anathema eſſe deberet: quia te a toto præcidere, & in partem contrudere conaretur, & alienare a promiſſis DEI. Si enim ordo epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt quanto certius & vere ſalubriter ab ipſo PETRO numeramus, cui totius eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: *Super hanc petram &c.* „

(*b*) BREVICULUS collat. cum Donat. *c.* 8. *T. IX. p.* 547. *B.*

eccleſia catholica non eſſe pars Donati, ſed illa potius, quæ per totum mundum fructificaret, & creſceret, incipiens ab Jeruſalem ſecundum ſacram ſcripturam, & quia nihil ei præjudicarent quicunque in ea mali fuiſſent, divino in fine judicio ſeparandi. Id quod ſanctitati illius nihil officere ſtatuebant, dummodo ab ea hæretici & ſchiſmatici, quorum conventus ſancti eſſe haud potuerint, ſint extorres. *Ergo eccleſia* (ſcribit in Pſalmum CXLIX. n. 3.) *ſanctorum eccleſia catholica eſt: eccleſia ſanctorum non eſt eccleſia hæreticorum.*
a. Et alibi(*a*), *credimus & ſanctam eccleſiam, utique catholicam. Nam hæretici & ſchiſmatici congregationes ſuas eccleſias vocant, ſed hæretici de DEO falſa ſentiendo ipſam fidem violant; ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis a fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæretici pertinent ad eccleſiam catholicam, quæ diligit DEUM, nec ſchiſmatici, quoniam diligit proximum.* Eccleſia autem qualiter vera agnoſcenda ſit ex mente AUGUSTINI jam audivimus: quam alicubi tam perſpicue patentem dicit, ut etiam a parvulo dignoſci poſſit.
b. *Quo ergo* (inquit (*b*), *ſigno manifeſto adhuc parvulus & nondum valens liquidam di-*

(*a*) S. AUG. de fide & ſymb
(*b*) Id. contra FAUST. L. XIII. c. 13. T. VIII.

diſcernere a tot erroribus veritatem, quo manifeſto indicio tenebo eccleſiam Chriſti, in quam jam credere tanta rerum antea prædictarum manifeſtatione compellor? Sequitur idem propheta & tanquam motus animi ejus ordinatiſſime excipiens, docet, eam eccleſiam Chriſti ipſam eſſe prædictam, quæ omnibus eminet, & apparet, ipſa enim eſt ſedes gloriæ, de qua dicit apoſtolus: Templum enim DEI ſanctum eſt, quod eſtis vos, *unde iſte dicit:* Sedes autem gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra, *propter nos enim motus parvulorum, qui poſſunt ſeduci ab hominibus, manifeſtationem claritatis eccleſiæ Dominus quoque prævidens ait:* Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem conſtituta, *quia utique ſedes gloriæ exaltata eſt ſanctificatio noſtra, ut non audiantur illi, qui ad religionum ſciſſuras traducunt dicentes:* Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic. *Cum illa civitas ſuper montem ſit: quem montem? niſi eum, qui ſecundum prophetiam Danielis ex parvo lapide crevit, & factus eſt mons magnus, ita ut impleret univerſam terram, cum contra hæreticæ factiones ſolum hinc inde in partibus conſideant. Alii quippe,* ut idem ait (*a*), *hic, alii vero alibi atque alibi hæretici, cum diffuſa ubique catholica unitate confligunt, ubique eſt enim illa, de qua ex-*

(*a*) Contra Cresc. L. III. n. 77. T. IX.

exierunt, qui eſſe ubique minime potuerunt, dicentes ſecundum id, quod de illis prædictum eſt, ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic.

CAPUT XIII.

Vincentii Lirinenſis commonitoria, ac regulæ, ad diſcriminandam veram eccleſiam ac fidem contra novitates hæreticorum.

I.

VINCENT. Lirinenſis commonitorium, illius inſtituti ratio, ac ad rem noſtram uſus.

Non eſt hoc loco prætermittendus VINCENTIUS *Lirinenſis*: imo dignus eſt, qui agmen claudat, & hanc pertractationem obſepiat ſua inſigni doctrina: cujus commonitorium primum contra hæreſes, quod adhuc ſupereſt, tanti theologo eſt faciendum, ut nunquam a ſe dimittat. Non is privatam ſe referre ſententiam ſtatim initio commonet ſub PEREGRINI nomine: ut enim ſe pietatis ſtudio in monaſterium abdidit, ita humilitatis ergo nomen ſuum latere optavit, niſi fama propalaſſet. Sic vero orditur, dicente ſcriptura & monente: *Interroga patres tuos, & dicent tibi &c. Videtur mihi omnino omnium ſervorum DEI Peregrino, quod res non mini-*

minimæ utilitatis Domino adjuvante futura ſit, ſi ea, quæ fideliter a ſanctis Patribus accepi, litteris comprehendam. Et poſtea: *Sed jam in nomine Domini, quod inſtat, aggrediar, ut ſcilicet a majoribus tradita, & apud nos depoſita deſcribam relatoris fide potius, quam auctoris præſumtione.* Id quod nos etiam hucuſque ſumus conſectati, atque in VINCENTIO opportunum videmur nobis nacti auctorem, quo totam hanc relationem finiendo veluti recapitulemus. Illius autem ſcopus præcipue contra eos eſt, qui pravum ſequendo dogma, alias a vera inſtituerunt eccleſias, quamvis etiam contra ſchiſmaticos valeat, veram deſignando eccleſiam, quibus ſignis a tot falſis internoſcatur.

II. Igitur eccleſiam catholicam veram eſſe perſuaſus, inde quinam ſit verus catholicus ediſſerit (*a*). Ut vero conſtet nemi- *Apud eccleſiam cathol. veritatem fidei reperiri.*

Ff 5

(*a*) „Is (inquit *Commonit. I. c.* 20.) eſt verus & germanus catholicus, qui veritatem DEI, qui eccleſiam, qui Chriſti corpus diligit, qui divinæ religioni nihil præponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, ſed hæc cuncta deſpiciens, & in fide fixus & ſtabilis permanens quidquid univerſaliter antiquitus eccleſiam catholicam tenuiſſe cognoverit, id ſolum ſibi tenendum credendumque decernit: quidquid vero ab aliquo deinceps uno, præter omnes, vel contra omnes ſanctos novum & inauditum ſubindu-

nemini in hac perſuaſione eſſe aberrandi periculum, indubitatum tenet ita ſe ſemper geſſiſſe ac gerere eccleſiam catholicam, conſequenter ei tuto nos credere poſſe, ac debere (*a*).

a. Quidnam ſit vere catholicum in mente Vincentii.

III. Idem poſtquam luculento teſtimonio aſſeruiſſet facta inquiſitione, apud quamplurimos ſanctitate & doctrina præſtantes viros, ab eccleſia catholicum dogma ſuſcipi debere, & ſacræ ſcripturæ interpretationem propter hæreticarum ſententiarum varietatem: qua ratione ſententiarum veræ eccleſiæ diſcretio facienda ſit, graviſſime deinceps decernit (*b*).

b.

IV. Quem-

„ ci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad „ tentationem potius intelligat pertinere. „

(*a*) „ Chriſti eccleſia ſedula & cauta depoſitorum „ apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his „ unquam permutat, nihil minuit, nihil ad„ dit, non amputat neceſſaria, non apponit „ ſuperflua, non amittit ſua, non uſurpat a„ liena, ſed omni induſtria hoc unum ſtudet, „ ut vetera fideliter ſapienterque tractando, „ ſi qua ſunt illa antiquitus informata, & in„ choata accuret, & poliat: ſi qua jam con„ firmata & definita cuſtodiat.

(*b*) „ In ipſa (inquit *Commonit. I. c.* 2.) item ca„ tholica eccleſia magnopere curandum eſt, „ ut id teneamus, quod ubique, quod ſem„ per, quod ab omnibus creditum eſt. Hoc „ eſt etenim vere catholicum, quod ipſa vis „ nominis ratioque declarat, quæ omnia fere „ univerſaliter comprehendit. Sed hoc de-

IV. Quemadmodum vero chriſtianus ſe gerere debeat, ne hæreticorum laqueis irretiatur, poſtea declarat: præſertim ſi eo uſque procedant, ut ſibi quodammodo ex præſtitutis characterem aliquem ac notam eccleſiæ vindicare nitantur: cum poſſe accidere haud diffitendum ſit, ut mendacium ex quadam parte veritatis quandam ſpeciem mentiatur (*a*). In id vero devolvitur tandem cum

Quomodo fideles ſe gerere in enatis controverſiis debeant.

mum ita fiet, ſi ſequamur univerſitatem, „
antiquitatem, conſenſionem. Sequemur „
autem univerſitatem hoc modo: ſi hanc „
unam fidem veram eſſe fateamur, quam tota „
per orbem terrarum confitetur eccleſia: an- „
tiquitatem vero ita, ſi ab his ſenſibus nul- „
latenus recedamus quos ſanctos majores, „
ac patres noſtros celebraſſe manifeſtum eſt: „
conſenſionem quoque itidem, ſi in ipſa ve- „
tuſtate omnium vel certe pene omnium ſa- „
cerdotum pariter, & magiſtrorum definitio- „
nes ſententiaſque ſectemur „

(*a*) „ Quid igitur faciet (inquit id. *c.* 3.) chri- „
ſtianus catholicus, ſi ſe aliqua eccleſiæ par- „
ticula ab univerſalis fidei comunione præ- „
ſciderit? quid utique, niſi ut peſtifero cor- „
ruptoque membro ſanitatem univerſi cor- „
poris anteponat? quid ſi novella aliqua „
contagio non jam portiunculam tantum, „
ſed totam pariter eccleſiam commaculare „
conetur? tunc idem providebit, ut an- „
tiquitati inhæreat, quæ prorſus jam non „
poteſt ab illa novitatis fraude ſeduci: quid „
ſi in ipſa vetuſtate duorum, aut trium ho- „
minum, vel certe civitatis unius, aut „

cum omnibus, quos laudavimus, atque perpetuum tenet in ſuo commonitorio dogma, ab eccleſia doctrinam veram ſuſcipiendam eſſe, non proprio arbitrio eſſe fingendam.

Hæreticorum nota, & character novitas.

V. Affert autem exemplum Donatiſtarum & Arianorum ſi forte quid in regulis a ſe conſtitutis poſſet ab hæreticis anceps reddi, atque oſtendit Donatiſtis oppoſitum fuiſſe majorem numerum, & eccleſiam in toto orbe diſperſam, Arianis vero, qui pro ſe, præſertim poſt concilium Ariminenſe, afferebant majorem conſenſum, dicit oppoſitam eſſe antiquitatem. Novitatem vero pro certa nota perverſæ doctrinæ agnoſcit, qua catholicum ab hæretico dogmate diſtinguatur (*a*).

CAP. XIV.

„ etiam provinciæ alicujus error deprehendatur, tunc omnino curabit, ut paucorum temeritati, vel inſcitiæ, ſi quæ ſunt, univerſaliter antiquitus univerſalis eccleſiæ decreta præponat; quid ſi tale quid emergat, ut nihil hujuſmodi reperiatur? tunc operam dabis, ut collatas inter ſe majorum conſulat, interrogetque ſententias, eorum duntaxat, qui diverſis licet locis & temporibus in unius eccleſiæ communione & fide permanentes magiſtri probabiles extiterunt.

(*a*) „Profanas (inquit *c.* 29.) vocum novitates „ devita, quas recipere, atque ſectari nunquam catholicorum, ſemper vero hæretico-

CAPUT XIV.

Articulus de eccleſia in ſymbolis ad credendum propoſitus ad veram contra falſas quaſque agnoſcendam tenendamque eccleſiam.

I.

Symboli quid ſit, & qualem nobis hic uſum præbeat.

Vox ſymboli, quatenus eſt ad ſacra chriſtiana translata, ſive ſit a teſſera militari deſumpta, qua ſocii mutuo dignoſcuntur, & ab hoſtibus ſecernuntur: ſive ab illis teſſeris, quæ veteribus in pactis & contractibus loco tabellarum vel ſyngraphorum erant: ſive e gentilium

rum fuit. Et revera, quæ unquam hæreſis ,,
niſi ſub certo nomine, certo loco, certo ,,
tempore ebullivit? Quis unquam hæreſes ,,
inſtituit, niſi qui ſe prius ab eccleſiæ ca- ,,
tholicæ univerſitatis & antiquitatis conſen- ,,
ſione diſcreverit! (Et poſt pauca): Innu- ,,
mera ſunt talia, quibus evidenter monſtra- ,,
tur hoc apud omnes fere hæreſes quaſi ſo- ,,
lemne ac legitimum eſſe, ut ſemper profa- ,,
nis novitatibus gaudeant, antiquitatis ſcita ,,
faſtidiant, & per oppoſitiones falſi nominis ,,
ſcientiæ a fide naufragent. Contra vero ,,
catholicorum hoc vere proprium, depoſita ,,
ſanctorum Patrum & commiſſa ſervare, dam- ,,
nare profanas novitates, & ſicut dixit apo- ,,
ſtolus: *Si quis annunciaverit præterquam* ,,
quod acceptum eſt, anathema ſit. ,,

lium myſteriis, quibus ad ſacra quæpiam initiati ſignis quibusdam ſe diſcernebant a profano vulgo, quod procul abeſſe a ſacris adytis jubebatur: ſive etiam a Sympoſio coñuni inter amicum inſtructo, ad quod ſinguli ſymbolam ſuam adferre conſueverint. Quidquid ex his placeat, patebit recte inde ab apoſtolorum temporibus apud chriſtianos ſymbola fuiſſe collationem quandam mutuam, ſeu collectionem plurium, eorumque præcipuorum fidei dogmatum, cujus ope & declaratione communionis & fidei conſortii indicium præbeatur, teſſeraque proſtet pacti cum DEO in baptiſmo initi. Quare nos præſentem pertrectantes materiam de ſignis, & indiciis eccleſiæ eo opportunius ſymbolorum auctoritate utemur, quod indicandi cauſa inventa ſint. Quorum duo potiſſimum uſui hic eſſe poſſunt apoſtolorum alterum, alterum Conſtantinopolitanum, quæ proprietates quasdam & characteres exhibent, ac produnt, quibus vera eccleſia indicetur.

Symboli apoſtolici origo & finis.

II. Symbola apud chriſtianos ab ipſis apoſtolorum temporibus uſitata ſunt: ut patet ex illo, quod ſymbolum apoſtolorum ſemper fuit habitum, ut fruſtra ſint, qui illud prorſus apoſtolis abjudicare volunt, contra tam conſtantem antiqui-

tiquitatis fidem : quidquid ſit de tempore , modo , aliisque circumſtantiis, itemque de ſingulis illius articulis ; cum forte initio profeſſionis & invocationis in baptiſmo factæ ſolum præbuerit indicium. Symbolum autem hoc juxta RUFFINUM in expoſitione illius, *indicium vel ſignum idcirco dicitur, quia illo tempore, ſicut & Paulus apoſtolus dicit, & in actis apoſtolorum refertur, multi ex circumciſis Judæis ſimulabant ſe eſſe apoſtolos Chriſti.* Ergo ſi RUFFINO fides ad diſcretionem chriſtianorum a Judæis, id eſt eccleſiæ a ſynagoga primum fuit ſymbolum. Quare omitti non debuit articulus de eccleſia, ad quam indicandam cumprimis valuit: quamvis etiam non poſitus ſuapte ſeſe innuebat. RUFFINO conſentit CYRILLUS Hieroſol. *cath. XVIII.* ubi docet : *Ex quo propter ſtructas adverſus Salvatorem inſidias abjecti ſint a gratia Judæi, ſecundam ex gentibus ædificaſſe Salvatorem ſanctam noſtram chriſtianorum eccleſiam* (a), *rejecta namque, una, illa, quæ in Judæa erat, per totum orbem deinceps Chriſti multiplicantur eccleſiæ &c.* At is potiſſimum eccleſiæ deſcriptionem, qualis in ſymbolo habetur, contra eccleſias malignantium, cœtus nimirum hæreticorum, eſſe ac valere indicat.

(a) CYRILL. *n.* 25, *p.* 297. *B. Ed* Pariſ. Nova.

dicit. *Proprie autem* inquit (*a*), *& vere quis dixerit eccleſiam malignantium eſſe hæreticorum cœtus, Marcioniſtarum dico, & Manichæorum, reliquorumque, idcirco nunc cautiſſime tibi tradidit fides ita tenendum, & in unam, ſanctam, catholicam eccleſiam, ut eorum abominanda collegia fugiens, adhæreas ſemper ſanctæ catholicæ eccleſiæ, in qua & renatus es.*

Articulus in ſymbolo de eccleſia notas illius prodit.

III. Tum qua ratione diſcriminare veram a falſis quibusvis eccleſiam debeamus, declarat: ſimulque prodit ex ſignis hujuſmodi ac notis certam fieri veræ eccleſiæ præſumtionem. *Et ſi quando*, ait, *peregrinatus fueris in civitatibus, ne ſimpliciter requiras ubi ſit dominicum (nam & ceteræ impiorum ſectæ, atque hæreſes, ſuas ipſorum ſpeluncas dominicorum nomine honeſtare nituntur) neque ubi ſit ſimpliciter eccleſia, ſed ubi ſit catholica eccleſia, hoc enim proprium eſt nomen hujus ſanctæ & matris omnium noſtræ.* Tum allatis pro more ſcripturæ teſtimoniis pergit: *Priore namque repudiata, in ſecunda, catholica videlicet eccleſia, DEUS, uti Paulus ait, poſuit primum apoſtolos &c.* Poſtremo autem ad reliquos ſymboli articulos greſſum faciens, in hac ſola eccleſia promiſſas a DEO res obtinendas

b. edicit. *In hac*, inquit (*b*), *ſancta catholica*

(*a*) *N.* 26. D. (*b*) Idem *n.* 28. *p.*298. *D.*

lica eccleſia tum præceptis tum moribus præclaris inſtructi, cælorum regnum habebimus, & hæreditate adipiſcemur vitam æternam.

IV. Adeundus eſt S. CYRILLUS, atque integra ſymboli explicatio ab ipſo haurienda, quam ille fecit ea ipſa in eccleſia, Hieroſolymitana nimirum omnium antiquiſſima, in qua etiam apoſtolicum ſymbolum concinnatum eſſe creditur. Non omnino convenit quidem cum illo, quod in occidente, præſertim Romana eccleſia, pro apoſtolico tradebatur: propius autem conſpirat cum eo, quod Conſtantinopoli poſtea in ſecundo œcumenico concilio fuit confectum, præſidente cum aliis hoc ipſo CYRILLO Hieroſolymorum tunc epiſcopo: cum catecheſes ſuas diu ante, dum necdum eſſet epiſcopus, habuerit pro inſtructione catechumenorum brevi initiandorum: ubi pulcherrime hunc de eccleſia explicat articulum, in quo omnia ſymbola tam orientis, quam occidentis in nulla alia re diſcrepant, quam quod unum plures præ alio notas afferat. Qui eorum collationem videri cupit ex antiquis RUFFINUM, ex recentioribus *Gerardi Joh.* VOSSII Diſſ. I. (*a*) de tribus ſymbolis adeat, ubi tamen majorem, quam par eſt, fingit diverſitatem inter ſymbola

Symbola in quibus conveniant, ac diſcrepent.

a.

Gg bola

(a) Th. 21.

bola apoſtolica orientis & occidentis, ne illorum venerandam deprimat antiquitatem, & ab apoſtolis acceptam auctoritatem.

Antiquitas ſymboli an ſatis firmo nixa talo?

V. Equidem diffitendum non ſit, auctores* quandoque non ſatis aſſertas rationes attuliſſe, quo probarent ab apoſtolis ſymbolum eſſe, qui illud antequam e Palæſtina in totum orbem diſpergerentur, compoſuerint, ita ut quisque ſuam ſymbolam contulerit, eouſque: ut quidam ex dubio, aut de interpolatione ſuſpecto S. AUGUSTINI ſermone ſcire ſe etiam putarint, qui ex ſingulis articulis a ſingulis apoſtolis ſint promulgati. Antiquiſſimi tamen quique Patres IRENÆUS, & TERTULLIANUS, aliique, ut nihil de CLEMENTIS Romani epiſtola dicam, ſymboli mentionem faciunt, in quo eccleſia per univerſum orbem ſeminata uſque ad fines terræ ab apoſtolis, & eorum diſcipulis acceptam cuſtodiat fidem.

Scriptis non traditum ob diſciplinam arcani.

VI. Nec obeſt, quod variationes quædam ſecundum tempora & loca in eo deprehendantur, cum ore ad os ad poſteros tradi ſolitum, atque in tabulis cordis ſcribi ſuetum, a mutationibus ejusmodi alienum penitus eſſe haud potuerit. Nimirum vetuerat arcani diſciplina illud paſſim deſcribi, & a catechu-

menis

menis etiam ex auditu perdiſcendum erat. Teſtatur id S. HIERONYMUS, qui ad PAMMACHIUM ſic ſcribit: *In ſymbolo fidei, & ſpei noſtræ (quod ab apoſtolis traditum non ſcribitur in charta & atramento, ſed in tabulis cordis carnalibus) poſt confeſſionem Trinitatis, & unitatem eccleſiæ, omne chriſtiani dogmatis ſacramentum carnis reſurrectione includitur.* RUFFINUS rem adhuc unacum cauſa movente apertius prodit in expoſitione ſymboli: *Ut certum eſſet, neminem hæc ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles ſolet, ſed ex apoſtolorum traditione didiciſſe.*

VII. Sed, etiamſi probari non poſſet ſymbolum, quod ſub apoſtolorum nomine venit, ab illis prout hodie habetur, deſcendiſſe; ſatis eſt adverſarios negare non poſſe, divinam & apoſtolicam continere doctrinam, nec audere ſymbolum iſtud abjicere, quod totus mundus ſemper ſub apoſtolorum nomine veluti ab eorum manu, ac ore traditum ſuſcepit. Hoc nec ipſe diffitetur CALVINUS, qui de eo ita ſuis in Inſtitutionibus loquitur (*a*): *Neque vero mihi dubium eſt, quin a prima ſtatim eccleſiæ origine, adeoque ab ipſo apoſtolorum ſæculo inſtar publicæ, & omnium calculis receptæ confeſſionis obtinuerit, undecunque tandem initio fuerit profectum,*

Qui etiam ab apoſtolis eſſe negant, apoſtolicam tamen doctrinam continere fatentur.

(*a*) Inſt. L. II. c. 16. §. 18.

factum, quo intellecto de auctore vel anxie laborare, vel cum aliquo digladiari, nihil attinet. Voſſius etiam eos oppugnat, qui ſymbolum apoſtolicum ex Conſtantinopolitano eſſe factum arbitrantur. Et licet neget illud ab apoſtolis compoſitum eſſe, apoſtolicam tamen ei vendicat a. auctoritatem. *Nam*, inquit (*a*), *apoſtolicum dici potuit, quia compendium ſit apoſtolicæ doctrinæ, ac præ ſymbolis aliis, verbis etiam gaudeat apoſtolorum, & evangeliſtarum.* Quam aſſertionem ſuorum etiam comprobat calculo. Poſt Voſſium aliosque Ittigius de ſymbolo apoſtolico ejusque doctrina tractans non ſemel hoc profitetur. *Etſi autem*, quodam loco b. inquit (*b*), *hoc ſymbolum verbotenus ab apoſtolis conditum non ſit, doctrinam tamen apoſtolicam, ut jam ſupra notavimus, in illo contineri certum eſt, etſi ejus verba a multis perverſo ſenſu explicentur.*

Articulus de eccleſia quando ſymbolo inſertus.

VIII. Itaque hoc idem fateantur neceſſe eſt de articulo, cujus gratia hæc omnia ſunt dicta, de eccleſia nimirum. Apud nos illa D. Augustini tenetur doctrina, ut pro apoſtolica traditione habeatur, quod ab univerſa obſervatur eccleſia, nec quo tempore inſtitutum ſit in

(*a*) Voſſius de tribus ſymb. Diſſ. I. T. 21.
(*b*) *Thomas* Ittigius Hiſtor. eccl. primi ſæc. ſelecta capita h. t.

in concilio aliquo ſcitur. Adverſarii noſtri, dum poſterius adjectum ſymbolo hunc articulum autumant, modo fateantur divinam & apoſtolicam continere doctrinam, ut agnoſcunt, adhuc inter nos convenit. Nec tamen certo definire queunt, quando ſymbolo hic articulus fuerit adjectus, haud magis ac reliquorum ſymboli articulorum certam originem valent oſtendere: VOSSIUS epiſcopum clerumque Romanum ejus auctorem facit. Et nos cum D. AMBROSIO agnoſcimus, in eccleſia Romana intemeratam præcipue ab apoſtolis ſymboli traditionem perſeveraſſe: ſic enim ad SIRICIUM ſcribit (*a*): *Eccleſia Romana ſymbolum apoſtolorum intemeratum ſemper cuſtodit & ſervat.* Recte obſervat *Natalis* ALEXANDER (*b*) factum eſſe, quod, cum in aliis eccleſiis ob novellas hæreſes emergentes nonnulla ſymbolo apoſtolico adjecta fuerint, ſola Romana eccleſia, quippe ab ortu novarum hæreſium libera, his additamentis non uſa fuerit. Sunt tamen, qui articulum de eccleſia occaſione certaminum cum Novatianis additum eſſe velint, ſed non probant. Inter hos eſt *Michael* le VASSOR ſuo in tractatu de ratione controverſias de re-

(*a*) L. I. Ep. 7.
(*b*) Diſſ. XI. ſec. I.

eos verba ſymboli amplectendo, alium illis ſenſum affingere quam nos. Sed hoc ipſum eſt hujuſce demonſtrationis objectum, oſtendere, eo modo ſemper intellectum eſſe ſymboli de eccleſia articulum, quomodo etiamnum ſumitur. Qui eo eſt majoris momenti, quod illius deciſio reliqua omnia poſt ſe trahat controverſiæ circa religionem momenta; quocirca maxime laborandum de malo
a. vel bono illius intellectu (*a*).

Nativus articuli de eccleſia ſenſus.

XI. Atqui vero hoc nomine omnes intelligunt ſocietatem, profeſſionem doctrinæ JESU Chriſti facientem, ſeſeque per ejus verbum regentem, ut conſequen-

(*a*) „ Il eſt vrai, qu'ils diſent de bouche, je „ croi l'egliſe catholique ou univerſelle, com„ me les Ariens, les Macedoniens, & les So„ ciniens diſent de bouche, je croi en JE„ SUS - CHRIST, & au Saint-Eſprit. „ Mais comme on a raiſon d'accuſer ceux„ cy de ne croire pas les articles, parce qu'ils „ ne les croient pas comme il faut, ni ſelon „ leur veritable intelligence: ſi on montre „ aux pretendus Réformés, qu'ils ne croient „ pas comme il faut l'article de l'egliſe ca„ tholique, il ſera vrai qu'il rejetteront en „ effet un article ſi important du ſymbole. „ *Benig.* Bossuet *Conference avec M. Claude ſur la matiere de l'egliſe. T. I. Op. p.* 126. 127. Oſtendit autem deinceps in ſymbolo, ubi de ſimplici fidei expoſitione res ſit, terminos in ſenſu maxime proprio, & naturali apud chriſtianos eſſe ſumendum.

quenter eccleſia ſit cœtus exterior, & viſibilis non ſolum prædeſtinatorum aut bonorum. Hoc modo etiam Proteſtantes uſurpare communiter ac paſſim eccleſiæ nomen, pluribus exemplis oſtenditur, tum ex vulgari uſu apud eos, cum etiam ex profeſſionibus fidei. Patetque vocem eccleſiæ in ſenſu proprio, naturali, & uſitato ſignificare ejusmodi exteriorem ſocietatem populi DEI ubi nec hypocritæ, & reprobi ſua malitia queant extinguere titulum, ac denominationem illam. Et ſi quando alia ſignificatione vox eccleſiæ ſumatur, ſemper cum additione aliqua fit, ut dicatur e. g. eccleſia prædeſtinatorum, primitivorum: cum alter illius nativus ſignificatus a gentilibus etiam jam & Judæis uſurpatus, atque hinc ad chriſtianos traductus, ſimpliciter innuat ſocietatem confitentium Chriſtum JESUM, illiusque doctrinam & fidem profitentium: quæque ſit ea eccleſia, adverſus quam portæ inferi non ſint prævalituræ, ſive adverſus eam armentur, eriganturque tyranni, ut perſequantur eam, ſive falſi doctores excitentur, ut eam corrumpant.

XII. In quam dum credere nos ju- Fides ar-
bet ſymbolum, eadem debet eſſe ſemper ticuli de
eccleſia, eoquod fidei articuli ſemper eccleſia e-
iidem tiam no-

tas illius complectitur, & illarum perennitatem.

iidem exiſtant, nec patiantur interruptionem. Secus ac adverſarii interruptum & corruptum ſtatum eccleſiæ dicere debent contra divinas apertiſſimas promiſſiones, & contra rationem fidei ſemper ſubſiſtentis viſibiliter, & ſuum ſplendorem in eccleſia undique diffundentem per notas & characteres ſuos, qui etiam in ſymbolo exprimuntur; ut quilibet poſſit eam dignoſcere, illi ſeſe aſſociare, atque non ſolum ſe concredere, ſed etiam illi, ac in illam credere.

a. *Credimus*, inquit S. AUGUSTINUS (*a*), *& ſanctam eccleſiam, utique catholicam: nam & hæretici & ſchiſmatici congregationes ſuas eccleſias vocant, ſed hæretici de DEO falſa ſentiendo ipſam fidem violant, ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis a fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus. Quapropter nec hæreticus pertinet ad eccleſiam catholicam, quæ diligit DEUM, nec ſchiſmaticus, quoniam diligit proximum.* Sic S. AUGUSTINUS nobis ſymboli articulum de eccleſia exponit. Nec aliter RUFFINUS in expoſitione ſymboli a nobis credi eccleſiam flagitat. *Hi igitur*, inquit, *qui ſupra in uno DEO credere edocti ſunt, ſub myſterio Trinitatis, credere etiam hoc debent, unam eſſe eccleſiam ſanctam, in qua eſt una fides, &*

unum

(*a*) De Fide & Symbolo.

unum baptiſma, in qua unus DEUS creditur Pater, & unus Dominus JESUS Chriſtus Filius ejus, & unus Spiritus ſanctus. Iſta eſt ergo ſancta eccleſia non habens maculam, aut rugam. Multi enim & alii eccleſias congregaverunt, ut Marcion, & Valentinus, & Ebion, & Manichæus, & ceteri omnes hæretici. Sed illæ eccleſiæ non ſunt ſine macula vel ruga perfidiæ: & ideo dicebat de illis propheta: Odi eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo. *De hac autem eccleſia, quæ fidem Chriſti integram ſervat, audi quid dicat Spiritus S. in Canticis canticorum (a):* a.
Una eſt columba mea, una eſt perfecta genitrici ſuæ. *Qui ergo hanc fidem in eccleſia ſuſcipit, non declinet in concilio vanitatis, & cum iniqua gerentibus non introeat.* Sic nobis antiquus hic ſymboli interpres eccleſiam commendat, atque notis conſpicuam demonſtrat. Quemadmodum vero hic unam, & ſanctam nobis declaravit, ita alterum audiamus expoſitorem, qui eadem ratione catholicam oſtendat, atque hoc nomine fidem a nobis in eccleſiam requirat. Eſt is S. Cyrillus hic delapſus in expoſitione ſua ad hunc articulum (b): *Et in unam* b.
ſanctam catholicam eccleſiam. Catholica enim-

(a) Cant. 6.
(a) Catech. XVIII. n. 24.

[illegible], inquit, *vocatur, eoquod per totum orbem ab extremis terræ finibus ad extremos uſque fines diffuſa eſt. Et quia univerſe & absque defectu docet omnia, quæ in hominum notitiam venire debent, dogmata, ſive de viſibilibus & inviſibilibus, ſive de cæleſtibus & terreſtribus rebus. Tum etiam eoquod omne hominum genus recto cultui ſubjiciat, principes & privatos, doctos & imperitos, ac denique, quia generaliter quidem omne peccatorum genus, quæ per animam & corpus perpetrantur, curat & ſanat, eadem vero omne poſſidet, quovis nomine ſignificetur, virtutis genus in factis & verbis, & ſpiritualibus cujusvis ſpeciei donis. Eccleſia vero aptiſſimo vocabulo appellatur, quod omnes convocet, & una cogat &c.* Viden' quod tum hic, tum ſuperiores ſymboli expoſitores conſpirent cum ſuperius a nobis relatis doctoribus, ac patribus circa notas ſanctæ eccleſiæ DEI, quæ tantæ exiſtere apud nos auctoritatis debet, ut fidem a nobis haud ſecus ac divina repoſcat myſteria: idque quatenus notas illas præſefert, quæ hucuſque a nobis ſunt explicatæ, & in ſymbolis expoſitæ, ut ſit ſancta, catholica juxta apoſtolorum ſymbolum, cui deinceps Cpolitana, quod addidit, implicite quidem jam in ſuperioribus contentum erat, optimo tamen conſilio ex-

preſſe

preſſe & explicite eſt appoſitum: ut pateat eandem, catholicam eccleſiam non eſſe aliam quam apoſtolicam, hoc eſt veram illam ab apoſtolis & ſuper apoſtolos fundatam ipſo ſummo angulari lapide Chriſto JESU.

XIII. Unum adhuc eſt quo adverſarii veritati fucum facere contendant exprobrantes nobis, quod non tantum eccleſiæ in omnibus, ſed in eccleſiam quoque credendum eſſe velimus. Certe ita concilii Cpolitani Patres profitentur adſtipulantibus aliis etiam auctoribus: quamvis contra alii ſint, qui hoc diſcrimen inter myſteria divinitatis, & alia dogmata faciendum velint, ut in priore genere tantum particula *In* ſit uſurpanda. Sed de hoc nihil intereſt, quidquid teneatur: etiam Patres Tridentini in recitatione ſymboli Cpolitani hanc omiſerunt particulam: idemque in catechiſmo hujus concilii factum. Et nobis perinde eſt, ſive credat quis in eccleſiam, ſive eccleſiam, ſive eccleſiæ dummodo eam agnoſcat eſſe columnam & firmamentum veritatis, atque pro vera habeat eccleſiam, quæ nobis certis notis pro tali in ſymbolis credenda proponitur: tum huic eccleſiæ in ſingulis, quæ nobis proponit, credat quis. Hoc ſolum, ſi fiat, ſufficit.

Qualis a nobis fides in eccleſiam requiratur.

CAP. XV.

ſonius, quod certum & determinatum numerum notarum conſtitui non poſſe oggerat, hincque ea certitudine in re tanti momenti exquirenda deſtitui nos clamet.

Notæ hæ ſimul omnes in eccleſia vera reſplendeſcere debent.

III. Illud poſtremo monendum eſt, veram eccleſiam, has notas omnes poſſidere: cum fieri poſſit unam alteramque convenire hæreticorum etiam conventiculis. Quemadmodum & inter latrones unitas aliqua reperitur, & gentilium error latiſſime patuit, ut & hodie Mahumedaniſmus: hæreſes etiam jam quædam apoſtolorum temporibus fuerunt, quas poſtea & nuper reſuſcitarunt Novatores.

Ubi notæ explicatæ, ibi vera eccleſia & vera doctrina.

IV. Tenendum ergo ubi hactenus explicatæ, & aſſertæ notæ reperiuntur, ibi veram eſſe eccleſiam. Ubi autem vera eſt eccleſia, veritatem dogmatum omnium ad fidem ſpectantium ſimul ibi haberi, non eſt dubitandum: cum vera eccleſia faciat neceſſariam veræ doctrinæ præſumtionem. Veriſſimum eſt, fatetur vel ipſe CHEMNITIUS (a), veram eccleſiam a vera doctrina ſeu fide non poſſe ſejungi: illa eſt enim vera eccleſia, quæ veram, & ſanam doctrinam verbi DEI amplectitur & profitetur. Ad hanc igitur generalem de eccleſia, reduci poteſt omnis controverſia. Cum enim præ-

(a) Exam. conc. Trid. P. I. p. 78.

præjudicium veritatis pro ſe habeat, pronum eſt evictumque, vera eſſe omnia dogmata, quæ proponit credenda: dummodo ſe inſtructam notis veræ eccleſiæ oſtendat. Qualis certe una eſt, ac eſſe poteſt illa ipſa, quam nos demonſtramus: aliæ enim vel hinc produnt ſe has notas pro ſe non habere, quod eas contra omnem antiquitatis fidem nolint agnoſcere.

Quæ notæ uni ſoli convenire poſſunt.

V. Soli catholici ſe ſuopte nomine produnt, atque veram penes ſe eccleſiam cum veris notis oſtendunt. Quæ eccleſia uti reipſa univerſalis eſt, ac latiſſime patens, undique ſe extendit; ita hoc nomine a ſuis primordiis ſemper fuit inſignita, ac catholica dicta: quam cum ſolam fundarint apoſtoli in univerſum abeuntes orbem, ac eccleſiam conſtituentes, apoſtolicam ſe probat conſtantiſſime in fide ab apoſtolis tradita perſeverans, & ſemper divino auxilio invicta, utpote adverſus quam portæ inferi non ſint prævaliturae. Unde etiam debuit ſemper eſſe ſancta, DEO nunquam ſinente, ut, contra promiſſa, in ſua eccleſia aliquid falſi quoad doctrinam fidei, aut injuſti quoad mores traderetur, quamvis ſingularia membra non ſemper juxta eccleſiæ regulas agerent. Cum contra nulla ſecta ſit vel Pagano-

rum, vel Mahumedanorum, vel hæreticorum, quæ exploratos quosdam non contineat errores. Quales ne in vera eccleſia ſerpant, unitatis illius ratio efficit, quæ habet uniusmodi regulas ad decidendas fidei, morumque controverſias, atque unitatis centrum cum auctoritate, & vinculo communionis mutuo conjunctum, in quo totum eccleſiæ corpus ſibi unitum manet: quo apud reliquas ſectas deficiente, mutuæ ortæ ſunt diſſenſiones, contradictionesque, clariſſimum falſæ eccleſiæ teſtimonium. Sed hæc veluti ἐν παρόδῳ. Solum enim præjudicium, quod adverſarii noſtri has notas non agnoſcant, ut dixi eos convincit, penes ſe illas vel ipſis non diffitentibus haud reperiri: quare ſi earum firmitatem porro aſſeruerimus, jam cauſam obtinuerimus.

CAPUT XVI.

Citatos teſtes, & aſſertores notarum prædictarum non ex ſuo eas cerebro, ſed ex ſcriptura deſumſiſſe.

I.

Contra hæreticos ex ſcripturis ſtatuenda

Sæpe inculcavimus eas notas, & criteria, quæ veram Chriſti eccleſiam a ſpuriis quibusvis, & hæreticis diſcriminant, ex ſcripturis peti debere contra hære-

hæreticos, apud quos ſcripturæ aucto- ritas valet. Quemadmodum enim ſi cum philoſophis, talibusque, qui præter rationis ductum nihil ſuſcipiunt; ex ipſo humani intellectus promtuario deſumenda ſunt momenta, ſi debeant de veritate religionis convinci; ita illi omnes, qui ſemel Chriſto nomen dederunt, & ſcripturis credunt, his armis ſunt debellandi: quare cum nobis cum ejusmodi res ſit, qui eo etiam ſcripturas crepent, ut nos veluti de neglectu illarum traducant: faciendum cumprimis hoc eſt, ut notas ecclesiæ veræ ab illis, quos earum vindices, & teſtes jam inde a prima antiquitate laudavimus, ex ſcripturis non ex ſuo cerebro depromtas conſtet. Cui rei quidem ſufficerent, quæ jam antea a nobis ſunt allata & dicta; tamen quia Neotericis noſtris ita videtur, ut omnem prorſus SS. Patrum auctoritatem deſpiciant, nec niſi ſcripturam ſuſcipiant, docendi ſunt, hos maximos veritatis teſtes, ſcripturas præ manibus, oculisque habuiſſe, dum ſcripſerunt. Earum autem intellectum eo eſſe certius aſſecutos, quod iis temporibus, quæ puriora, ipſis fatentibus adverſariis, fuerunt, aut vixerint, aut ea proxime conſecuti ſint.

Criteria veræ ecclesiæ.

II. Et quidem quos primos laudavimus S. Clementem Romanum, ac

Antiquiſſimi nihil que ſcri-

[illegible]

IGNATIUM, quid illi aliud proferre potuiſſent, niſi a Chriſto, atque apoſtolis hauſtum, quibuscum familiariter diu vixerunt: quorum etiam ſcripta ſingulis periodis citant. Quod quidem textus ex illis prolati produnt, in quibus vel tacite ad ſcripturæ loca reſpiciunt, vel ea aperte proferunt. Sic CLEMENS plura coacervat teſtimonia ex epiſtolis PAULI, & omnibus evangeliis pro unitate eccleſiæ, & contra ſchiſmatis malum. Ex veteri etiam teſtamento exempla accumulat, ut tum mala ſchiſmatis, ac unitatis eccleſiaſticæ commoda, ac fructus charitatis chriſtianæ exponat, tum etiam falſam quorundam perſuaſionem tollat de ſanctitate omnimoda in ſingulis eccleſiæ membris, præſertim præpoſitis, quam nullus unquam error aut peccatum maculet: quales quidam ſuperbi eccleſiam & ejus miniſtros requirebant. Quibus S. Pontifex opponit exempla etiam ſanctiſſimorum ac DEO gratiſſimorum hominum, qui nihilominus variis lapſibus & noxis obnoxii fuerint. S. IGNATIUS non minus copioſus eſt in omnibus iis, quæ ex illo pro illuſtrandis eccleſiæ notis attulimus, ex ſcriptura demonſtrandis, ſententiis & exemplis ex novo & veteri teſtamento ſermonem ſuum replens: præſertim pro ea ne-

ceſſaria

ceſſaria eccleſiæ unitate, quæ epiſcoporum ac præpoſitorum auctoritate ac communione ceu cardine vergit. Univerſim vero ex his duobus ſanctiſſimis auctoribus complurium ſententiarum auctoritas vindicatur, quas illi eccleſiæ, eccleſiaſticoque ſtatui, ac corpori vendicant, & attribuunt, quæ alias adverſariis noſtris parum ad rem viderentur; at ab hiſce ſodalibus diſcipuliſque apoſtolorum robur accipiunt.

Unitas eccleſiæ a S. CYPR. contra JURIEI articulos fundamentales ex ſcripturis aſſerta.

III. Eccleſiam ſic unam eſſe, ut nullus in ea poſſit eſſe locus ſchiſmati, aut hæreſi, qualiscunque etiam error ſit ſcindens eccleſiæ pacem, & unitatem, CYPRIANUS tot, & tantis ſcripturarum monumentis adſtruit, ut os obſtruat illis recentioribus, qui paucis fundamentalibus conſtitutis articulis cæterarum rerum fidem impune negligi poſſe ſibi perſuadent. Novatianos enim aberraſſe in præſtitutis a ſe articulis haud credo, dicent: & tamen eos ad eccleſiam non pertinere ſcripturarum teſtimoniis multis oſtendit ad MAGNUM quemdam ſcribens, a quo de hac re fuerat conſultus (*a*).

Hh 3 IV. Se-

(a) „De qua re (inquit S. CYPR. *L. I. Ep. VI.* „ ad MAGNUM) quantum fidei noſtræ capaci- „ tas, & ſcripturarum divinarum ſanctitas, ac „ veritas ſuggerit, dicimus: Omnes omnino „

Unitas generatim ex ſcripturis comprobata a S. Cypr.

IV. Sequitur deinceps apud S. Cyprianum univerſim unitatis eccleſiaſticæ demonſtratio ex ſcripturis. *Quod autem eccleſia una ſit, declarat in Cantico canticorum* (Cap. VI.): *Spiritus ſan-*

ctus

„ hæreticos & ſchiſmaticos nihil habere pote„ ſtatis, ac juris . . . neque enim Dominus, „ noſter JESUS Chriſtus, cum in evange„ lio ſuo teſtaretur, adverſarios ſuos eſſe „ eos, qui ſecum non eſſent, aliquam ſpe„ ciem hæreſeos deſignavit, ſed omnes o„ mnino hæreticos, qui ſecum non eſſent, & „ ſecum non colligentes, gregem ſuum ſpar„ gerent, adverſarios ſuos eſſe oſtendit di„ cens: (*Matth. XII.*) *Qui non eſt mecum, ad„ verſum me eſt: & qui mecum non colligit,* „ *ſpargit.* Item beatus JOANNES apoſtolus, „ nec ipſe ullam hæreſim aut ſchiſma diſcre„ vit; (1. *Jo. II*, 18. 19.) *Audiſtis quia anti„ chriſtus venit, nunc autem antichriſti mul„ ti facti ſunt. Unde cognoſcimus, quia no„ viſſima hora eſt: ex nobis exierunt, ſed non „ fuerunt ex nobis, ſi enim fuiſſent ex nobis, „ manſiſſent nobiſcum.* Unde apparet adver„ ſarios Domini antichriſtos omnes eſſe, quos „ conſtet, a charitate, atque ab unitate ec„ cleſiæ catholicæ receſſiſſe. „ Ex eo etiam textu MATTHÆI in præſens argumentum ratiocinatur: „ *Si eccleſiam non audierit, ſit ti„ bi ſicut ethnicus & publicanus.* (*Matth.* „ *XVIII*) Si autem (inquit) qui eccleſiam „ contemnunt, ethnici & publicani habentur, „ multo magis utique rebelles, & hoſtes fal„ ſa altaria, & illicita, & ſacrificia ſacrile„ ga, & nomina adulterata fingentes inter „ ethnicos & publicanos neceſſe eſt compu-

ctus ex perſona Chriſti dicens: *Una eſt columba mea, perfecta mea, una eſt matri ſuæ electa genitrici ſuæ. De ea item denuo dicit* (Ibid. *IV.*) *hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, fons ſignatus, puteus aquæ vivæ.* Quod ſi autem adverſarii ſuſcipere nolint hæc firmamenta, quibus etiam S. OPTATUS non uno in loco, & alii ad præſens argumentum utuntur, eoquod S. CYPRIANUS illis abutatur ad rejiciendum hæreticorum baptiſma: alia alibi coligentem teſtimonia audiamus: *In eccleſia*, inquit (fol. 20.) de NOVATIANO loquens, *non eſt, nec epiſcopus computari poteſt, qui evangelica & apoſtolica traditione contemta nemini ſuccedens, a ſeipſo ortus eſt. Habere namque aut tenere eccleſiam nullo modo poteſt, qui in eccleſia ordinatus non eſt. Foris enim non eſſe eccleſiam; nec ſcindi adverſum ſe, aut dividi poſſe, ſed inſeparabilis, atque individuæ domus unitatem tenere manifeſtat ſcripturæ divinæ fides, cum de ſacramento paſchæ & agni, qui agnus Chriſtum deſignabat, ſcriptum ſit*:

tentur, quanto minora peccantes, & tantum eccleſiæ contemtores ethnici & publicani ſententia Domini judicentur." Vide integrum S. CYPR. locum inferius a nobis proferendum, quando ex inſtituto de hac re ſermo habebitur: qui tamen hic omitti non debuit ob firmiſſima argumenta ex ſcripturis elicita.

In domo una comedetur, non ejicietis de domo carnem foras. (Ex. XII.) *Quod item circa Raab, quæ ipſa quoque typum portabat eccleſiæ, expreſſum videmus, cui mandatur & dicitur:* (Joſ. II.) Patrem tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui colliges ad te ipſam in domum tuam, & omnis qui exierit oſtium domus tuæ foras, reus ſibi erit. *Quo ſacramento declaratur in unam domum ſolam, id eſt, in eccleſiam victuros, & ab interitu mundi evaſuros colligi oportere.* Si hæc, eoquod allegorica ſint, fidem non mereantur ab hæreticis, ex eodem S. Patre plana, aperta, & nativa ex novo Teſt. percipiant. *Quod apoſtolus Paulus* (Tit. III.), inquit eodem loco, *explanat docens, & præcipiens, hæreticum vitandum eſſe ut perverſum & peccatorem, & a ſemetipſo damnatum, hic eſt enim, qui reus ſibi erit, non ab epiſcopo ejectus, ſed ſponte de eccleſia profugus & hæretica præſumtione a ſemetipſo damnatus. Et idcirco Dominus inſinuans nobis unitatem de divina auctoritate venientem ponit & dicit:* (Jo. X.) Ego & Pater unum ſumus: *ad quam unitatem redigens eccleſiam ſuam denuo dicit:* (Ibid.) & erit unus grex, & unus paſtor. *Si autem grex unus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in*

numero gregis non eſt, aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero paſtore, & in eccleſia DEI ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & a ſe ipſo incipiens alienus fit, & profanus dominicæ pacis, ac divinæ unitatis inimicus non habitans in domo DEI, id eſt in eccleſia DEI, in qua non niſi concordes, atque unanimes habitant? loquente in pſalmis Spiritu ſancto, & dicente: (*Pſ. LXVII.*) DEUS qui inhabitare facit unanimes in domo. Myſtica deinceps affert exempla de corpore & ſanguine Chriſti in Euchariſtia, quæ ſilentio præterea ob rationes duas ſuperius indicatas. Unicum adhuc in medium producam teſtimonium, quo ex ſcripturis unitatem eccleſiaſticam firmat, alia enim innumera præſertim ex libro de unitate eccleſiæ, qui totus in hoc verſatur, accumulare ſupervacaneum foret: eſt hic locus ex epiſtola S. Martyris ad univerſam plebem de presbyteris quibusdam ſchiſmaticis, ad quos cavendos hortatur, & eccleſiæ unitatem commendat, adſtruitque haud obſcure animo reſpiciendo ad illam PAULI ſententiam: (*Eph. V.*) ex qua in libro de unitate eccleſiæ, ut ſupra retulimus, unitatem eccleſiæ aſſeruit. *DEUS*, inquit, *unus eſt, & Chriſtus unus, & una eccleſia, & cathedra una ſuper Petrum Domini vo-*

ce fundata. Aliud altare conſtitui, aut ſacerdotium novum fieri, præter unum altare, & unum ſacerdotium non poteſt. Quisquis alibi collegerit, ſpargit. Quæ ſententia ad id quidvis valet, quod nos de fonte, & centro unitatis eccleſiaſticæ ſupra diximus; ad quam normam hæc eadem S. CYPRIANUS (fol. 139.) in libro de unitate eccleſiæ accipit, illas evangelicas ſententias explicando, quibus PETRUS ſingulariter petra eccleſiæ conſtituitur; Chriſtum nimirum unam cathedram conſtituiſſe, & unitatis ejusdem originem ab uno incipientem diſpoſuiſſe, ut unitatem manifeſtaret.

Sanctitas in vera eccleſia cujusmodi ſit ex mente IRENÆI, in ſcripturis manifeſtata.

V. Quemadmodum priorum eccleſiæ ſæculorum hæretici plerumque gnoſin, & ſcientiam, neſcio quam, reconditam jactare ſolebant; ſic, qui hos conſecuti ſunt ſchiſmatici, Novatiani, Donatiſtæ, Meletiani, Luciferiani ſanctitatem ementiri amarunt: quare qui contra hos diſputarunt, hanc eccleſiæ affectionem minus attigerunt, quod alio loco a nobis obſervatum. S. IRENÆUS, qui has omnes turbas, & ſciſſuras ætate prævertit, mihi hic laudandus venit, a quo nobis ex ſcripturis veræ eccleſiæ ſanctitatis fons & origo oſtenditur Spiritus ſanctus, ſuæ ſanctificationis multiplicibus donis, ſeptiformisque gratiæ muneribus eccle-

ſiam

ſiam beans. *Per eam*, ſunt Irenæi (*a*) verba, *quæ ſecundum ſalutem hominis eſt*, *ſolitam operationem, quæ eſt in fide noſtra, quam perceptam ab eccleſia cuſtodimus, & quæ ſemper a Spiritu DEI, quaſi in vaſe bono eximium quoddam depoſitum invenеſcens, & juveneſcere faciens ipſum vas in quo eſt. Hoc enim eccleſiæ creditum eſt DEI munus, quemadmodum ad inſpirationem plaſmationi ad hoc, ut omnia membra percipientia vivificentur: & in eo diſpoſita eſt communicatio Chriſti, id eſt, Spiritus ſanctus arrha incorruptelæ, & confirmatio fidei noſtræ, & ſcala aſcenſionis ad DEUM.* In eccleſia enim, *inquit* (*b*), poſuit DEUS apoſtolos, prophetas, doctores, & *univerſam reliquam operationem Spiritus: cujus non ſunt participes omnes, qui non currunt ad eccleſiam, ſed ſemetipſos fraudant a via, per ſententiam malam, & operationem peſſimam: ubi enim eccleſia, ibi & Spiritus DEI, & ubi Spiritus DEI, illic eccleſia & omnis gratia: Spiritus autem gratia, quapropter qui non participant eum, neque a mamillis matris nutriuntur in vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem: ſed effodiunt ſibi* (*c*) *lacus detritos de foſſis terrenis, & de*

(*a*) L. III. contra hæreſ. c. XXIV. n. 1. f. 222. 223.
(*b*) 1. Cor. XII. 28.
(*c*) Jerem. II. 13.

de cœno putidam bibunt aquam, effugientes fidem eccleſiæ, ne traducantur, rejicientes vero Spiritum ut non erudiantur. Ecce igitur Spiritus ſanctus ſcaturigo ſanctitatis perenniter in eccleſiam exuperantis docens nos omnem veritatem, ut enim S. Paulus ait (*a*): *nemo poteſt dicere Dominus JESUS, niſi in Spiritu S.* chariſmata etiam diſtribuens ſecundum diviſionem donorum, *qui operatur omnia in omnibus: unicuique autem datur manifeſtatio Spiritus ad utilitatem.* Hic ergo ſanctificator Spiritus ſoli eccleſiæ ad mentem Irrenæi conceſſus, apud ſectarios, alienosque ab germana eccleſia juxta eundem non invenitur, neque de illo ii participant, qui a mamillis matris eccleſiæ non nutriuntur, quales ſunt hæretici, qui ipſi fidei cujusdam novæ conditores effodiunt ſibi lacus detritos: igitur ſunt pſeudo-apoſtoli, pſeudo-prophetæ, pſeudo-doctores; & quidquid chariſmatum Spiritus ſancti ſibi vendicant, mentiuntur, effugientes fidem eccleſiæ.

Catholicam debere eſſe eccleſiam ex ſcripturis Optatus Hier. & Aug. demonſtrant

VI. Cum omnis fere ſacræ ſcripturæ pagina loquatur & prænunciet per univerſum mundum DEI eſſe dilatandam eccleſiam (*b*), jam a primis chriſtiani nomi-

(*a*) I. Cor. XII. 4.

(*b*) Ἐν ὅλῃ τῇ οἰκουμένῃ. *Matth. XXIV. 14.* Ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. *Ib. c. XXVI. 13.* Εἰς ὅλον τὸν κόσμον. Ib. XIV. 9.

nominis temporibus catholica dici cœpit Chriſti eccleſia: quare ex hoc nomine petitum, fortiſſimum ſemper habitum eſt argumentum contra omnes novitates, quæ licet nonnunquam latiſſime ſerperent, ab uno tamen aliquo progreſſæ angulo pullularunt. *Ubi erit*, arguit Donatiſtas OPTATUS (*a*), *proprietas catholici nominis, cum inde dicta ſit catholica, quod ſit rationalis, & ubique diffuſa? nam ſi ſic pro voluntate veſtra in anguſtum coarctatis eccleſiam, ſi univerſas ſubducitis gentes, ubi erit illud, quod Filius DEI meruit? ubi erit quod libenter ei largitus eſt Pater, in ſecundo pſalmo dicens:* Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ? *ut quid tale infringitis promiſſum? ... permittite Filium poſſidere conceſſa: permittite Patri promiſſa complere ... & in pſalmo LXXI. de ſalvatore ſic ſcriptum eſt:* Dominabitur a mari uſque ad mare, & a flumine, uſque ad terminos orbis terrarum. *Pater dum donat, nihil excipit: vos ut concedatis totam libram auferre conamini ... quid mendacem videri vultis Spiritum ſanctum, qui in Pſ. XLIX. omnipotentis DEI benevolentiam narrat, dum dicit:* DEUS deorum Dominus locutus eſt, & vocavit terram,

ab

(*a*) L. II. c. 1. f. 29. &c.

ab ortu ſolis uſque ad occaſum. *Vocata eſt ergo terra, ut caro fieret, & ſicut legitur facta eſt, & debet laudes creatori ſuo. Denique commemoratur Spiritu ſancto hortante, & dicente in CXII. pſalmo, dum dicit :* Laudandum nomen Domini ab ortu ſolis uſque ad occaſum : *& iterum in pſalmo XCV.* Cantate Domino canticum novum. *Si hunc verſum ſolum diceret, poſſetis dicere, quia vos ſolos hortatus eſt Spiritus ſanctus ; ſed ut oſtenderet, quia non ad vos ſolos dictum eſt, ſed ad eccleſiam, quæ ubique eſt, ſecutus eſt dicens :* Cantate Domino omnis terra. Pronunciate in gentibus gloriam ipſius, in omnibus populis mirabilia ejus. Hæc ex pſalmis ſolum colligit teſtimonia OPTATUS de eccleſia catholica futura, id eſt per univerſum orbem diffundenda. S. PACIANUS tum iisdem utitur teſtimoniis ſcripturæ, cum aliis etiam ad notas eccleſiæ, præſertim ejus per orbem diffuſionem, demonſtrandam contra SEMPRONIUM Novatianum, & ſic ubique ſcripturam ſonat, ut conſultius ſit lectorem ad eundem ablegare, quam aliquid iſthic referre. S. AUG. ſuis contra Donatiſtas lucubrationibus, tum ſingulatim lib. de unit. eccleſiæ (*a*), ex cæteris etiam ſacris libris con-

(*a*) S. AUG. T. IX. f. 340. 344. &c.

coacervavit, quæ apud eundem legi poſſunt. Idem S. HIERONYMUS contra Luciferianos pertractat argumentum: ex quo non poſſum non laudare unam aliquam ſententiam, qua ſimul ea firmantur, quæ ſuperius de ſanctitate eccleſiæ dicta ſunt, quam defeciſſe ex orbe etiam Luciferiani contenderunt; qua in re, cum jam mitiorem haberet HIERONYMUS colloquentem ſecum, & diſputantem Luciferianum (a): *Gratulor*, ait eum affatus, *tibi*, *& Chriſto DEO gratias ago, quia animo bono falſitatis ardore ad totius orbis te ſaporem contuliſti, nec dicis more quorumdam* (b): Salvum me fac Domine, quoniam defecit ſanctus: *quæ vox impia crucem Chriſti evacuat* (c), *DEI Filium ſubjugat diabolo, & illam comploratíonem, quæ a Domino de peccatoribus prolata eſt, nunc de univerſis hominibus dictam intelligit* (d): quæ utilitas in ſanguine meo, dum deſcendo in curruptionem? *ſed abſit, ut fruſtra DEUS mortuus ſit. Alligatus eſt fortis, & vaſa ejus direpta ſunt* (e). *Allocutio Patris impleta eſt.* (f) Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ, apparuerunt fontes

a.
b.
c.
d.
e.
f.

tes

(a) S. HIER. cont. Lucif. *T. I. c. VI. f.* 200.
(b) Pſ. XXI. (c) Pſ. XI. (d) Pſ. XXIX.
(e) Matth. XII. (f) Pſ. II. 17.

tes aquarum, & revelata ſunt fundamenta orbis terrarum. In ſole poſuit tabernaculum ſuum, hec eſt, qui ſe abſcondit a calore ejus. *DEO plenus pſalmiſta (a) canit:* Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates eorum deſtruxiſti: *& ubi quæſo iſti ſunt nimium religioſi, imo nimium prophani, qui plures ſynagogas aſſerunt eſſe, quam eccleſias? quomodo deſtructæ ſunt diaboli civitates, & in fine, hoc eſt in ſæculorum conſummatione, idola corruerunt? ſi eccleſiam per totum orbem diffuſam non habet Chriſtus, aut ſi in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus eſt.*

Scripturæ teſtimonia de eccleſia in orbem diſpergenda clariſſima ſunt.

VII. Quod vero forte contendant, hæc non aperte de eccleſia futura prolata aut figurate dicta, ſatisfaciam his non meo, ſed S. AUGUSTINI (b) ore: *Dicant ea teſtimonia, quæ poſui ex lege & prophetis, & pſalmis obſcura eſſe, & figurate dicta, etiam aliter poſſe intelligi... numquid de hoc obſcure dictum eſt: aut ænigmatis velamento inumbratum eſt: quod ipſe Chriſtus dixit* (c): quia ſcriptum eſt, & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſio-

(a) Pſ. XVIII. Pſ. IX.
(b) De unit. eccl. c. X. T. IX. f. 358.
(c) Luc. XXIV. 46.

ſionem peccatorum, per omnes gentes incipientibus a Jeruſalem? . . . *Si obſcurum eſt* Super omnem terram gloria tua: *numquid obſcurum eſt*, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes? *ſi obſcurum eſt*, & vocavit terram a ſolis ortu uſque ad occaſum: *numquid obſcurum eſt*, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remiſſionem omnium peccatorum per omnes gentes? *ſic enim terra vocata eſt a ſolis ortu uſque ad occaſum, quemadmodum ipſe ait:* Non veni vocare juſtos, ſed peccatores in pœnitentiam. *Si obſcurum eſt*, ex Sion ſpecies decoris ejus: *numquid obſcurum eſt* incipientibus a Jeruſalem . . . *Certe niſi in lege, & prophetis, & pſalmis hoc prædictum eſſet, ſive in eis teſtimoniis, quæ ipſe adhibui, ſive in aliis, nequaquam dixiſſet Dominus* (*a*)*:* Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moysi, & prophetis, & pſalmis de me. *Teneamus ergo eccleſiam ex ore Domini deſignatam, unde cæptura, & quouſque perventura eſſet, cæptura ſcilicet ab Jeruſalem, & perventura in omnes gentes.*

S. Augustinus pro eccleſia in ſcri-[cut off]

VIII. Hæc S. Pater tum alibi tum toto de unitate eccleſiæ libro graviſſime inculcat, ingeminatque. Atque hac

(*a*) Ibid.

tam aperte commendata præjudicium veritatis colligit.

via non ſolum contra Donatiſtas veram demonſtrat catholicam eccleſiam ex S. Scripturæ tum veteris cum novi teſtamenti paginis, quin & controverſiam circa dogma, & fidem (qua Donatiſtæ etiam hæretici erant repudiando baptiſmum extra eorum ſocietatem ſuſceptum) auctoritate eccleſiæ, cui ſcriptura tam apertum reddat teſtimonium, finiendam ſciſcit: cum de illa quæſtione ſcriptura
a. nihil aperte ſtatuat. *Quodſi*, inquit (*a*), *nolunt intelligere, ſufficit nobis, quod tenemus eccleſiam, quæ manifeſtiſſimis ſanctarum, & canonicarum ſcripturarum teſtimoniis demonſtratur... cum in ſcripturis non inveniamus aliquos ad eccleſiam tranſiiſſe ab hæreticis, & ſicut ego dico, aut ſicut tu dicis eſſe ſuſceptos; puto ſi aliquis ſapiens extitiſſet, cui Dominus Chriſtus teſtimonium perbiberet, & de hac quæſtione conſuleretur a nobis, nullo modo dubitare deberemus id facere, quod ille dixiſſet, ne non tam ipſi, quam Domino Chriſto, cujus teſtimonio commendabatur, repugnare judicaremur. Perhibet autem teſtimonium Chriſtus eccleſiæ ſuæ. Ecce evangelicum, lege ubi ait*, oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus

(*a*) S. Aug. de unit. eccl. n. 62. &c. p. 380. C.

tibus a Jeruſalem. *Quomodo ergo ſuſcipit iſta eccleſia per omnes gentes incipientibus ab Jeruſalem, remotis omnibus ambagibus & tergiverſationibus, ſic ſuſcipiendus es. Quodſi non vis, non mihi, aut cuipiam hominum, qui te vult ita ſuſcipere, ſed ipſi Salvatori contra ſalutem tuam perniciosiſſime reluctaris, qui te ſic ſuſcipiendum eſſe non vis credere, quemadmodum ſuſcipit illa, quam teſtimonio ſuo commendat ille, cui fateris nefarium eſſe non credere.* Hæc & alia complura cum eſſet ſecundum ſcripturas pro eccleſiæ notis, & auctoritate proſecutus, tandem rem totam unacum libro concludit: *Quapropter vos chariſſimi, quibus hanc epiſtolam ſcribo, præceptum paſtoris, qui animam ſuam poſuit pro ovibus ſuis, & nunc glorificatus & exaltatus ſedet ad dexteram DEI Patris, corde fideliſſimo & firmiſſimo retinete dicentis:* Quæ ſunt oves meæ, vocem meam audiunt, & ſequuntur me. *Audiſtis ejus vocem manifeſtiſſimam, non ſolum per legem ejus & prophetas, & pſalmos, ſed etiam per os proprium commendantis eccleſiam ſuam futuram, & ea quæ prædixit, quemadmodum ex ordine conſecuta ſint, in actibus & litteris apoſtolorum, quæ divinarum ſcripturarum canonem complent, legendo perſpicitis. Non eſt obſcura quæſtio, in qua vos fallant, quos ipſe Dominus prædixit futuros,*

turos, atque dicturos: Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, ecce in deſerto, *quaſi ubi non eſt frequentia multitudinis, ecce in cubiculis quaſi in ſecretis traditionibus atque doctrinis: habetis eccleſiam ubique diffundi, & creſcere uſque ad meſſem. Habetis civitatem, de qua ipſe, qui eam condidit, ait*, non poteſt civitas abſcondi ſuper montem conſtituta. *Ipſa eſt ergo, quæ non in aliqua parte terrarum, ſed ubique notiſſima eſt. Hæc temporales aliquando etiam in ſuis frumentis patitur tempeſtates, ut in quibusdam locis non agnoſcantur, ſed tamen etiam illic latent, neque enim falli poteſt divina ſententia, quoniam creſcunt uſque ad meſſem. Itaque & in aliis gentibus ſæpe nonnulla membra eccleſiæ prævalentibus, & ſchiſmatum ſeditionibus preſſa, atque obumbrata ſunt, & tamen quia inerant, paulo poſt nullo dubitante claruerunt.* Demum ab ipſis Donatiſtis pro ſua eccleſia ejusmodi manifeſta ſcripturæ teſtimonia requirens de perennitate eccleſiæ perorat: *Vos autem innitentes tot evidentiſſimis teſtimoniis legis, & prophetarum, pſalmorum, ipſius Domini, & apoſtolorum de ſancta eccleſia toto terrarum orbe diffuſa exigite ab iſtis, ut oſtendant de Africa, quod attinet ad partem Donati, aliqua manifeſta de canonicis libris teſtimonia. Neque enim, ſicut jam dixi,*

ullo modo fieri poſſet, ut eccleſia, ſicut dicunt, & quod abſit, tam cito ex tot gentibus peritura, tot teſtimoniis tam ſublimiter & tam indubitanter prædicaretur, & de iſta, quam volunt, ſua, quæ uſque in finem, ſicut contendunt, permanſura erat, taceretur.

IX. Ex quibus & illud apertiſſime patet, quod de apoſtolica origine eccleſiæ ultimo jam dicendum reſtat. Non enim Chriſtus dixit cœpturam eccleſiam, & perventuram in omnes gentes aliunde, quam ex Jeruſalem, ubi cum apoſtoli tum erant, ab illis tantum erat diffundenda in terram, *præmunire voluit aures noſtras*, inquit S. Aug. (*a*), *adverſus eos, quos procedentibus temporibus exſurrecturos eſſe prædixerat, & dicturos* (*b*), Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic. *Quibus ne crederamus admonuit. Nec ulla vobis excuſatio eſt, ſi exciderimus contra vocem paſtoris tam claram, tam apertam, tam manifeſtam.* Sed adhuc manifeſtius rem hanc in ſequentibus declarat, viamque omnem illis præcludit, qui ſuccedentibus poſt primam evangelici ſeminis diſperſionem temporibus novum ſemen ſpargere tentarent, dictitantes bonum ſemen undique ex agro dominico di-

Apoſtolicam eccleſiam quomodo ex ſcripturis SS. Patres demonſtrarint.

a.

b.

(*a*) Ib. c. XI. f. 355. n. 28.
(*b*) Matth. XXIV. 25.

a. diſparuiſſe. (*a*). *Sed quam non permittantur ſaltem quærere, aliquid quo probent eſſe prædictum deficientibus a fide chriſtiana ceteris gentibus in ſola Africa eccleſiam remanſuram, attendant illud, quod ſæpe commemoravi, utraque creſcere uſque ad meſſem, & agrum eſſe mundum, meſſem finem ſæculi, non nobis, ſed ipſo Domino interpretante parabolam ſuam. Eſt & aliud evidentiſſimum . . . ſunt adhuc nonnullæ gentes, in quibus nondum eſt evangelium prædicatum: neceſſe eſt autem impleri omnia, quæ de Chriſto, & eccleſia prædicta ſunt: oportet ergo & in eis prædicari . . . cum autem impletum fuerit, veniet finis. Sic enim Dominus ait:* & prædicabitur hoc evangelium regni in univerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, & tunc veniet finis.

Imprimis TERTULLIANUS.

X. TERTULLIANUS inter primos fuerat, quorum ſuperius teſtimonia poſuimus ad notas veræ eccleſiæ conſtituendas ex pulcherrimo illius de præſcriptionibus opere: quo in libro illud palmare habet, de quo modo tractamus, unde contra hæreticos omnes præſcribit (*b*). *Hinc igitur*, inquit, *dirigimus præſcriptionem: ſi Dominus JESUS Chriſtus apoſtolos miſit ad prædicandum; alios non eſſe recipiendos*

b.

(*a*) Ib. *n*. 43. *f*. 367. Vide quæ de hac re infra dicentur.

(*b*) TERTUL. de præſcript. hær. c. VI.

dos prædicatores, quam (*a*) *quos Chriſtus inſtituit: quia nec alius Patrem novit, niſi Filius, & cui Filius revelavit: & nec aliis videtur revelaſſe Filius, quam apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per easdem eccleſias, quas ipſi apoſtoli condiderunt* (*b*). *Ipſi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quam per epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis eccleſiis apoſtolicis matricibus, & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam, & ſine dubio tenentes, quod eccleſia ab apoſtolis, apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a DEO ſuſcepit, reliquam vero omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem eccleſiarum, & apoſtolorum, & Chriſti & DEI.* Idem TERTULLIANUS, uſus PAULI teſtimonio, jam antea monuerat: nihil nos *eligere* debere, id eſt αἱρεῖσθαι unde hæreſis, quod ab apoſtolis non ad nos delatum ſit. *Hæreſes*, inquit (*c*), *dictæ Græca voce ex interpretatione electionis, qua quis ſive ad inſtituendas, ſive ad ſuſcipiendas eas utitur ... nobis vero nihil ex noſtro arbitrio inducere licet, ſed nec eligere, quod aliquis de*

(*a*) Matth. X. Luc. X.
(*b*) 2. Theſ. II.
(*c*) Ibid. c. VI.

de arbitrio ſuo induxerit. Apoſtolos Domini habemus auctores, qui nec ipſi quidquam ex ſuo arbitrio, quod inducerent, elegerint; ſed acceptam a Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignaverunt. Itaque
a. *(a) etiamſi angelus de cælis aliter evangelizet, anathema diceretur a nobis.* Ad eandem ſententiam hunc PAULI locum VINC. Lirinenſis ediſſerit, ſed longiore ſermone, quam ut hic inſeri queat: legantur capita 12. 13. 14. 15. 16. Commonitorii.

Et VINCENTIUS Lirinenſis.

XI. Finiam hanc materiam alio VINCENTII loco huc cumprimis faciente, & aptiſſimo, quem ipſe poſuit, poſtquam idem, in quo verſamur, argumentum ſtudioſiſſime proſecutus eſt: *Quæ cum*
b. *ita ſint*, verba ſunt VINCENTII (*b*), *iterum atque iterum eadem mecum revolvens, & reputans, mirari ſatis nequeo, tantam quorumdam hominum veſaniam, tantam excæcatæ mentis impietatem, tantam poſtremo errandi libidinem, ut contenti non ſint tradita ſemel & accepta antiquitus credendi regula, ſed nova ac nova in diem quærant, ſemperque geſtiant aliquid religioni addere, mutare, detrahere, quaſi non cæleſte dogma ſit, quod ſemel revelatum eſſe ſufficiat, ſed terrena inſtitutio, quæ aliter perfici, niſi aſſidua emendatione, imo potius repre-*

hen-

(*a*) Gal. I.
(*b*) Commonit. CXXVI.

henſione non poſſet: cum divina clament oracula (*a*): Ne transferas terminos, quos a.
poſuerunt patres tui. *Et* (*b*) ſuper judicantem ne judices. *Et* (*c*) ſcindentem b. c.
ſepem mordebit eum ſerpens. *Et illud apoſtolicum, quo omnes omnium hæreſeon ſcelerata novitates, velut quodam ſpirituali gladio ſæpe truncatæ, ſemperque truncandæ ſunt.* O (*d*) TIMOTHEE, depoſitum d.
cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt. Adi VINCENTIUM hæc copioſiſſima oratione diducentem.

CAPUT XVII.

Vindicantur hæ notæ veræ eccleſiæ contra objectiones hæreticorum.

I.

Objiciunt adverſarii, has veræ eccleſiæ notas & criteria a ſimplicibus capi non poſſe, ab aliis fide divina credi nequire, nec ſufficere ad inveniendam eccleſiam. Sed facile totum hoc revincitur: Infantes enim, quamprimum bal-

Oſtenditur de eccleſia articulum cuique hominum generi aptum ac neceſſarium eſſe.

 butire

(*a*) Prov. XXII. (*b*) Eccl. VIII.
(*c*) Eccl. X. (*d*) 1. Tim. VI.

butire diſcunt, & aliquem rationis uſum nanciſcuntur in ſymbolo docentur cum aliis præcipuis fidei chriſtianæ capitibus credere in eccleſiam, eamque catholicam, quam ab omnibus audiunt ſic nominari ac indigitari. Et quamvis initio ita auctoritate parentum ac catechiſtarum credant; tamen fide haud minus divina credunt, quam articulum e. g. de DEI Incarnatione &c. hoc diſcrimine, ut ſucceſſive cum ætatis profectu creſcente rationis lumine magis ac magis evidentiam credibilitatis in notis veræ eccleſiæ deprehendant: nunquam quidem via auctoritatis deſerta, quam eo magis ſibi quisque neceſſariam agnoſcet, quo minus ſapientia, & eruditionis ſacræ apparatu ſe ſimplex inſtructum ſentit. Attamen evidentiam credibilitatis ſemper quisque pro modo ſuo inveniet in notis, videlicet in multitudine credentium, ac catholici nominis amplitudine, ſanctitate miraculorum, doctrinæ, & eorum, qui eam ſectantur, agnitione impletarum prophetiarum de extenſione eccleſiæ, & flore in toto orbe, in ſcrutatione ſcripturæ, perveſtigatione traditionis eccleſiaſticæ, conſenſu SS Patrum &c. Ut adeo cuique pro ratione capacitatis ſuæ ſit perſpectus ac evidenter credibilis ex notis ſuis articulus de eccle-

ſia:

ſia ; ac cuique etiam ſimplici ſufficiens affulgeat lumen ad inveniendam eccleſiam, eique firmiſſime adhærendum, apud quam veram DEUS depoſuerit religionem : ut vel ipſa potiſſimum ſimplicium incapacitas divinam providentiam ad ſtatuendam aliquam auctoritatis viam impellere debuerit, ne ullus juſtam accuſationem afferre poſſit non conſervatæ veræ religionis (*a*). a.

Vindicatur teſtium a nobis ſuperius pro eccleſia adductorum auctoritas.

II. Dicunt porro eorum, quorum nos pro ſtatuendis notis attulimus, auctoritatem ad præſentem rerum ac religionis ſtatum nihil facere, aliam nunc eſſe cauſam

(*a*) „ Si enim, (inquit S. Augustinus, de util. credendi. *c.* 16.) non præſidet rebus humanis, nihil eſt de religione ſatagendum : ſin vero & ſpecies rerum omnium quam profecto ex aliquo veriſſimæ pulchritudinis fonte manare credendum eſt, & interiori neſcio qua conſcientia DEUM quærendum DEOque ſerviendum, meliores quoſque animos publice privatimque hortatur : non eſt deſperandum ab eodem ipſo DEO auctoritatem aliquam conſtitutam, qua velut gradu certo innitentes attollamur in DEUM. Hæc enim ſepoſita ratione, quam ſinceram intelligere, ut ſæpe diximus, difficillimum ſtultis eſt, dupliciter nos movet : partim miraculis, partim ſequentium multitudine, nihil horum ſapienti eſſe neceſſarium quis negat ? ſed id nunc agitur, ut ſapientes eſſe poſſimus, id eſt, inhærere veritati. „

effuſam ac olim. IRENÆUM ac TERTULLIANUM contra hæreticos egiſſe neſcio quam arcanam traditionem ab apoſtolis venditantes, ut hinc neceſſe fuerit ad apoſtolicas traditiones & traducem fidei provocare. S. CYPRIANUM eccleſiis ſe etiam præcipuis, ipſique Romanæ oppoſuiſſe. Teſtimonia OPTATI, PATIANI, HIERONYMI, AUGUSTINI contra Novatianos, Donatiſtas, & Luciferianos prolata non quadrare. Ipſum S. AUGUSTINUM haud minus ſanum de eccleſia conceptum, quam Donatiſtas habuiſſe, eventu & ſubſecutorum temporum hiſtoria comprobante. VINCENTII Lirinenſis methodum diſſentientium placita ad examen revocandi plane non convenire cum methodo, quam Romanæ eccleſiæ doctores commendant. Hæc illi, ac ex illis præcipue *Michael* le VASSOR ſuo de ratione controverſias de religione examinandi tractatu. Ad quæ nos breviter, quin longius ſingulorum diſcuſſioni non neceſſariæ immoremur, reſpondemus: Hos omnes venerandæ antiquitatis, ſanctitatiſque pleroſque viros, hæc omnia juxta ſacræ ſcripturæ atque adumbratæ in ea eccleſiaſticæ formæ præſcriptum, ac rationem perennem ſibique conſentientem uſque ad conſummationem ſæculi ita deſcripſiſſe.

Ac

Ac priores quidem illi, habuerunt præ ſe adverſários, qui non ſolum ad arcanam traditionem provocarunt, ſed etiam ad ſcripturam, quamvis plerumque non integram, uti noſtri adverſarii eorum exemplo faciunt, atque idcirco jure a nobis iisdem armis ac illi oppugnantur. S. Cyprianum etiam in errore ſuo ſtudioſiſſimum fuiſſe unitatis eccleſiaſticæ conſervandæ notum eſt, qua cum unitate is conſtanter conjunctas cæteras eccleſiæ notas declaravit. Quod reliquos ſpectat, qui contra ſchiſmata ſuorum temporum ſcripſerunt, ſi res probe conſideretur, patebit, qui hodie ſeceſſionem fecerunt, non ſolum ob ſimile ſchiſmatis crimen, ſed etiam in cauſis ſchiſmatum, quatenus eccleſiam ſpectabant, cum illis convenire: ut qui paria de eccleſiæ membris, de eccleſiæ in orbem diſperſæ corruptione ac defectione ſentiant, maxime cum Donatiſtis, quos imprimis S. Augustinus tam ſolide apertiſſima ſcripturarum auctoritate revicit. Quod Vincentii Lirinenſis methodum ſpectat, quam etiam Dallæus libro de vero uſu Patrum inceſſit, quoad veræ eccleſiæ unius, catholicæ & apoſtolicæ cum vera religione & fide neceſſitudinem ac nexum attinet, hunc ille congruenter cum reliqua antiquitate ſtatuit,

tuit,

tuit, id eſt cum illis, quos nos laudavimus, qui in ſcripturis ſcrutandis & exponendis aſſidui genuinum illum circa eccleſiam ſenſum aſſeruerunt, quem ſequitur hodiè eccleſia catholica, profiteturque in publicis ſymbolis, ac confeſſionibus fidei, ſicuti omnibus retro temporibus obtinuit.

Incaſſum dicunt has notas non ſoli eccleſiæ Romanæ convenire.

III. Pergunt & arguunt, ſi etiam agnoſcere deberent has notas, & characteres veræ eccleſiæ, cum tamen eas aliæ etiam vendicare ſibi nitantur eccleſiæ, Græca e. g. ſibi necdum conſtare, quænam ex his ſingulis id præſumentibus vera ſit ſponſa; cum præſertim eccleſia Græca inde ab apoſtolis multo clariſſima effulſerit, & hodie licet preſſa, per magnam tamen orbis partem extendatur. Nam hi habent ab ortu ſolis Conſtantinopolitanum, & tres alios patriarchatus: a ſeptentrione Moſcoviæ univerſum & Lituaviæ partem, hoc eſt albam Ruſſiam & rubram &c. Tantum hic ad reſponſionem contra adverſarios noſtros, opus eſt in memoriam revocare ſchiſmatis cauſam, ob quam ingens hæc eccleſiæ orientalis ab occidentali ſciſſio eſt facta, ea autem præcipua præter ſedium patriarchalium ambitionem, æmulationemque, eſt dogma de proceſſione Spiritus ſancti a Filio, additioneque hujus dogma-

dogmatis ad ſymbolum, quo intrinſecam fidei naturam Græci ſchiſmatici immutatam clamant. Atqui vero hunc errorem Græcorum nobiſcum damnant adverſarii, conſequenter præcipuam ſchiſmatis culpam, ac cauſam penes illos agnoſcere debent, faterique eos eſſe reos unitatis fractæ, & ſanctitatis doctrinæ peſſumdatæ, ac perditæ ſic duplicis notæ: cum ea ſit vera eccleſia, quæ omnes ſimul poſſidet, nec ſine unione membrorum & conſpiratione in doctrina conſiſtere queat corpus eccleſiaſticum, ut hinc mirum non ſit in tot ſectas, & hæreticas ſocietates ipſam hanc orientalem ſcindi eccleſiam utpote unitatis centro deſtitutam.

Contra unitatem eccleſiæ, ejusdemq; unitatis conſervationem hæreticorum objectiones.

IV. At unionem illam membrorum cum capite, nec non conſpirationem in doctrina apud nos iisdem artibus ſuſtentari ajunt, quibus Mahumedana ſuperſtitio, tyrannide ſæviſſima, vivicomburio, ignorantia, gliſcentibus interim inteſtinis diſſidiis (*a*), diſſenſionibus, ſchiſmatibus animorum, opinionum, & ſcriptorum. Inter ethnicos etiam fortem hunc armatum orbem in pace & unione continuiſſe; cultus vero diverſitatem haud abſimilem obtinuiſſe, quæ apud ordines religioſos conſpicitur. *Pa-*

gani,

(*a*) Vid. OWENUM Theologumena *L. I.* c. 9.

a. *gani, teſte ipſo Auguſtino* (*a*), inquiunt, *colentes multos deos diverſos imo litigantes; atque inter ſe hoſtili odio ardeſcentes, tenent tamen in iis qualemcunque unitatem, cum pariter eant ad eorum templa diis ipſis iratis.*

Reſponſio: ubi de pœnis ſuppliciisque hæreticorum.

V. Sed mera eſt ſycophantia, vi, & tyrannide conſervari unitatem eccleſiæ. Quod apud adverſarios potius uſuvenit quoad exteriorem eccleſiæ ſtatum, dum interim libertate conſcientiæ nervum omnem unitatis fidei ſuccidunt, qui magiſtratibus curam, & regimen omne eccleſiaſticum committunt? Imo, quod in Anglia cernitur, regem caput eccleſiæ faciunt: ut & fœmimæ in hunc cenſum veniant, quando ad ſceptrum vocantur. Quod Elisabethæ illi ſapientiſſimæ ipſimet indignum primo viſum, donec frontem poſuit. Sed ut ad rem præſentem revertamur, fuit hæc diſciplina omnium temporum poſtquam religio chriſtiana ſævis dirisque perſecutionibus emerſit, ut illi qui novis, & hæreticis doctrinis eccleſiam vexarent, vi, mulctis, & ſuppliciis reprimerentur: apoſtatæ enim, ac novarum rerum molitores, iique qui contra eccleſiam ſeſe exerunt, & ad eccleſiaſticum judicium ſpectant in ordinem redigendi ſunt,

ne

(*a*) Serm. de Jejun.

ne dum impune graſſantur, viruſque ſuum ſpargere permittuntur, latiùs ſerpat malum. Sic pii principes jam olim CONSTANTINUS, & HONORIUS, aliique faciendum ſibi putarunt. Habent & Neoterici (ut alia integrarum etiam nationum, & regnorum exempla taceam, in quibus non quævis indiſcriminatim religionis ſectæ tolerantur) in ſuo CALVINO exemplum, qui SERVETUM Genevæ vivum comburi fecit, ſeque de hoc facto, ſcripto purgavit: Donatiſtæ olim ſimiliter debachati ſunt eas in leges, quibus mitiora quidem, ut inquit S. AUGUSTINUS, in eos conſtituta ſunt propter manſuetudinem chriſtianam, quos is falſe exagitat (*a*):

(*a*) „ Ita ſane (inquit *Epiſt.* 48. ad VINCENTIUM) huic proviſioni contradicere debui, » ne res, quas dicitis veſtras, perderetis, & » ſecuri Chriſtum proſcriberetis, ut jure Romano teſtamenta conderetis, & jure divino conditum teſtamentum (ubi ſcriptum eſt, » *in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*) » calumnioſis crimiationibus rumperetis, ut » in emptionibus & venditionibus liberos » contractus haberetis, & vobis dividere, » quod Chriſtus emit venditus, auderetis, ut » quod quisquam veſtrum cuiquam donaſſet, » valeret, & quod donavit DEUS deorum a » ſolis ortu uſque ad occaſum vocatis filiis » non valeret. Ut de terra corporis veſtri » in exilium non mitteremini, & de regno »

Contra libertatem conſcientiarum.

VI. Sed noſtris ipſi pleriſque in locis quid non in eos, qui ſua caſtra deſerunt, decernunt? Et tamen undique libertatem conſcientiæ inculcant: quæ libertas ſeminarium tot religionum eſt, omnisque unionis certa ruina. De hac audiant diſputantem S. AUGUSTINUM, & confundantur ejus rationibus, ſi auctoritatem detrectant: *Fruſtra dicis*, inquit (*a*), *relinquar libero arbitrio. Cur enim non in homicidiis, & in ſtupris, & in quibusque aliis facinoribus, & flagitiis libero te arbitrio dimittendum eſſe proclamas? quæ tamen omnia juſtis legibus comprimi, utiliſſimum ac ſaluberrimum eſt. Dedit quidem DEUS homini liberam voluntatem, ſed nec bonam infructuoſam, nec malam voluit impunitam, quisquis chriſtianum, inquis, perſequitur, Chriſti eſt inimicus. Verum dicis, ſi non hoc in illo perſequitur, quod Chriſto eſt inimicum.* Recte igitur rebelles eccleſiæ, & falſas doctrinas ſpargentes in officio continentur, nec ſua cuique ſentiendi libido impunita, & libera relinquitur, qui ſemel intra chriſtianum ovile ſeſe recepit, pacemque chriſtianam, & unitatem turbat: aliter cum Judæis,

„ ſanguinis ſui, a mari uſque ad mare, &
„ a flumine uſque ad terminos orbis terræ Chri-
„ ſtum exulem facere conaremini.

(*a*) Cont. CRESC. Donat. *L. III. C. LI. T. XI. f.* 464.

Judæis, Mahumedanis, gentilibus agimus, actumque eſt, non enim ad fidem compelluntur.

VII. Ex his patet, quam inique nobis tyrannidem corporalem & ſpiritualem objiciant: cum potius laudabile ſit, imo neceſſarium, homines refragarios non ſolum in vitiis voluntatis, ſed etiam intellectus ad normam & officium revocare, atque per correctiones ad agnitionem veritatis perducere. *Quid ergo mirum*, ſunt verba S. AUGUSTINI (*a*), *ſi homines ſapientes, cum viderunt, contra obduratæ conſuetudinis pertinaciſſimam vetuſtatem propoſita ſibi eſſe damna & exilia, conſideraverunt, utrum pro parte Donati contra eccleſiam catholicam, hoc eſt pro figmento humano contra opus divinum perpeti iſta deberent, & ſe utique non debere viderunt, atque iſtam quam vocatis perſecutionem, cognoverunt ſibi eſſe correctionis occaſionem.* Ita ſe gerere debuiſſent, qui noſtro ævo non ſunt permiſſi, ac prohibiti etiam pœnis, errores ſequi, & a fide naufragium pati: aut ſi etiam conſcientia fuiſſent prohibiti, debuiſſent ſaltem alia ratione, quam vi armorum ſicut ubique fecerunt, ſuas ſectas ſtabilire. Unde patet eos eſſe potius Mahu-

Qui, ſi pro religione juſte pœnas ſufferant, ſe corrigere, ſi injuſte, patientiæ præmium exſpectare debebant.

(*a*) Contra GAUDENT. Donat. *L. I* n. 43. *T. IX. p.* 659.

humedanis ſimiles, quam nos, qui nullibi niſi per vim & arma ſuas ſocietates fixerunt, & confirmarunt: cum debuiſſent, ſi verum habuiſſent chriſtianiſmi Spiritum, more eccleſiæ primis ſæculis oppreſſæ, omnia ſuſtinere, & ſanguine etiam ſuo religionem propagare (*a*)

VIII. Ne-

(*a*) „ Quapropter & vos, (ſunt S. Augustini de unit. eccl. n. 55. verba) ſine tu-
„ multu animi, ſine turbulenta contentione,
„ ſine amaritudine odiorum conſiderate di-
„ ligenter ea, quæ contra vos reges noſtræ
„ communionis conſtituunt, qua cauſa patia-
„ mini. Et ſi vos in eccleſia Chriſti eſſe in-
„ veneritis, gaudete & exultate, quia mer-
„ ces veſtra multa eſt in cœlis. Vos enim
„ tanquam martyres coronamini: illi autem
„ tanquam perſecutores martyrum judicantur.
„ Si autem vos contra eccleſiam Chriſti alta-
„ re erexiſſe, & a chriſtiana unitate, quæ
„ toto orbe diffunditur, ſacrilego ſchiſmate
„ ſeparatos eſſe, & corpori Chriſti, quod
„ eſt eccleſia toto orbe diffuſa, & rebaptizan-
„ do & blaſphemando, & quantum pote-
„ ſtis, oppugnando, adverſari ſancta & ca-
„ nonica ſcriptura convincit, vos impii at-
„ que ſacrilegi, illi autem qui vos pro tanto
„ ſcelere tam leniter damnorum admonitioni-
„ bus, vel locorum, vel honorum, vel pe-
„ cuniæ privatione deterrendos, coercendos-
„ que decernunt, ut cogitantes, quare iſta
„ patiamini, ſacrilegium veſtrum cognitum
„ fugiatis, & ab æterna damnatione libere-
„ mini, & rectores diligentiſſimi, & con-
„ ſultores piiſſimi deputantur.

VIII. Neque autem, ut dictitant, hoc unitatis eccleſiaſticæ eſt fundamentum, ſed ordo & connexio membrorum inter ſe, & cum capite, ejusdem doctrinæ conſpiratione, in illis rebus, quæ ad fidei neceſſitatem ſpectant, cum in aliis opinari, & diſſentire inter ſe poſſint homines, modo in illis conveniant, quæ ad eccleſiæ fidem pertinent.

Unitatis eccleſiaſticæ cardo, ejusque ab ethnica unitate diverſitas.

IX. Quare falſo inter ſectas ethnicorum philoſophorum, & diverſa inſtituta ordinum religioſorum comparationem inſtituunt. An ut inter ſe ſecernuntur illi, qui DEUM negant, aut providentiam, animam cum corpore perire voluptatemque ſummum bonum conſtituunt, eodem modo inter ſe diviſi ob diverſa vitæ inſtituta, habendi ſunt religioſorum ordines? Qui unanimes in domo, dum omnes perfectionem a chriſtiano in evangelio requiſitam conſectantur, ad eandem vero perfectionem diverſis viis currunt? Qui centrum unitatis agnoſcunt, & eccleſiam audiunt? Quod ex AUGUSTINO afferunt, ac ſi gentiles, & ipſi unitatis ſpeciem præſetulerint, ex eodem fonte confutatur. Quid enim refert locus idem, ſi diverſiſſimæ ſint opiniones de diis, aliisque rebus ſacris: neque S. AUGUSTINUS de poſteriore hac unitate ſer-

Calumnia de diverſis ordinibus & ſectis refutatur.

monem habet, quæ eſt fundamentum & origo unitatis catholicæ.

Sanctitatem parem non eſſe apud ethnicos & Mahumedanos.

X. Adhuc levius eſt, quod ſanctitatem partim eccleſiæ noſtræ catholicæ eripere conantur, partim eam inepte a nobis notam veræ eccleſiæ conſtitui calumniantur. Quod ut obtineant, debacchantur in cleri, religioſorumque quorumvis, aut etiam catholici populi vitia, depravatos mores, ut multo major apud ethnicos ſecundum philoſophiæ præcepta vitæ ſanctitas eorum opinione videri potuerit. HOTTINGERUS in hiſtoria ſua orientali apud ipſos etiam Mahumedanos ſanctiorem vitam quam apud noſtrates deprehendiſſe ſibi viſus eſt. *Ipſi judicent adverſarii*, inquit, *ex illis, quæ ex Arabum nunc monumentis afferemus, nonne majus ſæpe, & virtutum ſtudium, & vitiorum odium præſeferant Mahumedani, quam pontificiorum plerique religioſi.* Miracula, aut lumen propheticum, ſi ad veritatem eccleſiæ catholicæ firmandam, aſſerendamque afferimus, ex ethnicis ſcriptis nobis PYTHAGORAM, APOLLONIUM, oracula, SYBILLAS item proferunt, ne hæc ſingularia nobis putemus, & non etiam ethnicis communia. *Innumera* (inquit OWENUS (*a*), *ſunt hujus generis miranda, quæ Diodorus, Livius, Polybius, Plu-*

a. (a) Theol. L. I. c. 9. p. 121.

Plutarchus, *Cicero*, *Plinius*, *Suetonius*, *Tacitus*, *Cæſar*, *Pauſanias*, *Dionyſ. Halicar*: *ſparſim recenſent &c.*

XI. Quod primo vitia, & morum perverſitatem objiciunt, Donatiſtarum querelas renovant, ad quæ reſponſum ſatis ab illis, qui contra Donatiſtas ſcripſerunt, AUGUSTINO, & aliis. Falluntur, quando nos perſonarum attendere putant potius ſanctitatem, quam ipſius doctrinæ, legum, rituum, & cæremoniarum, Sacramentorum, myſteriorum; quæ tamen ſanctitas ſic etiam in membris compluribus reſidet, ut ſplendeſcat inſigniter, pulcherrimaque ſpecie omnium oculos perfundat. *Eccleſia una eſt*, inquit (*a*) S. OPTATUS, *cujus ſanctitas de ſacramentis colligitur, non de ſuperbia perſonarum ponderatur.* Quod de ethnicis addunt, fieri potuiſſe haud negamus, ut nonnunquam inter eos nonnulli extiterint, qui ab enormioribus criminibus alieni fuerint; dum tamen ab illis etiam philoſophis, qui præ cæteris meliora vitæ, morumque inſtituta ſunt ſectati, multa ſint probata, & factitata, quæ regulis ſanæ rationis adverſantur. Idem de Mahumedanis non minus valet.

Reſponſio: Sanctitas propria eccleſiæ quænam ſit?

a.

XII. Si miracula vero, & propheticum lumen putant, nihil pertinere magis ad

Miracula, Prophetiæ.

(*a*) Lib. II. de ſchiſ. Donat.

noſtræ religionis veritatem oſtendendam, quam ad ethnicam perfidiam, neceſſe eſt, damnent utrasque veteris & novi teſtamenti paginas, Chriſtumque, qui talia fecit, & a ſuis, ſi fiduciam haberent, patranda prædixit. Sed eouſque non abeunt: agnoſcunt miracula veræ doctrinæ præbere argumentum, referturque ſcripta nuper a Heumanno doctiſſimo Lutherano ad Benedictum XIII. Pontificem epiſtola de ſparſo rumore miraculorum hujus S. Pontificis, vultque, ſi authenticum de illis proferatur teſtimonium, victas veritati dare manus. Audio reſponſum non retuliſſe Roma Heumannum, nec opus hoc fuit, ſatis enim hodie canonizationis Sanctorum, atque antecedentium omnium ſæculorum hiſtoria eos convincere deberet. Cum nos facile ex omni ævo quosdam miraculis aliisque ſingularis ſanctitatis, & gratiarum S. Spiritus donis illuſtres viros ac fœminas poſſimus oſtendere, quibus tum doctrinæ noſtræ veritas ſanctitasque ex vera non ementita vitæ ſanctitate ſecundum genuina evangelii principia comprobetur. Cujusmodi dona in hæreſiarchis, falſisque doctoribus & ſectatoribus religionum heterodoxarum nuſpiam reperiuntur, nec reperta ſunt in primis reformatoribus. Apud nos

vero

vero eo ipſo tempore, quo LUTHERUS Romanam deſeruit eccleſiam, & deinceps viri in aſſerendis noſtris dogmatibus occupati ſanctitate vitæ & etiam miraculis claruerunt; & uſque ad noſtra tempora ſucceſſive ejusmodi miracula exhiberi poſſunt in canonizatione Sanctorum aſſertiſſima.

XIII. Succedit objectio adverſus nomen Catholicum, ut nimirum indicium, & nota veræ eccleſiæ ſit multitudo credentium in univerſum orbem diſperſa: quam majori veri ſpecie notam olim Gentiliſmi eſſe potuiſſe affirmant. Dum conſtat orbem omnem inundaſſe idololatriæ mania, nec apud parvum populum Judaicum verum DEI ſemper obtinuiſſe cultum.

Objectio hæreticorum: Nomen Catholicum meliore jure olim Gentiliſmo congruiſſe.

XIV. Sed conſideraſſe juvat, hanc nos ideo notam conſtituere, quod hæc in univerſum orbem evangelii diſſeminatio, & dilatatio prædicta, promiſſaque ſæpiſſime in veteri teſtamento haud minus, quam novo ſit. Fidem igitur adhibentes canonicis ſcriptis contra quasvis novas exſurgentes ſectas hæreticas, quæ eccleſiæ in orbem diſperſæ bellum indicunt, ſcripturas vero nobiſcum admittunt, ejus eccleſiæ ſtabilitatem, quæ ſit in orbem diffuſa, defendimus.

℞. Catholicum nomen notam haberi eccleſiæ, quia in ſcripturis talis futura fuit prænunciata.

Opponunt hæretici gentiles antiquitatem apoſtolica longe ſuperiorem jactare poſſe.

XV. Unde etiam in promptu eſt reſponſio ad eam objectionem, qua quartam a nobis conſtitutam eccleſiæ notam inceſſunt, dum veram oſtendimus, quod nullum ejus exordium aliud oſtendi poſſit, quam quo ab apoſtolis uſque ad hæc tempora, nunquam interrupta ſerie, propagata ſit: atque ad hoc firmandum perpetuam proferimus epiſcoporum ſucceſſionem, cum econtra hæreticæ quæcunque eccleſiæ non ab apoſtolis, ſed aliis auctoribus contra apoſtolicam inſtitutionem enatæ pullularint: præſertim autem contra heri exortas hæreſes antiquitatem apoſtolicam opponere ſolemus. Dicunt ergo: non minus hoc ſibi Gentiliſmum vendicare, idololatricum errorem eſſe vetuſtiſſimum, illius etiam ignorari initia: *Superſtitionis idololatricæ initia*, in-
a. quit OWENUS (*a*), *in hunc uſque diem plane ignorantur. Ab ortu autem ejus ad prædicatum evangelium, duo minimum millia annorum fluxiſſe non dubitatur, neque umquam interrupta fuit ejus profeſſio.* Romanos gentiles addunt, ſummorum ſuorum pontificum perennem ſucceſſionem haud minus ſic poſſe jactare, quemadmodum & Mahumedani Caliphatus, quam nos noſtrorum pontificum. Etiam eccleſiam Romanam utpote antichriſtianam

(*a*) Theolog. Lib. IV. c. 9.

nam ipſis haud invitis duraturam, donec ille venerit, qui eam deſtruet Spiritu oris ſui, quod de antichriſti interitu notatum ſit.

XVI. Falluntur, dum ſolam antiquitatem, perennemque durationem, & ſucceſſionem a nobis notam eccleſiæ conſtitui putant. Non vaga, incerta, & obſcura eſt hæc antiquitas, perennitasque, ſed ſuos natales determinatos habet, parenteſque, quos ipſi hæretici ſuſpiciunt, & ab his fundamenta eccleſiæ in orbe terrarum jacta concedunt, in æternum duraturæ, contra quam portæ inferni non ſint prævalituræ, cui ipſe affuturus ſit uſque ad conſummationem ſæculi. Ii, qui generoſi ſanguinis ſtem̃a oſtendere volunt, certam propaginem exhibent a nobili ſtirpe, a magnis heroibus deductam, ſic eccleſia noſtra proſapiam ſuam inde ab apoſtolis repetit, quos fidei in orbem diſſeminatæ auctores, & parentes agnoſcimus omnes. Non igitur ſolum a nobis nota ſtatuitur perennis duratio eccleſiæ, & ſucceſſio pontificum, ſed talis, quæ ab apoſtolis proceſſerit, & producta ad nos uſque ſit. (*a*)

V. Apoſtolicam antiquitatem & proſapiam notam eccleſiæ eſſe, quia ab apoſtolis fundata eccleſia perenniter manſura.

XVII.

(*a*) „ Non oportet (verba ſunt S. IRENÆI contra hæreſes *L. III. c.* 4. *n.* 1. *fol.* 178.) adhuc quærere apud alios veritatem, quam facile eſt ab eccleſia ſumere; quum apo- »

Eccleſia a Chriſto ſecundum divinas promiſſiones ſemper conſervatur.

XVII. Semper eccleſiæ ſuæ providet DEUS ſecundum divinas ei factas promiſſiones, ut in totum orbem diſperſa ætatem ſuam perpetua ſucceſſione epiſcoporum producat: cum contra hæreſes innovationis ſuæ tempora ceu in fronte omnes gerant. Nec eſt quod nobis adverſarii objiciant puſillum gregem, qualem ſuam aliquando eccleſiam vocavit

„ ſtoli quaſi in depoſitarium dives pleniſſime „ in eam contulerint omnia, quæ ſint veritatis: uti omnis quicunque velit, ſumat ex „ ea potum vitæ. Hoc eſt enim vitæ introitus; omnes autem reliqui fures ſunt, & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos, quæ autem ſunt eccleſiæ cum „ ſumma diligentia diligere, & apprehendere „ veritatis traditionem. Quid enim? & ſi „ de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet, „ nonne oporteret in antiquiſſimas recurrere „ eccleſias, in quibus apoſtoli converſati ſunt, „ & ab eis in præſenti quæſtione ſumere quod „ certum, & re liquidum eſt? „ (Tum hæreticorum novitatem perſtringit:) „ Ante „ VALENTINUM non fuerunt qui ſunt a „ VALENTINO; neque ante MARCIONEM „ erant qui ſunt a MARCIONE; neque omnino „ erant reliqui ſenſus maligni, quos ſupra enumeravimus, antequam initiatores, & inventores perverſitatis eorum fierent... Unusquiſque eorum, cujus participatus eſt ſententiæ, ejus & pater, & antiſtes apparuit. „ Omnes autem hi multo poſteriores mediantibus jam eccleſiæ temporibus inſurrexerunt „ in ſuam apoſtaſiam.

vit Chriſtus, continuo addendo , quod complacuerit Patri dare illis regnum: alius vero eſt grex electorum, alius hominum in eccleſiam convocandorum: de illo dicitur, quod pauci ſint electi, de hoc, quod multi vocati, atque in eccleſiam per totum orbem diffuſam conſociandi, ſub paſtoribus perenni ſerie, inde ab apoſtolis ſibi ſuccedentibus, qualem ſucceſſionem nunquam defeciſſe conſtat, integra ſimul perſiſtente veræ fidei traduce. Verum eſt excitaſſe nonnunquam inferi portas ejusmodi tempeſtates, quæ viderentur eccleſiæ naviculæ naufragium minari; at DEUS nunquam diu graſſari permiſit ejusmodi procellas, ſed excitatus veluti e ſomno precibus ſuorum, ac memor promiſſionum ſuarum, ſedat ac componit ventos, uſque ad conſummationem ſæculi cum ſua perſiſtens eccleſia, quam nunquam ſic deſerit, quin re & nomine Catholica eſſe perſeveret, atque unitatem, ſanctitatemque ſuam primævam, id eſt ab apoſtolis uſque acceptam ac cuſtoditam integram conſervet.

XVIII. Objiciunt Angli, & ſi qui alii epiſcopalem dignitatem, ſed æqualium omnium inter ſe præſulum ſtatuunt; primis ſæculis nullum fuiſſe centrum externæ unionis, eoquod quælibet ec- *Objectio Anglorum contra centrum unitatis.*

cleſia

ſibili : quæ caput ac centrum unitatis, etiam viſibile requirit, ut ſic vinculum eccleſiæ per orbem diſperſæ conſiſtere queat. Chriſtum enim eſſe centrum unitatis eccleſiæ totius tam hujus quam alterius vitæ in cœlo nullus chriſtianorum dubitat; ſed convenit eccleſiæ hic viſibili, ac militanti in terris relictæ vicarium relinqui caput ac centrum unitatis, cujus communione eccleſia conſociaretur, ac reſplendeſcert collecta radiorum vi, ſolis inſtar obſcurantis, quidquid aliunde lucis, & ignis fatui ſeſe eferre contingeret. Sed de hoc jam plura.

CAPUT XVIII.

Qua ratione notæ prædictæ ſolum in eccleſia Romana deprehendantur.

I.

Unitas membrorum cum capite ad conſtantem doctrinæ conſervandam formam quidvis confert.

Inde a primis eccleſiæ originibus ſemper pro nota & ſigno unitatis agnita eſt communio cum ſancti PETRI cathedra, in qua ſola unitas ab omnibus ſervaretur, ut loquuntur SS. Patres, utque nos primum comprobavimus. Paſſim docent SS. Patres, eccleſiarum ad unam cathedram communionem ad id valere, ut ſchiſmatis diviſio evitetur : hinc etiam

PE-

PETRO ſingulariter claves eſſe datas, principe conſtituto, diviſionis, diſſenſioniſque periculum ut abſit: qua præcautione proviſum ſit eccleſiæ a Chriſto, ut fidelium omnium ad eccleſiam Romanam conſociatione fidei integritati conſuleretur: cum fieri non poſſit, ut ſtante omnium eccleſiaſticorum ordinum cum uno capite cohærentia, & ſubmiſſione funeſti aliquid ipſam eccleſiam invadat, atque nunquam non corpus illud, quod ſemper perſtitit in orbe terrarum conſpicuum, cum eccleſia Romana communicans, vidit ab omnibus partibus cadere eos, qui ſe ab hac communione ſepararunt: neque ullo facto, aut exemplo oſtendere nobis poſſunt adverſarii, ſtatum ſuum unquam hanc eccleſiam mutaſſe, quemadmodum mutationem nos poſſumus illis oſtendere.

II. Et vel ipſe hodierni temporis ſtatus docet, quanta in religione oriatur varietas, quando quilibet, quod voluerit, ſentiendi licentiam ſumit, tum omnium retro ſæculorum experientia hoc teſtatur, atque hic proprius hæreticorum character eſt habitus, *variare in regula*, ut inquit TERTULLIANUS (*a*), & ut idem ibidem teſtatur, nihil intereſt illis, licet diverſa tractantibus, dum ad

Sine unitate cum capite ſectas in infinitum multiplicari, experientia docet.

(*a*) De præſcript. hæret. c. 42.

unius veritatis expugnationem conſpirent. Quod patet hodierno tempore ex opinionum, ut dixi, & ſectarum diverſitate Lutheranorum, Zwinglianorum, Calviniſtarum, Iconmachorum, Antitrinitariorum, Socinianorum, Ariminianorum, Swenckfeldianorum, Anabaptiſtarum, Antinomiſtarum, Herenhutorum, Antiſcripturianorum, Quakkerorum, Pietiſtarum, Fanaticorum, & quæ ſunt alia infauſta nomina. Atque eo etiam ventum, ut quævis ſectæ ſecum ipſis pugnarent: cujus rei apertum teſtimonium vel ex ſolis eorum confeſſionibus peti poteſt, quas toties recudunt, & recoquunt, addunt, demunt, mutant, quoties libuerit. Imitantur hac in re Arianos, quibus nihil ſolemnius, quam alias, aliasque fidei formulas effingere: cujusmodi nihil in eccleſia catholico-Romana timeas, cum membrorum ad præpoſita capita perfecta ſit obedientia, horum autem cum corpore integra conſenſio.

Sanctitatem veram eccleſiam Romanam ſolum ſpirare.

III. In hac eccleſia ſemper floruiſſe plurimos ſapientia, vitæ innocentia, ſæculi contemtu, miraculorum gloria, ac ipſa ſanguinis profuſione conſpicuos: ſanctitatem præterea ineſſe doctrinæ, & morum inſtitutis, quæ ab eccleſia Romana proponuntur, ſoli hæretici videre no-

nolunt: quæ certe ſanctitas ita hoſce percellit, ut omnibus ab ea ſeſe ſcindendi occaſio, & cauſa extiterint ſua vitia, ſuperbia ſcilicet, ambitio, incontinentia. Jactant illi ſuum abbatem Bebenhuſanum HOCHSTETTERUM, qui quadam naturæ bonitate a vitiis abhorruiſſe, ſpeciemque pii hominis præſetuliſſe fertur, ut quibusdam e noſtris occaſionem dicendi dederit: *Magni paſſus, ſed extra viam.* Sed oſtendant vel unicum, cujus ſanctitatem DEUS ſingulari aliquo comprobaverit ſigno, qui mirum aliquid patrarit ad ſuam confirmandam doctrinam: cum jure ab ipſis hoc requiramus, ut, qua auctoritate ad reformandam eccleſiam ſeſe contulerint, pateat: uti ex illis, qui olim, & nunc communicarunt eccleſiæ Romanæ, ſanctitate eximia, & miris rebus patratis illuſtres extiterunt.

IV. Mirum videri non debet, ſi perpetuam ſucceſſionis apoſtolicæ ſeriem, ac ordinem extorquere nobis tanto anniſu moliantur, quam certam doctrinæ apoſtolicæ notam eſſe voluerunt antiquiſſimi quique Patres: unicum in hanc rem teſtimonium, ſed ineluctabile ex ſecundo ſæculo laudabimus, quo puritatem doctrinæ necdum peſſumdatam fatentur, ubi S. IRENÆUS ex ſucceſſionis

Succeſſio apoſtolica apud eccleſiam Romanam non interruptæ doctrinæ apoſtolicæ infallibile ſignum.

perpetuitate doctrinæ & traditionis colligit veritatem, laudata potiſſimum, & deducta ſucceſſione Romanorum pontificum: *Hac ordinatione*, ſubjicit (*a*), *& ſucceſſione ea, quæ eſt ab apoſtolis, in eccleſiâ traditio, & veritatis præconiatio pervenit uſque ad nos, & eſt pleniſſima hæc oſtenſio unam eandemque vivificatricem fidem eſſe, quæ in eccleſia ab apoſtolis uſque nunc ſit conſervata, & tradita in veritate.* Atqui vero ſecundum eadem IRENÆI & aliorum principia ex continua ſucceſſione demonſtramus eccleſiæ Romanæ commmunicantem ſocietatem ab apoſtolis plantatam hucuſque perſtitiſſe.

Eccleſia catholica ea ſemper dicta, quæ in communitate Romanæ ſedis fuerat.

V. Catholicam eccleſiam Romanam inde clariſſime demonſtramus, quod eadem ſemper eccleſiæ Romanæ cum illius eccleſiæ communione fuerit, quæ erat latiſſime in orbe diſperſa, & catholica ab omnibus eſt dicta. Neque, quo tempore ſeceſſio fuit facta, ulla erat præter eccleſiam huic Romanæ communicantem, eique mirifice ac ſoli conveniunt vetera prophetarum vaticinia, ac promiſſiones Chriſti de ſplendore & amplitudine veræ gentium eccleſiæ: in qua etiam ſumma eſt doctrinæ conſenſio, nec ſectæ ullæ, ſed arctum communionis vinculum; quam neceſſariam ſemper

(*a*) S. IREN. contra hæreſes L. III.

ſemper judicarunt cæteræ eccleſiæ cum Romana communionem, litteris potiſſimum formatis declaratam (*a*): *Totius orbis Romani caput Romanam eccleſiam, atque illam ſacroſanctam apoſtolorum fidem ne turbari ſineret obſecranda fuit clementia veſtra* (alloquitur imperatorem S. AMBROSIUS) *inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant*. Catholicæ vero eccleſiæ nomen, quod ſemper ſibi illa eccleſiaſtica ſocietas vindicavit, quæ cum Romana communionem coluit, quantivis ad veræ eccleſiæ demonſtrationem valet: *Si quando peregrinatus fueris*, inquit S. CYRILLUS (*b*), *in civitatibus, ne ſimpliciter inquiras, ubi ſit domicilium? nam & cætera impiorum ſectæ, atque hæreſes ſuas ipſorum ſpeluncas domiciliorum nomine honeſtare nituntur. Neque ubi ſit ſimpliciter eccleſia, ſed ubi ſit catholica eccleſia? hoc enim proprium nomen eſt hujus ſanctæ & matris omnium noſtrum*. Neque aliorum antiquorum Patrum teſtimonia in hanc rem cumulabo, quoniam mihi, ut initio dixi, conſilium eſt, eos tantum recenſere, qui data opera hanc de vera eccleſia materiam pertractarunt.

 CAP. XIX.

(*a*) S. AMBROSIUS Ep. II. ad GRATIANUM.
(*b*) Catech. 18.

gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam præterquam oportet colligunt; ad hanc enim eccleſiam propter potiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undique fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea, quæ eſt ab apoſtolis, traditio. Tunc recenſet ſucceſſionem epiſcoporum Romanorum uſque ad ſua tempora.

Tertullianus adhuc integer quantum apoſtolicis eccleſiis nominatim Romanæ detulerit.

III. Nemo ignorat deplorabilem Tertulliani lapſum in Montaniſtarum delirationem, quando etiam data opera contra epiſcopum Romanum, ejusque eccleſiæ doctrinam, id eſt, orthodoxam & catholicam ſcripſit libro cumprimis de Pudicitia: ubi etſi epiſcopum Romanum Epiſcopum epiſcoporum vocet, hoc tamen illudendo dixiſſe tunc eum, ſi quis dixerit, haud abnuam. Sed qua obſervantia Romanæ eccleſiæ, dum integra adhuc fide erat, fuerit addictus, multis monumentis eſt teſtatus, tum libro nunquam ſatis laudando de præſcriptione hæreticorum, egregium habet effatum, quo hæreticos eccleſiarum apoſtolicarum inter cæteras præcipue Romanæ auctoritate objecta oppugnat (*a*). Paria

paſſim

(*a*) „Age (inquit Tertull. *Lib. de præſcript. hæret. c.* 35.) jam qui vales, auctoritatem „ melius exercere in negotio ſalutis tuæ per-

paſſim eodem libro legas capite præſertim 32. Hæreticos vero ob defectum ſucceſſionis inde ab apoſtolis arguit præcipue eccleſiæ Romanæ exemplo (*a*). a.

S. Cypr. eccleſiæ Rom. obſervantiſſimus fuit.

IV. Quantum gloriæ & laudi S. Cypriani detraxerit contra eccleſiæ Romanæ conſuetudinem, contra epiſcopi Romani voluntatem hæreticos rebaptizaſſe, nemo eſt, qui diffiteatur; ſed hæc res levior Cypriano eſt viſa, quam, ut ali-

curre eccleſias apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ apoſtolorum ſuis locis præſidentur, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur .... Si autem Italiæ adjaces, habes Romanam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Statu felix eccleſia, cui totam doctrinam apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt: ubi Petrus paſſioni dominicæ adæquatur &c. »

(*a*) „ Ceterum (inquit) ſi quæ (*hæreſes*) audent interponere ſe ætati apoſtolicæ, ut ideo videantur ab apoſtolis traditæ, quia ſub apoſtolis fuerunt, poſſumus dicere: Cadant origines eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſionem ab initio decurrentem, ut primus ille epiſcopus aliquem ex apoſtolis, vel apoſtolicis viris, qui tamen cum apoſtolis perſeveraverit, habuerit auctorem, & anteceſſorem. Hoc enim modo eccleſiæ apoſtolicæ ſenſus ſuos deferunt: ſicut Smirnæorum eccleſia Polycarpum a Joanne conlocatum habet: ſicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum. »

epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium apoſtolorum caput Petrus, in qua una cathedra unitas ab omnibus ſervaretur, ne ſinguli apoſtoli ſingulas ſibi quisque defenderent, ut jam ſchiſmaticus eſſet & peccator, qui contra hanc ſingularem cathedram alteram collocaret. Veſtræ cathedræ originem expoſtulat, qui vobis vultis ſanctam eccleſiam vendicare.

S. Hier. communionem eccleſiæ Rom. conſtantiſſime coluit.

VI. S. Hieronymus multo plurimis teſtimoniis oſtendit, quanta neceſſitudine, & quam arcto communionis vinculo ſociatus, & adſtrictus Romanæ eccleſiæ ſit: *Ego*, alloquitur Damasum (*a*), *nullum primum, niſi Chriſtum ſequens beatitudini tuæ, id eſt, cathedræ Petri communione conſocior; ſuper illam petram eccleſiam ſcio; quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio.* Eo vero in tractatu ſæpius a me laudato contra Luciferianos, ubi materiam de eccleſiæ contra ſchiſmata communione ex inſtituto tractat, Cyprianum eo ſolo nomine defendit, quod cum hæreticos rebaptizandos contenderet, unitatis, ſocietatisque eccleſiaſticæ cum Romana ſede, quæ ei hac in parte adverſabatur, vinculum non in-

(a) Ep. 14. alias 17.

infringeret: unde ſatis oſtendit, eum deſperatum non eſſe, qui in errore incautus verſans Romanæ tamen eccleſiæ communioni adhæreat.

VII. S. AUGUSTINUS recenſendo, quibus notis eccleſiam catholicam veram eſſe perſuaderetur, quibusve in religione chriſtiana retineretur rationum momentis, non ſilet ſucceſſionem perennem in PETRI cathedra, id eſt, Romana. *Tenet*, inquit (*a*), *conſenſio populorum, atque gentium: tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: tenet ab ipſa ſede Petri apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem Dominus commendavit uſque ad præſentem epiſcopatum ſucceſſio ſacerdotum: tenet poſtremo ipſum catholica nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur, nullus hæreticorum vel baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.* . . In pſalmo vero illo contra partem DONATI exarato, omnes convocat & hortatur, ut ſi velint eſſe in vite, id eſt, catholica eccleſia, ad petram, ſedem PE-

S. AUG. ſucceſſionem perennem epiſcoporum Rom. inter motiva, ut vocant, credibilitatis poſuit.

TRI

(*a*) S. AUG. contra Epiſt. Manich. *c.* 4. *T. VIII. p.* 153. *B.*

TRI conveniant : *Venite*, exclamat, *fratres, ſi vultis, ut inſeramini in vite, dolor eſt, cum vos videmus præciſos ita jacere. Numerate ſacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo Patrum, quis ſucceſſit, videte : ipſa eſt petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ* (a).

a. Vinc. Lirinenſis dilaudat Romanæ eccleſiæ conſtantiam & apoſtolicæ traditionis obſervationem.

VIII. Vincentius Lirinenſis quantum momenti collocaverit, deducta perpetuo ab ipſo Petro epiſcoporum ſerie commonſtravit, dum oſtenſurus religioſiſſimum quemvis novitatibus hæreticorum ſeſe fortiſſime opponere, haud aliunde opportunius exemplum, quam ab apoſtolica ſede Romana ducendum exiſtimavit : *Mos*, inquit, Commonit. c. 9. *iſte ſemper in eccleſia viguit, quo quisque floreret religioſior, eo promtius novellis adinventionibus contrairet. Exemplis talibus plena ſunt omnia : ſed ne longum fiat, unum aliquod, & hoc ab apoſtolica potiſſimum ſede ſumemus : ut omnes luce clarius videant, beatorum apoſtolorum beata ſucceſſio quanta vi ſemper, quanto ſtudio, quanta contentione defenderit, ſuſceptæ ſemel religionis integritatem.* Enarrat litem, quæ Stephanum inter, & Cyprianum fervebat de baptiſmo hæreticorum. Alio autem loco cum demonſtraret profanis quibusvis novitatibus obni-

(a) Vide Ep. 5. ad Generos. n. 2.

obnitendum eſſe, *ne quid*, ut ipſe ait, *deeſſe tantæ plenitudini videretur*, gemina ſedis apoſtolicæ auctoritate communit, XISTI, & COELESTINI pro munere ſuo apoſtolico hæreticis conatibus ſeſe ſtrenue opponentium; quod munus ſedulo ſemper impleverunt, quicunque PETRI ſucceſſores extiterunt.

IX. Sic ergo ſemper eccleſiæ Romanæ agnita eſt auctoritas, præeminentia, ac prærogativæ, ſecundum divinas promiſſiones tum PETRO ſingulariter factas, cum etiam toti eccleſiæ in communione PETRI: quando Chriſtus ſe cum eccleſia futurum promiſerat, cum cæteris & PETRUS aderat; at etiam ſingulari prærogativa tanquam primus & princeps, & centrum unitatis nomen a Chriſto ſortitus eſt myſterio plenum, ut myſterii ipſius ſoliditas, ac cathedræ firmitas innueretur; qui etiam primus in denunciando evangelio eſſe debebat, ac confirmare fratres. Et ſicuti Chriſtus loquens cum apoſtolis eorum etiam ſucceſſores uſque ad conſummationem ſæculi intelligebat, ita PETRI ſucceſſores promiſſiones tangebant: ut miniſterium PETRI ordinarium ſit atque fundamentale principaleque in tota eccleſia. Quemadmodum agnitum eſſe antiquiſſimis quibusvis temporibus a viris ſummis & ſan-

Prærogativæ PETRI, ejusque ſucceſſorum.

ſanctiſſimis modo vidimus, ex utraque gente Latina, & Græca. Et quamvis hæc poſterior poſtea deſciverit ab hac unitate, atque poſterioribus ſeculis hanc eminentiam ex ambitione negare cœperit; antea tamen una nobiſcum Latinis ſæpiſſime agnovit, non verbis ſolis, ſed ipſo opere, in conciliis communi nobiſcum conſenſu habitis: unde ipſi novitatis, mutatæque ſententiæ recte arguuntur, qui quod antea nobiſcum agnoverunt, poſtea negarunt, & ſic unitatem eccleſiaſticam horrendo ſchiſmate lacerarunt.



LIBER III.

LIBER III.

CONTRA
PARASYNAGOGAS
ÆVI NOSTRI.

CAPUT I.

Diſquiritur, an jure Novatores ab eccleſia Romana ſeſe ſeparaverint.

I.

C*unctos nos chriſtianos*, ut verbis utar OPTATI (*a*) Milevitani, quæ ille in ſimili cauſa protulit, qualis nobis præ manibus eſt, *chariſſimi fratres, omnipotenti DEO fides una commendat. Cujus fidei*

Omnes chriſtiani ad unam pertinent eccleſiam pacis vinculo junctam.

(*a*) De ſchiſ. Donat.

pars eſt credere in Filium DEI, *judica ſæculi eſſe venturum: eum, qui jam pri dem venerit, & ſecundum hominem ſuum per* MARIAM *virginem natus eſt, paſſu & mortuus, & ſepultus reſurrexerit: & antequam in cælum aſcenderet unde deſcen derat, chriſtianis omnibus victricem pacem per apoſtolos dereliquit, quam ne videretu ſolis apoſtolis dimiſiſſe, ideo ait,* quod uni dico ex vobis, omnibus dico. *Dein de ait:* Pacem meam do vobis, pacem meam relinquo vobis. *Igitur pax chri ſtianis omnibus data eſt, quam rem* DE *eſſe conſtat, dum dicit* meam: *cum autem dicit,* do vobis, *non ſolum ſuam volui eſſe, ſed & univerſorum in ſe credentium* S. CYPRIANUS dudum præoccupavi oſorum pacis eccleſiaſticæ prætextum quem ex illa Chriſti ſententia ſumunt, ubi ſe dicit in medio duorum etiam & trium futurum, qui in nomine ſuo fue-
a. rint congregati. Si duobus, *ait* (*a*), ex vobis convenerit in terra: *Unanimitatem prius poſuit, concordiam pacis ante præmi- ſit, ut conveniat nobis fideliter & firmiter, docuit, quomodo autem poteſt ei cum ali- quo convenire, cui cum corpore ipſius eccle- ſiæ, & cum univerſa fraternitate non con- venit? Quomodo poſſunt duo aut tres in nomine Chriſti colligi, quos conſtat a Chriſto,* &

(a) S. CYPR. de unit. eccl.

& ab ejus evangelio ſeparari ? non enim nos ab illis, ſed illi a nobis receſſerunt. Et cum hæreſes & ſchiſmata poſtmodum nata ſint, dum conventicula ſibi diverſa conſtituunt, veritatis caput atque originem reliquerunt, Dominus autem de eccleſia ſua loquitur, & ad hos, qui ſunt in eccleſia, loquitur, ut ſi ipſi concordes fuerint, ſi ſecundum quod mandavit & monuit, duo aut tres licet collecti unanimiter oraverint, duo aut tres licet ſint, impetrare poſſint .... Quando ergo in præceptis ſuis ponit, & dicit : Ubi fuerint duo aut tres &c. *non homines ab eccleſia dividit, qui inſtituit & fecit eccleſiam, ſed exprobans diſcordiam perfidis, & fidelibus pacem ſuam voce commendans oſtendit, magis ſe eſſe cum duobus unanimiter orantibus, quam cum diſſidentibus pluribus.*

Nihil unitate antiquius habuit Chriſtus.

II. Certe nihil adeo cordi fuit Chriſto Domino in omni miſſionis ſuæ ad nos negotio, quam hæc pacis & unitatis conſociatio. Quare cum primum in orbem natus prodiit, & necdum ſermonis officio per ætatem uteretur, jam angelorum miniſterio nunciare pacem voluit in terra hominibus bonæ voluntatis (*a*). Uti vero pacis nuncius advenit, ita etiam eodem in munere abiit, atque hanc

(*a*) Luc. II. 14.

a ſuæ ſalutiferæ mortis cauſam poſuit (*a*), *Ut filios DEI, qui erant diſperſi congregaret in unum.* Hanc unionem etiam notam fore diſcipulorum ſuorum edixit
b. (*b*): *In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Ad exemplar etiam unitatis in Trinitate Deitatis hanc unionem ſuorum a cœleſti Patre ſuo exoravit pro credituris in ſe, hoc eſt, pro eccleſia ſua.
c. *Non pro eis rogo tantum* (*c*), *ſed & pro eis, qui credituri ſunt in me; ut omnes unum ſint; ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus, quia tu me miſiſti. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum: & cognoſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti.* Quæ eſt autem alia claritas ſuis a Chriſto data, niſi lux fidei in eccleſia, civitate ſupra montem poſita? Cujus ſplendor omnes ad unam ſocietatem perducit, uti fidelis diſcipulus JOANNES ex-
d. plicat (*d*): *Si autem in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad invicem.*

III. Nec

(*a*) Joan. XI. 52.
(*b*) Joan. XIV. 35.
(*c*) Joan. XVII. 20.
(*d*) 1. Joan. I. 7.

III. Nec aliquid antiquius habuerunt
ſtoli quam hanc unionem conſervare
ſtquam eccleſia jam undique diſpergi
orbem cœpit. Nec alias rationem
poris Chriſti eccleſia obtineret, niſi
nium membrorum conjunctione:
e licet non uniusmodi ſint, & cor-
raliter undique diſperſa, uno tamen
ritu vivunt in vinculo pacis & uni-
s. Nam ſicuti corporis humani
mbrum non eſt particeps vitæ, niſi
unitum aliis, ita chriſtianus non vivit
ritu Chriſti, niſi ſit unitus ac conjun-
s eccleſiæ, quæ eſt corpus Chriſti.
ut enim, loquitur PAULUS (*a*), *cor- unum eſt, & membra habet multa, o-ia autem membra corporis cum ſint lta, unum tamen corpus ſunt, ita & riſtus. Etenim in uno Spiritu omnes in unum baptizati ſumus.* Non ergo
c unitas interna tantum, ſed exterio-
ſacramentorum officio coadunatur.
Euchariſtia idem PAULUS, *unus pa-*
, inquit, *unum corpus multi ſumus,*
nes qui de uno pane participamus. Et
era ſemper in eccleſia unitatis indi-
m communio ſacramentorum fuit
ita, præſertim Euchariſtiæ, qua o-
es illi in unum corpus eccleſiaſticum
t conjuncti, qui idem corpus Chriſti

Apoſtoli in propagatione & ædificatione eccleſiæ omnia ad hanc unitatem direxerunt.

a.

(a) 1. Cor. XII. 12.

participant, atque eodem baptiſmate initiati ſunt in verbo vitæ, id eſt veræ profeſſionis fidei, & unanimis doctrinæ. In hac enim pace quærendam Chriſtus veritatem voluit, ut non quiſque privatim, quæ vellet, ſtatueret, ac ſentiret (a): *ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed idipſum pro invicem ſolicita ſint membra:* ut loquitur Paulus mox miniſteriorum ac chariſmatum diſtributionem ſubjungens, eo modo quo ad Epheſios IV. 11. *Et ipſe dedit quosdam quidem apoſtolos, quosdam quidem prophetas, alios vero evangeliſtas, alios autem paſtores, & doctores, ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis Filii DEI, in virum perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Hæc ſæpe inculcat, & pluribus explicat apoſtolus, ut inter varia membra diverſa officia oſtendens, unitatem firmaret contra æmulationem, ac invidiam; ſua etiam per conſenſum variorum membrorum conſtaret toti corpori perfectio, cum rite unumquodque membrum ſuum obit munus, nec alterum in ſuo turbat, paſtores paſcendo, doctores docendo, cæteri cum humilitate pabulum accipiendo, doctrinam auſcultando,

(a) 1. Cor. XII. 25.

tando, omnia in ædificationem corporis Chriſti: veluti revera hoc ordine hactenus in ſuo conſtitit vigore eccleſia, eadem unitate, ac charitatis vinculo obſtricta.

Eccleſiæ ſchiſma ſummum malum, cujus rei, qui etiam nullos docent errores.

IV. Quæ ſicuti eſt ſummum eccleſiæ bonum, atque pretioſiſſimus theſaurus a Chriſto nobis teſtamenti loco relictus, ita illam ſcindere ac violare ſummum malum: ut adeo, qui hoc divinum rumpunt vinculum, quo ſumus in Domino uniti, quique malis artibus ſtudent fratres in fratres exacerbare, ſummopere ſint deteſtandi, peſtis inſtar. Optatus, (a) quinam ſint pretioſiſſimæ a Chriſto nobis conceſſæ, & relictæ pacis hujus perturbatores exponat: *Quæ pax, ſi, ut data erat, ſic integra inviolataque manſiſſet, nec ab auctoribus ſchiſmaticis turbaretur, inter nos & fratres noſtros hodie non eſſet ulla diſſenſio.* Ad corporis igitur unitatem omnes pertinent, qui nomine chriſtiano cenſentur, & in ſacro baptiſmate uterini fratres uni eccleſiæ ſunt geniti: *Sunt*, inquit idem, *ſine dubio fratres, quamvis non boni: quare nemo miretur, eos me appellare fratres, qui non poſſunt non eſſe fratres. Eſt quidem nobis, & illis ſpiritalis una nativitas, ſed diverſi ſunt actus.* Quod ſi etiam de cætero nullo teneantur

(a) Contra Parmen.

tur errore, ſufficit ad ſchiſmatis crimen, charitatem & unitatem ſcidiſſe (a). Unde immenſum, quantum illi aberrant, qui in exteriore unitatis vinculo unitatem eccleſiæ conſiſtere negant, nec ſciſſuras eas officere putant, dummodo unitas fidei, ſacramentorum, & legitimi miniſterii adſit, cui per accidens ſolum accedat communio externa, conſenſusque etiam in dogmatibus non fundamentalibus.

Schiſma quam ſit grande ſcelus.

V. Tot exorta ſchiſmata multis inter chriſtianos etiam anſam de divina provi-

(a) „ Nam (ſunt verba Augustini *de Bapt. contra Donat. T. IX. p.* 91. *de unit. eccl. n.* 7. C.) „ ſi cetera omnia vera vel ſentiatis vel „ habeatis, & in eadem tamen ſeparatione „ duretis adverſus vinculum fraternæ pacis, „ adverſus unitatem omnium fratrum, qui „ toto orbe ſicuti promiſſi ſunt ita exhibiti, „ hoc ſolum minus habetis, quod minus ha„ bet, qui charitatem non habet. „ Neque vero ad eccleſiæ membra talem pertinere aperte dicit ſæpiſſime, „ dummodo a Chriſti „ corpore (ut alibi loquitur) quod eſt eccleſia, „ ita diſſentiunt, ut eorum communio non „ ſit cum tota, quacunque diffunditur, ſed „ in aliqua parte ſeparata inveniuntur, mani„ feſtum eſt eos non eſſe in catholica eccle„ ſia. „ Et S. Cyprianus de Novatiano ſcribit *Ep.* 17. „ Scias nos primo curioſos eſ„ ſe non debere, quid ille doceat, cum foris doceat. Quisquis ille eſt, qualiscunque „ eſt, chriſtianus non eſt, qui in eccleſia „ Chriſti non eſt.

videntia dubitandi dederunt: ſumma quidem in divinum Numen injuria, & majore ſcelere, quam ſit ipſum ſchiſmatis crimen. Quod tamen malum tam atris coloribus depingunt ſcripturæ quævis eccleſiaſticæ, tamque graviter divinam provocant iram ac vindictam. Exempla plura vindictæ divinæ ad terrorem ſolent referre antiquiſſimi quique SS. Patres a CLEMENTE Romano uſque, ipſique ſcriptores ſacri: quales funeſtos effectus ex ſacra ſcriptura Fratres Wallenburgici plures collegerunt *Lib. I. de unit. eccl. c.* 15. Itemque ex SS. Patribus: ex quibus unum tantum S. AMBROSII *L. I. de Pœnit. c.* 4. referam, ubi ille ſchiſma peccatum in Spiritum ſanctum, eſſe dicit, de quo Chriſtus aſſeruit (*a*): *Non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro,* a. quod nos idem ſtatuimus tractantes de hoc peccato in Spiritum ſanctum (*b*). b.

(*a*) Matth. XII. 32.

(*b*) „ Eos quoque (ſunt verba AMBROSII) aſſerit diabolico uti ſpiritu, qui ſeparant eccleſiam DEI, ut omnium temporum hæreticos, & ſchiſmaticos comprehenderet, quibus indulgentiam negat, quod omne peccatum circa ſingulos eſt, hoc in univerſos. Soli enim ſunt, qui volunt ſolvere Chriſti gratiam, qui eccleſiæ membra diſcerpunt, propter quam paſſus eſt Dominus JESUS, Spiritusque ſanctus datus eſt. „

Schiſmatici omni jurisdictione ſpoliantur.

VI. Illud, ut diximus, ſummopere deplorandum eſt in hac re, quod hæc ab illis perpetrentur, qui & ipſi chriſtianum nomen retinent, & fratres noſtri ſunt, tametſi, ut MABILLONIUS piiſſimus vocat, *averſi*, qui unitatem eccleſiaſticam miſere dilacerant & proſcindunt: ut vel ideo hi tales degeneres eccleſiæ filii, chriſtianorum nomine indigni dici jure poſſint, & recte omni illa poteſtate, ſi qua etiam adhuc in gremio eccleſiæ inſtructi erant, deſtituuntur.
a. *Nam*, ut inquit S. CYPRIANUS (*a*), *cum Paulus apoſtolus dicat*: Propter hoc re-

» nobis. Denique ut ſciatis, quia de diſperſoribus dicit, ſicut habemus ſcriptum: *Qui non eſt mecum, contra me eſt: & qui non colligit mecum, diſpergit.* Et ut ſciremus de his dictum: *Ideo dico vobis, omne peccatum remittetur hominibus, Spiritus autem blaſphemia non remittetur hominibus*; *cum dicit*: Ideo dico vobis, nonne evidenter hoc præ ceteris a nobis intelligi voluit, meritoque adjunxit: *Arbor bona bonos fructus facit.* Congregatio enim mala bonum facere fructum non poteſt, arbor itaque congregatio eſt, fructus boni operis filii eccleſiæ ſunt. Et ideo revertimini ad eccleſiam, ſi qui vos ſeparaſtis impie. Omnibus enim converſis pollicetur veniam, quia ſcriptum eſt, *omnis qui invocaverit nomen Domini ſalvus erit.*

(*a*) L. II. Ep. VIII. ſ. 51. n. 20.

relinquet homo patrem, & matrem, & erunt duo in carne una: ſacramentum iſtud magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & in eccleſiam: *Cum hoc, inquam, beatus apoſtolus dicat: & Chriſti pariter, atque eccleſiæ unitatem individuis nexibus cohærentem ſancta ſua voce teſtetur, quomodo poteſt eſſe cum Chriſto, qui cum ſponſa Chriſti, atque in ejus eccleſia non eſt? aut quomodo aſſumit ſibi regendæ, aut gubernandæ eccleſiæ curam, qui ſpoliavit, & fraudavit eccleſiam Chriſti?* Igitur ſchiſmate intentato, qui eccleſiam laceſſit, & ab unitate diſcedit, hoc ipſo facto amittit omne jus, quod forte etiam antea competebat ad regimen eccleſiæ, conſequenter fruſtraneo annisu ſe ad negotium reformationis adjungit.

CAPUT II.

Nunquam licere facere ſchiſma.

I.

Fateri coguntur, quos nos facti contra eccleſiam ſchiſmatis accuſamus, SS. CYPRIANUM, & AUGUSTINUM unitatem eccleſiaſticam editis de hac re libris ſolide propugnaſſe, quamvis ea carpunt, quæ ſuæ cauſæ ſentiunt eſſe nociva, SS. CYP. & AUGUSTINUS quam ſtrenue pro eccleſiæ unitate contra ſchiſmatic-

eos pugnarint.

va, potiſſimum, quæ prolixe ab his SS. Viris diſceptantur de necceſſaria cum exteriore cœtu conjunctione, qua de re videbimus alias. Nunc hoc ſolum agimus, ut ad eos, quos ambo hi SS. Doctores de unitate eccleſiæ ſcripſerunt libros, aut aliis etiam in operibus, quibus ſchiſmata Novatianum Cyprianus, & Donatiſtarum Augustinus oppugnarunt, provocemus: minime ab adverſariis requirentes, ut ſolis verbis & dictis credant, ſed rationibus, & ſcripturarum auctoritati, qua luculentiſſime oſtendunt eccleſiæ pacem, & unitatem omni ſtudio ſartam tectamque conſervandam eſſe, nec aliquo violandam caſu.

Quantopere ſemper cautum, ne ſchiſmata eccleſiam ſcinderent.

II. Neque aliud hi docuerunt, quam quod retro ab omnibus ſcriptoribus ſacris, & eccleſiaſticis perceperunt, quodque exemplis tum veteris tum novi teſtamenti innumeris uſurpatum invenerunt, & exercitum: Nihil unitate eſſe antiquius habendum, nihil magis cavendum, quam ne ſint inter nos ſchiſmata. Et ſi quid unquam mali ejusmodi in eccleſias irreperet, omni conatu ablatum id fuit & ſtudio. Nota ſunt S. Pauli, S. Clementis, S. Ignatii ſtudia. Quæ omnia præ oculis habentes SS. Cyprianus & Augustinus, de unitate eccle-

eccleſiæ eas nobis reliquerunt cautiones, quæ nullo caſu ſint violandæ. Quemadmodum etiam S. Irenæus nullum adeo bonum reformationis eccleſiæ accidere poſſe edixerat, quod ſit comparandum cum malo ſchiſmatis.

III. Nec nobis objiciant exemplum S. Cypriani, qui acerrime contra eccleſiam Rom. pugnavit, contendens hæreticos ad catholicam eccleſiam reverſos, rebaptizari oportere. Olim jam exemplum hoc Donatiſtæ afferebant, ſed a S. Augustino ſatis eſt reſponſum. Qui etiam dum de baptiſ. contra Donatiſtas uſuvenire, atque hoc facere ſanitatem pacis dicit, ut cum diutius aliqua obſcuriora quæruntur, & propter inveniendi difficultatem diverſas pariunt in fraterna diſceptatione ſententias, donec ad verum liquidumque perveniatur, vinculum tamen vult, ut permaneat unitatis, ne in parte præciſa remaneat inſanabile vulnus erroris. Horum exemplum ibi S. Doctor in S. Cypriano haberi aſſerit. Unde patet S. Cypriani cauſa noſtram potius firmari ſententiam, eos vero damnari, qui, quos errores in eccleſia carpendos putarunt, cum præciſionis ſcelere, erectæque novæ eccleſiæ crimine cumularunt. Quo de facinore S. Augustinus loco a nobis laudato : *Nimis*

S. Cypr. in negotio de rebaptizandis hæreticis conſtanter unitatem conſervavit.

mis

nis autem, inquit, *amando ſententiam ſuam, aut invidendo melioribus uſque ad præcidendæ communionis, & condendi ſchiſmatis vel hæreſis ſacrilegium pervenire diabolica præſumtio eſt.* S. HIERONYMUS eodem modo LUCIFERIANO obviam it, hoc CYPRIANI factum objicienti... *Sciant*, inquit (*a*), *illum hæc non cum anathemate eorum, qui ſe ſequi noluerant, edidiſſe: ſiquidem in communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant, ſed hortatum potius fuiſſe propter Novatum, & alias tunc hæreſes multas enaſcentes, ne quiſquam ab eo ſine damnatione erroris ſui reciperetur.* Affert ex S. CYPRIANI epiſtolis loca, quibus pacis & unitatis ſtudium comprobatum it: quod pariter multis in locis agit S. AUGUSTINUS excuſans zelum S. CYPRIANI, in re nullo adhuc ſtatuto eccleſiaſtico firmata: ſecus ac Neoterici, qui nullas pacis, unitatis, charitatisque conſervata lege contra legitimam poteſtatem eccleſiaſticam ſeſe erexerunt, ſibique per ſummum nefas eccleſiam judicandi auctoritatem arrogando, proprio auſu reformationem ſuſceperunt, cauſamque nullo legitimo judicio, facto ſchiſmate, exaſperarunt.

Nec morum, nec

IV. Ne vero quiſquam putet, aliquo caſu licere ſeſe ſeparare ab eccleſia, cum aut

(a) S. HIER. cont. Lucif. c. 9. f. 203. Ed. Plant.

aut mores, aut doctrina in ea corrupta vigent, prophetarum antiqui teſtamenti inquirat geſta, quid ipſi fecerint, populo in graviſſima ſcelera, etiam idololatriam prolapſo. *Ibi*, ait S. AUGUSTINUS (*a*), *habes tantos prophetas, habes multos & de plebe; dic mihi, quis tunc juſtorum ſeparavit ſibi altare? Multa ſcelera admittebat iniquus populus ille, idolis ſacrificatum eſt, tot occiſi ſunt prophetæ, & nemo tamen juſtorum receſſit ab unitate: juſti injuſtos ſufferebant, venturo ventilatore: uno templo miſcebantur, ſed mixti non erant corde. Dicebant in illos tanta, & unum habebant altare.* Sic ſe geſſiſſe legimus omnes fere prophetas, qui tamen ſingularia ſuæ miſſionis etiam extraordinariæ dabant ſigna: ii, quod muneris ſui fuerat, exercebant, quin tamen nova erigerent altaria, aut cogerent conventus. Sic MOYSES, ſic ELIAS, ſic JEREMIAS agebant: ſic ISAIAS, cujus tempore ACHAZ impiiſſimus templum clauſit, atque per URIAM ſacerdotem idolis ſacrificari fecit, templumque Hieroſolymitanum replevit abominationibus. Secutus MANASSES ulteriora adhuc addidit impietatis prodigia, quin tamen ISAIAS, tum temporis in vivis degens, aliique prophetæ communionem rumperet:

Doctrinæ corruptio, ipſa etiam idololatria, aut alia quævis cauſa licitum reddit ſchiſma.

(*a*) Pſalmo in partem DONATI. *T. IX. p.* 6.

rent: ſed hortabantur pro officio, ut deſiſterent, & ad verum DEI redirent cultum perverſi, ipſi vero cum reliquis, qui ſemper DEI providentia in vera religione ſervabantur, in unitate manebant.

Corrigenda legitime, quæ indigent correctione non deſerenda collectio.

V. Firmum igitur illud, & ſtatutum manet, quod alibi idem S. Doctor conſtituit, multis ſcripturæ monumentis aſſertum (a): *Hæc de ſcripturis ſanctis documenta proferimus, ut appareat facile non eſſe quidquam gravius ſacrilegio ſchiſmatis, QUIA PRÆCIDENDÆ UNITATIS NULLA EST JUSTA NECESSITAS.* Eadem S. Gregorii Naz. mens fuit orat. pro pace: *Multo*, inquit, *melius, & conducibilius eſt, ut in communi corpore manentes, mutuo nos ipſos, tanquam alii aliorum membra corrigamus, & corrigamur, quam ut præjudicio per ſeceſſionem facto, & auctoritate per ſeparationem amiſſa ex edicto poſtea velut tyranni, ac non fratres, correctionem imperemus.* Verum eſt antea eum edixiſſe, ſi apertus ſit error, aliud flagitari. Sed ſciendum eſt, eum locutum eſſe inter eccleſiæ judices, qui legitime decernendi auctoritate poſſent, qui eccleſiam univerſalem repræſentant. Aliud eſt, dum eccleſia hæc

(a) Idem contra Epiſt. Parmen. *T. IX. p.* 42. n. 25.

hæc ipſa a privatis judicatur, ad quos non pertinet, imo pertinere non poteſt eccleſiam damnare, cum ſit columna & firmamentum veritatis: & hac de cauſa nunquam juſta eam deſerendi, aut diro ſchiſmate laceſſendi eſt cauſa. Gemina ſunt S. Chrysostomi (*a*) teſtimonia, dum Antiochiæ verſaretur, necdum penitus ſublato Meletiano ſchiſmate: *Sed quid dicunt*, inquit, *illi ad omnem malitiam audaces? hæreticus, ajunt, ille factus eſt, inhabitantem habet diabolum, & loquitur contra DEUM nequitiam, multosque ſuadela, vanaque fallacia in profundum exitii abducit.* Tum ille, etiam ſi talia vere accidiſſent (quod tamen fieri nullo tempore poterit in eccleſia Chriſti per orbem diffuſa, cui ſeſe clariſſimis verbis adfuturum uſque ad conſummationem ſæculi promiſit) cum charitate corrigenda docet, ab illis nempe, qui auctoritate coercendi pollent. *Cujus*, inquit, *apoſtolorum cœtus tantum conſors eſt, nec non, qui cum omni accuratione illorum ſe ſucceſſores exhibent, pleni gratiæ, & virtutis?* Atqui tales hi, ipſi ii cœtus ſunt, apud quos nos veram inquirimus eccleſiam, & chriſtianam ſuſcipimus doctrinam, quos hæretici damnare non abhorrent.

(*a*) Hom. de Anathemate.

CAPUT III.

Reformatores prætenſi horumce temporum ſchiſmatis reos eſſe.

I.

Hæretici noſtri ævi eccleſiæ ſuæ propagationẽ ab apoſtolis nequeunt oſtendere.

Cum, ut antea diximus, S. CYPRIANUS, & AUGUSTINUS, qui ſtudioſe in hac materia unitatis eccleſiaſticæ ſunt verſati, tam aperte, & dilucide viſibilis cujuspiam cœtus unitatem præſcripſerint ſectandam, quæ conſervaretur in unitate eccleſiæ in omnem orbem diffuſæ; fidelis populi cum ſuis paſtoribus epiſcopis, epiſcoporum inter ſe communione, & ſubordinatione; non potuit arridere hæc doctrina Neotericis noſtris: hac enim ratione neceſſario ad ſuam ab eccleſia in orbem diffuſa defectionem confitendam cogebantur. Quid enim agerent, cum religionis chriſtianæ ſeſe reformatores, non novæ inventores tantum venditabant? Eccleſiam omnem orbis terrarum conſociatam communione cum eccleſia Romana intuebantur præter quasdam Waldenſium, Wicleffiſtarum, Huſſitarumque reliquias in obſcuris Europæ angulis: quæ ſectæ ipſæ ſe noviter aliquando contra diſper-

ſam

ſam in orbem eccleſiam efferentes, origines veras oſtendere non poterant.

II. Non poſſunt ergo juſtam excuſationem afferre, aut ſeſe purgare a ſchiſmatis ſcelere, cum novas erexerint eccleſias contra eccleſiam illam, quam toto orbe diffuſam eo tempore invenerunt, quando ſuæ reformationis fundamenta jecerunt. Quæ jacta ſunt a pauciſſimis quibusdam ejus eccleſiæ, in qua educati, & nati ſunt, deſertoribus. Et quamvis aliis in locis eis abunde reſpondeamus, cum cauſas facti ſchiſmatis nobis objiciunt; hic tamen, præter ipſius ſchiſmatis delictum nihil contra eos urgemus: cum enim nulla juſta ejus cauſa exiſtat, nihil referret, quascunque etiam obtenderent rationes, quibus ad ſeceſſionem impulſi ſint, dum facti ſchiſmatis rei reperti ſunt.

Novatores ſchiſmatis rei, quod ſolum crimen ad eorum damnationem ſufficit.

III. Teſtatur ERASMUS *Ep. I.* ad BARTIRIUM occiniſſe tunc multos, qui LUTHERO favebant, illud evangelicum: *Non veni mittere pacem, ſed gladium.* Quod certe in utraque republica profana, & eccleſiaſtica veriſſimum oſtendit LUTHERUS, hanc autem potiſſimum diro ſchiſmate dilaceravit. Neque aliter furor ille & Vatinianum odium, quo ferebatur in Romanam eccleſiam, alium effectum habere potuit, quam hanc plusquam

Fruſtra a ſe amoliuntur hoc crimen nimis apertum.

cruentam proſciſſionem, qui toties diabolum, Turcam, & Papam uno ſpiritu effutiebat pro communibus ſuæ ſectæ hoſtibus. Hinc cumulus ille criminationum ac calumniarum, qua catholicorum tum nomina, tum dogmata LUTHERUS & ſui commilitones proſcindebant: unde ſequi debuit, quod funeſta docet experientia, ut altare contra altare erigeretur, aperte pax & unitas eccleſiæ rumperetur, ac illicito prorſus modo ſeparati cœtus & nova miniſteria inſtituerentur. Quid ultra ad ſchiſma addi potuit? qui unquam notorie ſchiſmatis rei, ſi non iſti, unitatem eccleſiæ catholicæ erectis privatis conventiculis deſerentes? Clament & vociferentur plenis buccis, & pacis ac charitatis ſuæ ſtudia extollant, res ipſa & ruptura ſanguinolenta illos condemnat. Receſſerunt ab eccleſia in orbem diſperſa, nec aliam in qua manſerint, aut cui ſe junxerint, poſſunt demonſtrare. Omnium ſchiſmaticorum fuit, negare crimen, & in eccleſiam vitium torquere (*a*).

IV. Obji-

(*a*) „ Objicio (inquit S. AUGUSTINUS, *L. II.* „ contra litt. Petil. *n.* 1.) ſchiſmatis crimen, „ quod tu negabis, ego autem ſtatim pro„ babo: neque enim communicas cum omni„ bus gentibus, & illis eccleſiis apoſtolico „ labore fundatis. Hic dicturus es, non „ communico traditoribus & homicidis. Re-

IV. Objicere ſolent, ſe expulſos eſſe ab eccleſia Romana, LUTHERUM inauditum eſſe damnatum: ſi qui igitur tumultus extiterint, conferri culpam in nos, qui primi LUTHERI ſchiſma excitaverimus, & eccleſias diſſipaverimus. Imprimis culpam reponunt in LEONEM X. excommunicantem LUTHERUM, ac poſtea concilium Tridentinum omnes Proteſtantes anathematizantem, ſe pulſos exiiſſe eccleſiam ſecum portantes. Effugium debile hoc eſt, & vanum: dicant enim, quare expulſi ſint, niſi quod contrarias doctrinas ſpargerent, quam in eccleſia Romana obtinerent, ac carperent dogmata hujus eccleſiæ? Quodſi doctrina, quam improbabant, & contra quam novam excitabant, divino fidei depoſito adverſabatur, jam ipſi hoc profitendo, eccleſiam ream agebant apoſtaſiæ, & perfidiæ, atque adeo prius condemnabant, quam ab ea expellerentur. Si talis doctrina non erat, quæ di-

Hæretici expulſi poſtea, quam prius eccleſiam condemnarunt.

 vinam

ſpondet tibi ſemen ABRAHÆ, hæc ſunt illa „ crimina vel non vera, vel non mea. Sed „ hæc interim ſepono, tu oſtende eccleſiam. „ Quod in hodiernum uſque diem objicimus jure merito illis etiam, qui quamvis ipſi ſeceſſum non fecerint, eorum tamen caſtra & conventus ſequuntur. „ Dum vos, valet hic illud „ OPTATI, (*L. II.* contra PARMEN.) parentum errorem colentes, ſtudioſe defenditis, „ hæredes ſceleris eſſe voluiſtis. „

vinam laceſſebat fidem, ſine cauſa tantas turbas contra eam eccleſiam ſuſcitarunt, quæ nihil tale merita erat. (*a*)

Fruſtra etiam in nos retorquent, quaſi a nobis ſint expulſi.

§. V. At ſi etiam injuſte fuiſſetis expulſi, & excommunicati, quoniam abſceſſiſtis, & privata inſtituiſtis conventicula, jam vos ſchiſmatis reos egiſtis: neque enim injuſte etiam expulſo facultas eſt in partes ſecedendi. Cum enim inique etiam excommunicatus membrum maneat eccleſiæ, non debet ſe ab ea ſeparare, ac priorem communionem deſerere: quod qui primum facit, ſchiſma facit, eſtque ex eorum numero, quos damnat ſanctus apoſtolus JUDAS, qui ſeipſos ſegregant animales, Spiritum non haben-

(*a*) „Vos autem (eſt S. AUG. in ſimili cauſa „ſententia) dum carnaliter ſapitis, quod di„ctum eſt per ISAIAM prophetam (*cap.* 11. „12.) *Diſcedite*, *& exite de medio eorum*, „*& ſeparamini*, *dicit Dominus*, *& immun„dum ne tetigeritis*, & talia quæ in ſcriptu„ris ſimiliter dicta ſunt; dum hæc inquam „non ſpiritaliter, ſed carnaliter ſapitis, tales „omnino apparetis, quales eorum ipſo pro„pheta prædicante, dominantur dicentes: „*Nolite me tangere*, *quoniam mundus ſum.* „Denique quando aliena peccata vos per„verſe devitanda cenſuiſtis, alia veſtra fe„ciſtis ſacrilegum ſchiſma, populos divi„dendo, & ſacrilegam hæreſim contra DEI „manifeſtata promiſſa, & impleta de eccle„ſia toto orbe diffuſa nefario ſpiritu ſen„tiendo.

habentes. Cum pii, & Spiritum DEI habentes patienter potius ſufferrent injuſtam etiam excommunicationem, quam ut charitatem deſererent, pacem & unitatem ſcinderent. Neque deſunt ejusmodi exempla, & jam olim S. AUGUSTINUS notavit. *Sæpe etiam*, inquit (*a*), *ſinit divina providentia per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum ſeditiones expelli de congregatione chriſtiana, etiam viros bonos, quam contumeliam ſuam cum patientiſſime pro eccleſiæ pace tulerint, neque ullas novitates, vel ſchiſmatis vel hæreſis moliti fuerint, docebunt homines, quam vero affectu, & quanta charitatis ſinceritate DEO ſerviendum ſit. Talium ergo virorum propoſitum eſt, aut ſedatis remeare turbinibus, aut ſi id non ſinatur, vel eadem tempeſtate perſeverante, vel ne ſuo reditu talis aut ſævior oriatur, tenent voluntatem conſulendi etiam eis ipſis, quorum motibus, perturbationibusque ceſſerunt, ſine ulla conventiculorum ſegregatione uſque ad mortem defendentes, & teſtimonio juvantes eam ipſam fidem, quam in eccleſia catholica prædicari ſciunt. Hos coronat in occulto Pater in occulto videns.* Rarum hoc videtur genus, ſed tamen exempla non deſunt. Horum itaque exemplum LUTHERUS ſequi debuiſſet,

(*a*) De vera Relig. c. 7.

& qui poſtea reformationem novam aut excitarunt, aut ei ſe adjunxerunt, ſi cauſam DEI propugnaſſent, ſi Spiritum DEI habuiſſent. At recte ipſe Lutherus eſt faſſus, litem iſtam cum DEO non cœpiſſe, nec cum DEO finiendam fore. (*a*)

VI. At

(*a*) Eſt hic peremtorium Fratrum Wallenb. *de unit. eccl. L. III. c.6.* argumentum: » Excommunicatio Leonis X. vel dat juſtam cauſam ſeparationis, vel non dat juſtam cauſam. Si hoc, ergo fruſtra provocatur ad eam excommunicationem. Sin vero det juſtam cauſam, uti Proteſtantes volunt, quærimus: vel ea excommunicatio totam eccleſiam catholicam reddidit nocentem & deſerendam, vel non reddidit nocentem & deſerendam. Si totam eccleſiam nec reddidit nocentem nec deſerendam, ſchiſmatici erunt Proteſtantes, qui totam eccleſiam catholicam non nocentem deſeruerunt. Sin autem ea excommunicatio totam eccleſiam catholicam fecit nocentem, & deſerendam, neceſſe eſt, ut crimen Leonis X. quod iſti fingunt, tribuatur omnibus, & ſingulis eccleſiæ catholicæ membris, & ſic ad Donatiſtarum caſtra tranſibunt Proteſtantes, quantumvis a S. Augustino, aliisque SS. Patribus olim diruta. Cum enim alterum neceſſe habeant adſtruere, vel innocentium communionem a ſe eſſe deſertam, vel alieno crimine ex innocentibus factos eſſe nocentes, evidentiſſimum eſt ex provocatione ad excommunicationem Leonis X aut ſchiſmaticos aut Donatiſtas eſſe Proteſtantes.

VI. At quoniam variant in excuſationibus ſuis, ut moris eſt ejusmodi hominum *variare in regula* juxta S. HILARII effatum; ſæpe liberaliter dant ſe feciſſe ſeceſſionem, idque etiam negare non poſſunt factum in publicis fidei confeſſionibus. Videndum eſt quid pro excuſando ſchiſmatis crimine in medium producant. Potius in nos retorquendum putant hanc culpam ob plures articulos in quibus a veteri eccleſia diſceſſerimus, & nova induxerimus dogmata. Majores ſuos juſtas habuiſſe ſeparationis cauſas, & præjudicia longe graviſſima, idololatriam cœtus Romani, mores enormiter depravatos, doctrinas abſurdiſſimas: etiam habuiſſe ſe jus examinandi ſtatum religionis & eccleſiæ, cum plurima indicia fuerint corruptionis: ſeceſſum neceſſarium fuiſſe, cum reformatio pacifica ſperari haud potuerit ab hierarchia Romana. Ex ſuperioribus manent quidem hæc abunde confutata, dictis nimirum de natura ſchiſmatis, quod nunquam facere liceat: dum aliis malis, quæ ſe in eccleſia deprehendiſſe fingunt, aliud longe graviſſimum addiderunt, ſchiſma nimirum, ac læſionem unionis, charitatisque chriſtianæ. *Nulla enim,* utor S. IRENÆI (a) ver-

Aut quaſi noſtris erroribus neceſſitatem exeundi injecerimus.

N n 5 ver-

(a) L. IV. contra Hæreſ. c. 33.

verint ? Quamvis vero multi agnoſcant adhuc hodie ſalutis apud nos locum eſſe ; alii tamen alium tunc ſtatum fuiſſe dicunt , quam nunc ſit. *Paulus* FERRY , ut refert BOSSUET, etiam annum deſignat, quo hic ſtatus mutatus ſit, *annum* 1546. circa ſeſſ. IV. conc. Tridentini, quo novi acticuli fidei ſint deciſi. At prætérquam quod ad præſentem de ſchiſmate cauſam nihil hoc referat, quod ante eſt factum, quam hæc immutatio contigerit ; non poſſunt dicere novos articulos eſſe factos. Si enim nova fuiſſet doctrina, quomodo jam antea invecti in eam fuerunt, atque ejus cauſa ſeceſſionem fecere ? Vel ergo injuſta fuit ſeceſſio, vel dogmata nova non fuerunt facta, quod veriſſimum eſt. Eccleſia enim determinando dogmata fidei non nova facit, ſed vetera definit. Ipſi vero nullam habent legitimam auctoritatem, ac judicium competens ad decidendas cauſas fidei, conſequenter nec ad excuſandum ſchiſma.

Quam graves cauſæ requirantur ad eccleſiam deſerendam.

VIII. NICOLLIUS Gallus, JANSENII equidem fautor, fidei tamen contra hæreticos aſſertor ſtrenuus, maximas inter Calviniſtas turbas ſcriptis duobus excitavit, quorum uno oſtendit eos, qui Romanam communionem ſæculo deci-

mo

mo ſexto deſeruerunt, id niſi ſumma temeritate facere haud potuiſſe: altero exponit inſuper, quid ipſis faciendum fuiſſet, ut congruam hac in re certitudinem conſequerentur. CLAUDIUS & JURIUS reformatorum doctores, ſi qui alii acuti, NICOLLII libros refutandos ſumſerunt, atque oſtendere conati ſunt, catholicos in certitudine congrua aſſequenda multo magis laborare, qui ſe immenſo traditionum oceano committant: cum is, qui ſatis firmus eſſe velit, & certus, inquiunt, ſcire debeat hoc ſcripturam velle, ut eccleſiæ nos ſubjiciamus.

Hæretici juſtas cauſas eam deſerendi non habuerunt.

IX. Enimvero illi ex hæreticis, qui eccleſiam externam, & viſibilem admittunt, quod hi faciunt, & huic eccleſiæ factam promiſſionem concedunt, ut æternum ſit perduratura, & per orbem univerſum diffundenda (quod negare non poſſunt, qui ſemel concedunt ſcripturam, cum de eccleſia loquitur, de externo cætu quopiam debere intelligi) quo ſe vertant, ut ſe a ſchiſmatis crimine liberos reddant? AUGUSTINO ſic aperta viſa ſunt & clara ſcripturæ teſtimonia de eccleſia externa (de qua illi ſolum contra Donatiſtas ſermo eſſe potuit, nec adverſariis noſtris diffitentibus) ut nihil clarius eſſe poſſe judicaret, quod multis

ducit omnes eccleſias, quamvis diverſiſſima fide ductas, in unam convaſare, quam ſuam ab eccleſia Romana defectionem damnare, extra quam nullam inveniebat in orbe diffuſam eccleſiam.

Exponitur ulterius Jurii ſyſtema, quo crimen ſchiſmatis a Proteſtantibus amoliatur.

XI. Ut ergo aliquo modo ſyſtema ſuum poſſet defendere, opus fuit negare externam unitatem eccleſiæ neceſſario competere: ne quod conſequens eſſe videbat, deberet admittere, nimirum aliquod vinculum, ac centrum, quo externa nitatur unio, atque ex quo neceſſario cohæreat: & ſicut ille unionem ſolum internam ſtatuit fidei, paucorum nimirum articulorum fundamentalium; ita etiam inviſibile ſolum agnoſcit centrum unitatis ac caput eccleſiæ Chriſtum. Centro autem cum doctrina fundamentali retento, nullam, putat, unquam totalem ſeparationem inter cœtus chriſtianos fieri potuiſſe, neque qui ſchiſma dicuntur feciſſe, eccleſiæ gremio excidiſſe, aut unionem penitus ſublatam eſſe, etiam per excommunicationes ab una provincia contra aliam vibratas: quibus nihil obſtantibus unio vere fidelium integra conſiſtat, nec unquam ſciſſuram patiatur. Unde facile putavit ſe poſſe evadere ſchiſmatis culpam tam pro eccleſiis Proteſtantium hodiernis, in partes ſciſſis, quam etiam pro primis

ſchi-

ſchiſmatis auctoribus, quos putat ſchiſma non feciſſe cum occultis fidelibus in ipſa communione Romana deliteſcentibus, imo cum ipſa eccleſia Romana eo temporis necdum totum fundamentum ſubrutum habente. Quin etiam licitam eſſe vult ſeparationem ab eccleſia antiqua, extenſa & viſibili, eoquod talem conceptum proprie eccleſiæ non competere putet, cum antiquioribus etiam temporibus frequentes hujusmodi fuerint ſeparationes, imo in ipſo Judaiſmo.

XII. Hoc ſyſtema extorſit Jurio, quod, ut antea diximus, apertiſſimis ſacræ ſcripturæ textibus fuerit convictus, eccleſiam in orbe terrarum extenſam eſſe debere: qualem cum præter eccleſiam Romanam nullam inveniſſet exteriore unitatis vinculo conſociatam, interiorem in ſuo cerebro effinxit eccleſiam, quæ nuſpiam eſt: nec ſi eſſet, vere eccleſia dici poſſet communi ſenſu, ac uſu, ipſoque etymo ſocietatem aliquam exteriorem etiam communione ſibi junctam ſatis demonſtrante. Quam non ſolum unitatem, ſed etiam centrum unitatis viſibile antiquiſſimis temporibus agnitam atque tanti habitam ſcimus, ut illius conſervandæ ſummum ſtudium ſemper ſit habitum, ut docent illa ipſa exempla, quæ Jurius in contrarium affert. Et examinatur.

affert. Judæi enim ob ſchiſma Samaritanos exoſos habuere, & hanc etiam ob cauſam a Chriſto ſunt vituperati cum illo tempore ſolo ſchiſmatis crimine tenerentur. Primi deinde chriſtiani in controverſia de legalibus tantam unitatis curam habuerunt, ut potius aliquid etiam erroris tolerare conſultum duxerint, quam hanc periclitari. Idem in cauſa de Paſchate & rebaptizatione hæreticorum eſt factum eo tempore, quo adhuc controverſiæ nullo eccleſiæ judicio erant definitæ. Quibus temporibus unitatem retinere in diverſitate etiam rituum & opinionum maxime laborarunt: ſecus ac JURIUS contendit, qui conſervata fide, eaque mutila, cætera debachari inter ſe ſinit, & graſſari chriſtianos magis quam infenſiſſimos quosque hoſtes, & inter fideles plusquam Babelicam ſententiarum confuſionem permittit, cum nihil magis ſpiritui chriſtianiſmi, quam pax, unitas, comitas, humilitas ſit proprium. Neque ad eccleſiæ conſtitutionem ſatis eſt conſentire de doctrina evangelii, & adminiſtratione ſacramentorum, cum etiam contra ſchiſmata unitas communionis ſit neceſſaria, ut eſt conſors omnium ſententia, qui contra ſchiſmata olim egerunt, quorum a nobis ſuperius ſunt allata teſtimonia. Requiri-

quiritur enim ad hanc unitatem, ut communio & ſocietas cum ea eccleſia habeatur, quæ ab apoſtolis, in toto terrarum orbe conſtituta, & ad nos uſque eſt propagata : alias nunquam ſchiſma factum eſſe dici poſſet. Et fruſtra fuerunt, quicunque ex omni ævo contra ſchiſmata exorta calamum ſtrinxerunt: ſi enim interior cum occultis & ignotis communio ſola expetenda eſt, quid opus fuit omnibus retro temporibus externam tantis conatibus inſtruere, propugnare, reſtituere, nulla unquam habita ratione occultæ hujus communionis noviter ab Novatoribus confictæ, de qua ante ipſos nec ſomniatum eſt. Schiſmatici omni tempore illi ſunt habiti, qui corpus eccleſiæ proſciderunt, & ab eccleſia ſunt ſeparati: cum igitur illi, qui ſchiſma aliquod fecerunt, aliquando palam hoc fecerint (alias enim nec judicari, nec lis intendi, utpote ignotis, potuiſſet) & unitas eccleſiaſtica ab his talibus ſemper tanquam lacerata fuerit habita; ſequitur eos, quicunque ſchiſmaticis ſe aliquando oppoſuerunt, nullam aliam hujus vocis notionem attendiſſe, quam quæ apertam, & propatulam ab eccleſia ſeparationem involvit. Hæc ſicut eſt nativa eccleſiæ, ita ab omnibus ante Novatores, ut ſuperius probavimus,

ſemper eſt acceptata. Poſterioribus his temporibus neceſſitatem communicandi cum eccleſia aliqua externa, vi veritatis adacti, multi negare amplius non poſſunt, quamvis in ea explicanda varii ſint, ut ex eorum libris, confeſſionibus, & conciliabulis liquet, ubi diverſiſſima de hac re ab illis ſtatuta videas; qui proprius ſemper fuit hæreticorum character. Sed quocunque hac ſemel admiſſa veritate ſe vertant, inextricabiles laqueos incurrunt: jam enim horrendum in modum vexantur illa quæſtione: qua nimirum de cauſa ſe ab eccleſia externa omni ſciderint, novasque erexerint?

CAPUT IV.

De tollendo ſchiſmate, & variis tentatis concordiis inter ſectas.

I.

Qui de ſchiſmate tollendo ſolliciti fuerint.

Non defuerunt ex noſtris, & adverſariis, qui tollendo ſchiſmati aliquando inter tot diſſidentes chriſtianorum partes ſollicitius manus admoverunt. Notum eſt hac in re ſtudium imperatorum Caroli V. Maximiliani, Fer-

FERDINANDI, CASSANDRI, Cardinalis RICHERII ex catholicis; GROTIORUM, CALIXTORUM, FABRICIORUM &c. ex acatholicis: quorum conatus tamen multis male ceſſit, cum aut apud ambas partes ſeſe ſuſpectos redderent, aut Syncretiſmi rei agerentur. Primis ſtatim reformationis initiis plures ejusmodi Irenarchæ ſunt numerati, inter quos ERASMUS *Roterodamus*, & ipſe etiam quadantenus *Philippus* MELANCHTON, qui facile in adverſas trahi poterat partes, ſuis, aliquando nobis, poſtea etiam Calvinianis indulgentior viſus. ERASMUS quid profecerit, ipſe epiſtola quadam refert ad BARBIRIUM ſcribens: *Mea ego præclarum operæ pretium fero, qui utrinque lapidor: apud noſtros falſiſſimo titulo traducor Lutheranus, apud Germanos male audio, ut Lutheranæ factionis adverſarius.* Nec aliis melius res ceſſit, ut fere de ſingulis conſtat, quos jam olim eleganti carmine complexus eſt *Hugo* GROTIUS ipſe connumeratus.

Qui gaudes Batavis quod aheneus aſtet Eraſmus
Præmia ſed meritis iſta minora putas.
Qui quod Caſſandri *veracia ſcripta teruntur*
Cordeſio *grates hæc bona propter agis.*
Quem prædulce juvat ſtillante Melanchtone *nectar*

Qui Wiceli *chartas*, Modreviique *legis.*
Qui pia vota probas Spalatinis inſita libris
Deque decem velles non periiſſe duos :
Quique putas regem multum ſapuiſſe Britannum
Cum ſua mandavit ſenſa Caſaubonidæ.
Accipe ſed placidus, quæ ſi non optima certe
Expreſſit nobis non mala pacis amor.

Conatus Proteſtantium Græcos ſchiſmaticos ad ſuas trahendi partes.

II. Tentaverunt Proteſtantes cum ſchiſmaticis Græcis ſeſe conjungere. Rem longo ſermone narrat *Leo* ALLATIUS, *Lib. III.* de eccleſiæ occidentalis & orientalis perpetuo conſenſu : ex quo nos, quantum ad præſens inſtitutum ſatis eſt, pauca referemus : *Pertentarunt*, inquit ille (*a*), *ſæpius occidentales hæretici Græcorum animos maximis etiam pollicitationibus allicere ad proprias hæreſes ; confeſſionem propriam in linguam Græcam verſam mittere patriarchis, & alii conati ſunt, ſed inani labore, neque enim juvit illos, etiamſi prætenderent, ſimilem doctrinam nihil in ſe novi continere, ſed omnia ex ipſa Chriſti diſciplina verboque pura illibataque habere, ſpuria, & quæ per ſiculos homines in eccleſiam nefarie invecta ſunt, abjicere.* Primus negotium hoc ἐνθέως meditatus eſt *Philippus* MELANCHTON, is exemplum Augu-

(*a*) De Eccl. occid. & orient. perp. conſ. *L.* III. c. 8. n. 7.

Auguſtanæ confeſſionis ad JOSAPHAT patriarcham Cpolitanum per *Demetrium* MYSUM diaconum ejusdem eccleſiæ miſit, qui, ut refert *Melchior* ADAMUS in vita MELANCHTONIS, Cpoli Wittenbergam venerat, ibi per ſemeſtre commoratus, ut cognoſceret doctrinam illarum eccleſiarum: addidit MELANCHTON ſimul epiſtolam: at quæ, referente ALLATIO, nec reſponſione digna judicata eſt a Cpolitano. Deinceps theologi Wittenbergenſes anno 1574. aliud exemplum confeſſionis Auguſtanæ ad HIEREMIAM tunc Cpoli patriarcham miſerunt, ut illud videret, conſideraret, & niſi moleſtum eſſet, ſuam de eo ſententiam ſignificaret. Anno ſequenti alia quinque exemplaria eorundem opera Conſtantinopolim pervenerunt. Miſſus autem fuerat, ut refert *Melchior* ADAMUS in vita CRUSII, qui fuit præcipuus promotor iſtius Enotici, *Stephanus* GERLACHIUS cum Græca CRUSII epiſtola ad patriarcham, ad quem, cum primum nullum reſponſum accepiſſet, ſequenti anno iterum ſcripſit, itemque anno 1579. miſſis ſimul libris florenorum quadraginta duum. Refertur etiam in epiſtola ARSENII Hieromonachi Cpolitani decreto ſynodali orientis ſuper Calvinianis dogmatibus præfixa, hunc HIERE-

MIAM a Lutheranis Germaniæ ad concordiam communionemque dogmatum invitatum, partim multa pollicentibus iis, partim comminantibus, & violenter inſtantibus. Iisdem ſubſidiis & artibus poſtea LUCAREM Patriarcham Cpolitanum expugnarunt, atque ad ſuas pertraxerunt partes. *Omnes is*, ſunt verba *Leonis* ALLATII, *l. c. admovit machinas, ut avita pietate pulſa novam hanc Calviniſtarum labem in Græciam importaret. Quod cum non ſuccederet ex voto, alios etiam patriarchas invitavit, ſperans ſe eorum acceſſione negotio pondus addere poſſe. Quid cum cæteris egerit in tam ſecreta negotiatione, plane ignoro Litteras tamen ad Geraſimum patriarcham Alexandrinum, ab Antonio Sibero doctore Gebennenſi, & Cornelio Hagio Hollandorum oratore conſcriptas miſit, quibus & collegiorum erectionem, in quibus alumni Græci Hollandorum expenſis alerentur, & erudirentur, nec non ſanctorum Patrum editionem, aliaque perplura promittebant, ſi modo unionem cum Calviniſtis admittere vellent.* Fuit etiam, ut narrat *Wenceslaus* BUDOWIZ in epiſtola ad *Davidem* CHYTRÆUM, exemplum confeſſionis Auguſtanæ Cpoli repertum ex illis, quæ *Steph.* GERLACHIUS illuc deportaverat principi cuidam Georgiano oblatum, quod benigne quidem ab eo

ex-

exceptum juſſit in linguam ſuam Ibericam transferri : ſed id ſparſum apud nationem iſtam, nullo in pretio habitum viluit, & abolitum eſt.

III. Sic etiam in irritum ceſſerunt quæcunque aliæ molitiones Proteſtantium conciliandi ſibi Græcos. Nec aliter fieri potuit, cum Proteſtantes a nobis ſeceſſionem fecerint ob complures articulos nobis communes cum oriente, & fruſtra olim gloriati ſunt, Græcos viſa confeſſione Auguſtana de Lutheranis, quos antea condemnabant, mitius judicaſſe, patriarcham pleraque in ea probaſſe, de aliis quibusdam dubitaſſe, ideoque plura exemplaria exoptaſſe : cum conſtet, confeſſionem Auguſtanam eos ab Hieremia in plerisque refutatam recepiſſe. In epiſtola operi præfixa Hieremiæ ad *Martinum* Crusium & *Jacobum* Andreæ in faciem ipſis exprobratos humaniſſime craſſos errores legimus : *Sin autem in quibusdam partibus dogmatum pietatis noſtræ prima ſtatim quaſi fronte vos non exhilaramus, confidimus tamen, qua veſtra eſt ſapientia, doctrinaque & prudentiæ ubertas, nihil vos ſanæ & rectæ doctrinæ antelaturos, neque inſtituta & ſanctiones plane novas, & quaſi ex diametro cum evangelica JESU Chriſti philoſophia pugnantes amplexuros, neque in*

Sed fruſtra.

huc ex alia in aliam a recta fide alienorum dogmatum commigratione tempus fruſtra conſumturos; neque conſuetas & præjudicatas opiniones veſtras cum omni recta ratione pugnantes (homines enim ſumus omnes, ideoque timidæ parumque ſecuræ ſunt juxta ſapientiſſimi Salomonis dictum omnes cogitationes ac ſtudia noſtra) potius quam id quod verum eſt & ſincerum ſecuturos; magis autem ipſiſſimæ veritati ac ſapientiæ Domini noſtri JESU Chriſti, quam divini ejus diſcipuli, atque apoſtoli in ſuis canonicis & ſalutaribus ſcriptis profitentur, quam omnes univerſales & particulares ſanctorum Patrum ſynodi ſecutæ ſunt, quam unius ſanctæ eccleſiæ divinæ ſcientiæ pleni præcones, atque doctores nobis tradunt, omnesque in eam communi concordia, & voluntate clare conſentiunt, animo & confeſſione adhæſuros. Hæc ibi HIEREMIAS patriarcha. Nec melius ceſſit poſterior negotiatio unionis, quamvis *Cyrillum* LASCAREM in ſuas partes perduxerint. Exhorruit GERASIMUS Alexandrinus patriarcha ad litteras ſibi oblatas de hac re, atque ita inter alia reſcripſit: *Conjungi cum hominibus alienæ fidei, non ſolum periculoſum eſſe didicimus a beato Paulo, ſed etiam evitandum vehementiſſime. Idcirco vos interim nec unius corporis, nec unius ſocietatis & communio-*

nis

nis vocare auſim, quippe qui ejusdem dominici corporis non eſtis participes, nec eadem imagine fidei conſignati, nec do viciſſim pacem Chriſti, & in Chriſto, niſi eo modo, quo illam Chriſtus dat mundo, periculoſa enim conſenſione ſcio melius eſſe laudabile diſſidium. Quod ſi rurſus conjungi volueritis, ut in tuis litteris ſubindicare videris, nihil omnino deflectentes, non multum, non parum ab ea religione, quam vos etiam antea tenebatis, tunc ſane libenter expanſis ulnis ſuſcipiemus. In epiſtola vero, decreto ſynodali ſuper Calvinianis dogmatibus præfixa, profitentur, quæ prius ſub *Cyrillo* Lascare acta ſint, non eſſe communi Græciæ conſenſu geſta, neque ſane plerisque conſciis, ſed penitus ignorantibus: unum autem, neſcio quem, fuiſſe omnis hujus fabulæ auctorem Cyrillum perditis moribus virum, ac turbulentum, quique omnia lucro & temporariæ gloriæ poſthaberet &c. Poſt multa de ſynodi ſuæ ſtatutis ſermo fit, in qua Calvini hæreſim, & omnia illius dogmatica capitula, quæ Cyrillus, quaſi Græcæ eccleſiæ nomine profeſſus erat, confirmaveratque, damnaverunt, & æterno anathemati, condemnationique ſubjecerunt. Præterea vero & eos, qui talia dicerent, prædicarentque a catholica eccleſia, & omni orthodoxorum com-

communione ſubmoverunt. Sic ergo divina providentia factum, ut etiam inter duos eccleſiæ æmulos, & adverſas factiones pax ac unio conciliari haud potuerit, quod alias fieri proclivius eſt.

Communio orientem inter & occidentem nonniſi per eccleſiam Romanam conſueta.

IV. Demus autem hoc conſilium proſpere ceſſiſſe; imprimis eſt ſuſceptum negotium, poſtquam ſeceſſio ab univerſa eccleſia jam fuerat facta, nova eccleſia ſegregata, & conſtituta. Deinde, quod ſi nihil horum etiam accidiſſet, audiant ex AUGUSTINO, conſuetudinem eccleſiæ antiquæ ſervatam in communione orientem inter & occidentem curanda. Donatiſtæ pari cum iſtis ſtudio & conatu quærebant communionem ſuarum eccleſiarum cum eccleſiis orientis, ſed in eo feliciores videri poſſunt, quod proferre potuerint concilium quoddam Sardicenſe, non illud catholicum quidem, cujus & nos auctoritatem ſuſcipimus, & præſertim eccleſia Romana ſemper maxime tuita eſt, ſed partem illam ab hoc concilio abſciſſam Arianorum Philippopoli. Audiant quid ad hoc reſpondeat S. AUGUSTINUS, & ea reſponſione haud minus ſe premi non diffitebuntur quam Donatiſtas, ſi non omnem ſinceritatem abjecerunt. Deinde, cujus cauſa hoc præprimis affero, diſcent veteris eccleſiæ exemplo, quo nexu hoc effe-

effectum ire (ſi ſocietatem cum oriente facere vellent) oportuiſſet. Imprimis ergo dicit S. Doctor eos, qui Donatiſtas in ſuam communionem recipiebant, Arianos hæreticos fuiſſe : *Non igitur*, inquit, *mirum ſi illi hæretici Donatum ſibi adſciſcere tentaverunt, quos per totum orbem catholica damnat eccleſia.* Deinde oſtendit AUGUSTINUS, nunquam orientem occidenti ſe ſociaturum, niſi per Romanam eccleſiam : *QUOD AD CARTHAGINIS EPISCOPUM, ROMANO PRÆTERMISSO NUNQUAM ORIENTALIS ECCLESIA SCRIBERET.* Videant ergo, ſe vel in hoc peccaſſe, quod contra com̃unem antiquam conſuetudinem (non enim ſuo ſenſu hæc loquitur AUGUSTINUS, ſed uſus, & conſuetudinis eccleſiaſticæ allegat obſervationem) orienti communicare voluerint, Romana prætermiſſa ſede. Sed addit, *DEO gratias, quod nec valuit, ſi tamen capta eſt illa conſpiratio hæreticorum orientalium, cum Afris hæreticis prævalere.*

Proteſtantium conſilia unionis & concordiæ inter ſe.

V. At conſultum foret Proteſtantibus, ut antequam pacem & concordiam cum Græcis, qui non tam locis, quam dogmatibus & ſententiis ab ipſis diſtant, diſſidentque, inire ſtuderent, prius ſecum ipſis convenirent : apud quos non

ſolum

ſolum totum Proteſtantium corpus in diverſas ſectas abit, ſed etiam unius alicujus nationis imo civitatis eccleſia diverſiſſimas tenet opiniones. Hoc argumento complures, evicturi eccleſiam Proteſtantium non eſſe veram Chriſti eccleſiam, uſi ſunt, quod in tot ac tantas ſit diviſa portiunculas: uti vel in Anglicana deprehendere licet eccleſia, ubi etiam plures indies exurgunt Deiſtæ, Atheiſtæ, Empectæ ob ſchiſmata eccleſiæ & contentiones fervidiores inter epiſcopales & presbyteranos, chriſtianam religionem prorſus deſerentes, imo palam criminantes, eccleſiæ miniſtros impoſtores. Verum quidem eſt, eos licet ſententia in diverſiſſima abeuntes, tamen inter ſe pacis aliquod ſtudium monſtrare, uti etiam Novatiani, Donatiſtæ, Ariani, aliique hæretici & ſchiſmatici, unionem inter ſe habere laborarunt, atque, ut dudum a S. CYPRIANO annotatum, apud ejusmodi ſchiſmata eſſe non videntur, quia non comparent, ipſaque diſcordia pax eſt: at quod opinionibus inter ſe aliquando coierint, unusque alterius ceſſerit pervicaciæ, nec contigit hactenus, nec ſpes eſt, fore, ut contingat. Quoties non Lutherani cum Calviniſtis colloquia pacificationisque negotium tractarunt irrito eventu?

VI. Jam

VI. Jam LUTHERUS Marpurgi cum ZWINGLIO concordiam molitus eſt, at communionis dextras ſibi negarunt. Wittenbergæ præterlapſo poſt Marpurgenſem conventum ſeptennio concordiam iniiſſe LUTHERUS cum BUCERO videri poterat: verum qualis iſta fuerit pax quam ficulneis nexa vinculis, eventus docuit: cum BUCERUS verborum fucis in utramque partem vergens, æqualiter apud utramque partem, Saxones, & Helvetios malam inierit gratiam. In altera Lipſiæ habita συζητήσει charitatem ſibi mutuo obtulerunt, nihilominus in ſua ſententia perſiſtentes. Quid in colloquio Maulbrunenſi profecerint, res docuit. Idem pacis per librum concordiæ meditationem effectus eſt ſecutus. Vergente ſuperiore ſæculo Caſſellis inter theologos Rintelenſes, & Marpurgenſes in præſentia etiam virorum honoratorum eſt habitum colloquium, variis etiam academiis ſuas operas interponentibus, dolentibus univerſis non ſolum inter nos & ipſos, ſed etiam ſemetipſos ſemina litium, & diſcordiarum triſtiſſimarum eſſe ſparſa. Utrinque magnum erat pacis deſiderium, & videri poterat etiam aliquid profectum: ſed ſcilicet hoc erat, quod alias accidit, quando optimus etiam eſt viſus eventus,

Referuntur variæ concordiæ molitiones, quæ omnes ſucceſſu caruerunt.

ut

ut manentibus utrinque in ſuis præjudiciis, nihilominus pacis ſtudium pollicerentur, eoquod de fundamento ſalutis conſenſus quidam eſſet, utraque parte Chriſtum ſalvatorem, agnoſcente, ac confitente: pactumque eſt, ne in cæteris alterutra pars alteram propter diſſenſum in quæſtionibus adductis reſiduis traducat, conviciis proſcindat, aut damnet. Uti rem omnem refert inter alios *Hieronymus* KROMAYERUS in acceſſione ad ſcrut. Relig. *Diſſ. IV. V.* atque ſimul etiam vanitatem, inutilitatem infelicemque ſucceſſum hujusmodi Enoticorum oſtendit. Quod hucuſque ſemper patuit in pacificationibus Lutheranos inter & Calviniſtas. *Studio pacis*, inquit laudatus auctor, *interim pollicem utrumque premimus, modo talis pax, quæ nos a DEO non disjungat, in negotio religionis componatur. Nullum inter Lutheranos & Calvinianos pacificandi medium eſt aliud (cum partis utriusque religio ſit irreconciliabilis) quam ut Calviniani DEO dent gloriam, errores ſuos agnoſcant, & veritati palmam dent.* At eodem jure ſe Calviniſtæ ita loqui poſſe dicent: imo quicunque novam aliquam doctrinam aut ſectam ſuſcitarit: nec ulli major alteri cedendi ratio præ alio in Proteſtantium principiis.

VII. Ne-

Conſilia Proteſtantium conciliandi ſententias, aut ſaltem condonandi.

VII. Neque etiam hactenus incruſtationibus aliquid conſecuti ſunt, quibus adverſa inter ſe & pugnantia conciliare conati ſunt dogmata, ac confeſſiones fidei, ex quibus harmoniam quandam compilarunt Genevenſes. Etiam fruſtra nuper conſultationem ſuam amicabilem de pace inter Proteſtantes, communicato cum *Daniele Severino* SCULTETO conſilio, elucubravit JURIUS; non enim melior ſucceſſus ſequitur, quam alias toties jam inaniter tentata pace ac unione. Imo vero nunquam minor ſpes affulgere potuit, quam propoſitis a JURIO conditionibus ſuo in libro conſultationis amicabilis de pace inter Proteſtantes: quæ ad duo potiſſimum redeunt, *Recriminationem* & *Compenſationem*. Recriminationem in eo ſtatuit, ut quæ Lutherani in Calviniſtas criminantur, hi in illos retundant. E. g. accuſant Lutherani Calviniſtas; facere eos DEUM auctorem peccati, cujus ejusdem criminis etiam ſit accuſandus LUTHERUS: ſi gratia in ſenſu CALVINI irreſiſtibilis offendat Lutheranos cogitare debere, quod illam eo LUTHERUS urſerit, ut ſe Manichæiſmi reum fecerit, cum contra Lutherani hodie ad extremitatem oppoſitam deflexerint, atque liberum arbitrium uſque ad Semipelagianiſmum, ei attribuendo

initium ſalutis, extulerint. Addit Junius alias recriminationes de neceſſitate bonorum operum, certitudine ſalutis, ubiquitate, tum ad compenſationem dogmatum progreditur. Ubi, nihil moratus errores craſſos, contradictiones, ac manifeſtam cæcitatem, quæ omnia Lutheranis exprobraverat, pacem cum illis inire, ac fœdus jungere geſtit mutua tolerantia & compenſatione errorum, quorum una alteram ream facit partem. Mira & ridicula pax eſt hæc, ut errores mutuo condonentur, non abjiciantur, compenſentur, non deponantur. Taceo complura alia, quæ apud WALCHIUM in hiſtoria religionis, & Lutheraniſmi videri poſſunt, incaſſa molimina.

Nulla ſpes unionis inter Proteſtantes, quia ſecus ac nos catholici deſtituuntur medio ac centro unitatis.

VIII. Aliter fieri nequit, ubi quilibet eſt judex cauſarum, & controverſiarum fidei: cur enim unus præ altero alteri deferat, cum uterque eandem ſibi vindicet auctoritatem? Hinc ex ipſis Proteſtantibus quidam agnoverunt neceſſitatem hierarchiæ eccleſiaſticæ uſque etiam ad primatum Romani pontificis, quod alias nulla commoda ſit via ad ſchiſmata in eccleſia devitanda. *Unitas enim antiſtitis*, ait *Hugo* GROTIUS (*a*), *optimum adverſus ſchiſmata eſt remedium, quod & Chriſtus monſtravit, & comprobavit expe-*

a.

(*a*) Annot. ad conſultat. CASSAND. ad art. 7.

perientia. Hanc principatus in epiſcopo Romano utilitatem ingenue agnovere Melanchton multis locis, Jacobus rex Britanniæ, multique ex Proteſtantibus viri eruditi; atque hanc agnoſcit alibi eſſe cauſam apud catholicos, ut omnes in iis, quæ necdum ab eccleſia ſunt definita in eccleſiæ tamen unitate perſiſtant: *Quæ vero eſt cauſa*, inquit (*a*), *cur* a.
qui opinionibus diſſident inter catholicos maneant in eodem corpore non rupta communione? contra qui inter Proteſtantes diſſident, idem facere nequeant, utcunque multa de dilectione fraterna loquantur? Hoc qui recte expenderit, inveniet quanta ſit vis primatus. In eccleſia igitur catholica ſola tenetur unica conſervandæ unitatis ratio: *Quatenus nunc omnes catholici*, loquor cum Bellarmino (*b*), b.
toto orbe diſperſi de omnibus dogmatibus fidei ſentiunt idem, nec poſſunt aliter ſentire: cum omnes ſubjiciant ſenſum ſuum ſenſui unius, & ejusdem ſummi paſtoris ex cathedra Petri cum conſilio aliorum paſtorum eccleſiam dirigentis. Certe experientia docuit, ſanctos etiam, quando ſe ad hanc petram non ſatis firmiter tenuerunt, aberraſſe. Veluti conſtat in cauſa

Pp 2 Pa-

(*a*) *Hugo* Grotius animadverſ. in animadverſiones Riveti.

(*b*) *L. IV.* de Notis eccleſ. *c.* 10.

Paſchatis & rebaptizationis hæreticorum primis etiam ſæculis, quamvis unitatis conſervatio ante ultimatam cauſæ deciſionem tunc excuſationem erroris dederit, ac dare poſſit: ut adeo fruſtra nobis Syncretiſmum objiciant, ob pugnas & diſſenſiones ſcholarum, quæ in cauſis fidei non ſunt: quod ſi foret, adeſſet publicum tribunal, cui omnes depoſito errore deferret. At aliter res ſe habet, cum privati quique arbitrium in rebus religionis ſibi aſſumunt, qualiter cuique in mentem venit, aut etiam principes ac magiſtratus hic juris aliquid ſibi arrogant. Quod dum fieret his poſterioribus temporibus, quam male res ſucceſſerit dicam non meis, ſed jam laudati *Hugonis* GROTII (*a*) verbis: *Nam & confeſſiones factæ ſunt variis in locis variæ, atque inter ſe pugnantes: & non modo, quæ factæ erant partes, non potuere unquam inter ſe coaleſcere, ſed & novæ quotidie exortæ ſunt particulæ, tot, ut nemo ſit, qui earum inire poſſit numerum: & ut fæcunda eſt iſta ſeges, unoquoque ſibi licere credente, quod alius ante uſurpavit, credibile eſt novas quotidie extituras.* Ex hoc ad unitatis conſervationem facile GROTIUS neceſſitatem ordinis, auctoritatisque eccleſiaſticæ agnovit. *Gradus,* in-

(a) Votum pro pace eccleſiaſtica.

inquit (*a*), *præpoſitionum in eccleſia eſſe debere, & per illos gradus compaginari eccleſiam docuit nos Paulus* Eph. IV. 11. *ordo ſive in partibus, ſive in toto continetur principatu quodam, ſive præpoſiti unitate; & hoc eſt, quod in Petro nos Chriſtus docuit. Hoc a Chriſto didicit Cyprianus: idem cum Cypriano dicit Hieronymus adverſus Jovinianum: ſuper Petrum fundatur eccleſia &c. tale caput eſt inter presbyteros epiſcopus, inter epiſcopos metropolitanus, aut alio quis modo electus ut ceteris præſit; tale inter omnes epiſcopus Romanus. Hic ordo in eccleſia ſemper manere debet, quia ſemper manet cauſa, id eſt, periculum a ſchiſmate.* Quam rem deinceps exemplis & teſtimoniis porro confirmat.

Concordiæ inter nos, & Proteſtantes tentatæ primo a cæſaribus.

IX. Hæc ex *Hugone* Grotio exſcripſiſſe non piget, quamvis enim ejus pacificandi conſilium non probetur, tamen quia in Proteſtantium conventibus vitam degit, ejus confeſſio, quam veritatis convictio extorſit, robur habet, me vero eo deduxit, ut pauca delibem de communibus illis concordiæ nobiſcum etiam ineundæ conſiliis. Inter hæc numeranda primo venit Auguſtana confeſſio fidei, exhibita Carolo V. in comitiis Auguſtæ anno MDXXX. *Ut in*

(*a*) Id. ad art. VII.

hac cauſa religionis, ſic loquuntur in præfatione ad cæſarem, *partium opiniones, ac ſententiæ inter ſeſe, in charitate, lenitate, & manſuetudine mutua audiantur coram, intelligantur, & ponderentur, ut illis, quæ utrinque in ſcripturis ſecus tractata, aut intellecta ſunt, ſepoſitis & correctis, res illa ad unam ſimplicem veritatem, & chriſtianam concordiam componantur & reducantur, ut de cetero a nobis una ſincera, & vera religio colatur & ſervetur, ut quemadmodum ſub uno Chriſto ſumus, & militamus, ita in una etiam eccleſia chriſtiana, in unitate & concordia vivere poſſimus.* Datum conſilium ab ipſo cæſare fuerat, ut cum præſentatione mutua ſcriptorum, ac ſedata inter partes collatione, concordia conciliaretur. Oblatam confeſſionem non penitus abjecit ſtatim, ſed a catholicis perſcribi juſſit, quid de ea ſentirent. Varia etiam hinc inde inſtituit colloquia Auguſtæ, Ratisbonæ, ac alibi. De Ratisbonenſi colloquio teſtatur Bucerus, qui ex parte Proteſtantium
a. ei interfuerat (*a*): *Perpendendum piis, quam prudens ac ſalutare toti Germaniæ, imo univerſæ eccleſiæ Chriſti, conſilium imperator ordinibus imperii in eo ſcripto obtulerit, quod propoſuit de conciliatis in colloquio articulis admittendis, & ſecundum*

eos

(a) Bucerus in Act. colloq. Ratisbon. p. 74.

eos re eccleſiaſtica inſtauranda, vel uſque ad generalem ſynodum, vel donec aliqua legitima via, & ratione, & adſentientibus ordinibus imperii utilius aliquid ſtatueretur. Viſum erat CAROLO V. aliisque etiam poſtea imperatoribus, diverſis locis & temporibus ſæpius conventus, colloquia, & tractatus inſtituere, atque *utcunque* (ſunt verba FERDINANDI imperatoris ad CASSANDRUM theologum, cui cæſar negotium conciliationis commiſerat, qui etiam celebrem in hanc rem ſcripſit *conſultationem*) *tales conventus, & tractatus non omnino ſint ſortiti plenum, & optatum effectum, interdum tamen inter colloquentes ſeu diſputantes de nonnullis articulis non poſtremis quadantenus conveniſſe.* Laudabile videri poterat hoc imperatorum conſilium, ſi ſuis limitibus res conſtitiſſet; ſi nihil ſibi illi in negotiis religionis uſurpaſſent, qui legitima ad hoc auctoritate a Chriſto inſtructi non fuerant; ſi arbiter ac judex verus fuiſſet appellatus. At his deficientibus conditionibus non potuit conſiliis exoptatus reſpondere ſucceſſus. Impedimenta enim eadem erant, quæ paulo ante in pacificationibus Proteſtantium ſunt notata, atque ex *Hugone* etiam GROTIO aſſerta.

Hugonis Grotii conſilium pacis inter nos & Proteſtantes.

X. *Hugo* iſte Grotius & ipſe multum elaboravit in hoc chriſtianæ pacis negotio, illis ſe adjungens, qui ſciſſæ eccleſiæ mederi volunt; at bene prævideræt ſurrecturas adverſus ſe procellas, *quas experti ſunt*, ut ille quodam loco inquit (a), *viri multo me majores, quibus idem propoſitum fuit.* Certe maximis etiam imperatoribus hoc ſtudium non ſatis bene ceſſit. Et vero hujusmodi εἰρηνοποιοῖς ad hoc conſilium ſemper nonnihil aptior ex Proteſtantium ſcriptis eſt viſa confeſſio Auguſtana, ita ut etiam imperatores Carolus, Maximilianus, & Rudolphus huc eam applicare conarentur: quæ pro ſingulari *Phil.* Melanchtonis ingenio erat fabricata, admodum moderata. Ita Grotius, qui Pii IV. bullam approbantem, quæ in concilio Tridentino fuerant explicata, atque catholicam continet fidei profeſſionem, edidit, & pro fundamento pacificationis ſumſit, confeſſionem ei Auguſtanam ex altera parte jungendo: *Exiſtimans*, ut inquit auctor diſcuſſionis Rivet. Apol. (b) *commode acceptas doctrinas Tridentinam & Auguſtanam inter ſe non ita pugnare, ut multi credidere.* De qua

(a) Animadv. in animadv. *And.* Riveti *T. IV. op. Th. p.* 629.

(b) Inter opera Grotii Theol. T. IV. p. 680.

qua idem poſtea auctor ita ſcribit: *Ait Cardinalis Peronius in epiſtola ad regem Angliæ, ſi cognoſcatur realis Chriſti præſentia in Eucbariſtia, & ſacrificii veritas, ſi neque pro mortuis preces, neque preces ad ſanctos hac vita exſolutos damnentur, de ceteris facilem fore conventionem: at Auguſtana confeſſio illa priora duo approbat, duo altera, ſi recte intelligatur, non damnat; ſed id damnat, quod in illis modum excedit, aut cum vitio uſurpatur.* Neque veritus eſt dicere Hofmeisterus, ſi ubique, & ſemper ſic ſcripſiſſent Proteſtantes, quomodo in confeſſione, eccleſiam non fuiſſe futuram in tantis turbis. Igitur Grotius commodam ſibi, ad eam, quam moliebatur, concordiam hanc confeſſionem Auguſtanam ratus unacum bulla prædicta Pii IV. conſultationem Cassandri junxit, quam is ad Ferdinandum cæſarem miſit, dum ipſe adverſæ valetudinis cauſa adeſſe præſens, ut poſtularat Ferdinandus, non poſſet. In conſultationem hanc Grotius annotata ſcripſit, in iisque conciliationibus maxime ἐναντιοφανῶν occupatus, ſuas de unione rationes expoſuit. Adverſarium nactus inter alios virulentum *Andream* Rivetum, contra quem non ſemel cauſam ſuam eſt tuitus, mentemque expoſuit. Singulariter in

Pp 5 voto

voto pro pace eccleſiaſtica explicat mutuum, novæ reformationis cauſa excitatorum, materiam. In libris etiam de veritate religionis chriſtianæ eadem fere ſenſa, ac conſilia fovet ratione diſſenſus in dogmatibus.

Marci ANTONII de Dominis Spalatenſis conſilium ſyncretiſticum.

XI. *Marcus* ANTONIUS de dominis Spalatenſis inter præcipuos numeratur Syncretiſtas, *Georgii* CASSANDRI in multis veſtigia terens: quem prolixe laudat, cupitque libellum ejus ſuo libro ad finem adjici. Præſenſit & ipſe fatum ſui conſilii: unde coronidis loco addit de eo vaticinium, ubi ſcribit inter alia: *Scio me meo hoc conſilio, meaque ſententia, qua ab utraque parte hæreſin, & omnem legitimam cauſam ſchiſmatis amoveo, ut utramque conciliem, neutri ſatisfacturum. Qui ubique eſt, nusquam eſt, dixit mihi aliquis; mihi vero illud certum eſt, eccleſiam catholicam eſſe ubique, ac propterea non dubito eum, qui ubique eſſe recuſet, vere nusquam eſſe, quia in eccleſia catholica is non eſt.* Recte de eo vero ſcripſit *Martinus*
a. BECANUS (*a*), atque in eum invectus eſt: *Unum eſt, te neque catholicum eſſe, neque Lutheranum, neque Calviniſtam, ſed ab omnibus diſſentire, & novum doctrinæ ſymbolum partim ex aliorum ſcriptis, partim ex tuo cerebro conſarcinaſſe. Alte-*

(*a*) Opuſc. VI.

Alterum duplici ſpiritu ad ſcribendum impulſum te eſſe, altero odii in pontificem, altero amoris propriæ excellentiæ. Indolem illius ac fata etiam RIVETUS (*a*) nobis memorat: *Levitatem ejus, avaritiam, & ambitionem experta eſt Anglia: hæc virum alioqui non inductum perdiderunt. Et quamvis ambiguus fuiſſet, nonnullaque ſcripſiſſet in tertio ſuorum operum tomo, quibus indicabat, quam lubricus eſſet in religionis negotio, id poſtea magis innotuit, quando cardinalis Ludoviſius, qui fuerat ejus condiſcipulus, pontifex factus, Gregorius XV. eum per Hiſpaniarum legatum invitavit non ſpe tantum immunitatis, ſed etiam lautioris fortunæ, quam ut obtineret, edita Palinodia Papæ aſſentatus eſt. Sed non diu perſtitit in propoſito; unde factum eſt: ut in carcerem conjectus, in eo moreretur, & cadaver ejus ab inquiſitoribus ad rogum fuerit damnatum, miſero ejus amanuenſi ſtrangulato, ſenſit ille horribile eſſe incidere in manus DEI viventis.* a.

XII. Cum plura adhuc poſſent recenſeri irenica ejusmodi, quæ tamen paulo ante ex *Marco* ANTONIO de dominis retulimus, in memoriam nobis imprimis revocant recentium Calviniſtarum viam ac rationem plures inter ſe maxime diſſidentes communitates in unam conſociandi

Illorum ſententia, qui plures ſectas in paucis fundamentalib⁹ convenientes ad

(*a*) In animad. ad GROTII annotata ad CASSAND.

eandem eccleſiam referunt.

ciandi eccleſiam. Inter quos Junius ſyſtema de eccleſia edidit, ubi talem nobis eccleſiam catholicam & univerſalem ſiſtit, ac effingit, quæ in quamplurimas ſe extendat ſectas, ac particulares cœtus: inque iis omnibus, qui fundamentum religionis chriſtianæ non ſuſtulerunt, contendit vera reperiri eccleſiæ membra, etiamſi unitæ externis vinculis non ſint, ac mutuo etiam ſe diris devoveant: ſententiamque noſtram, qua eccleſiam ad unam ſolum ſocietatem reſtrictam ſub externo capite, & ritibus velimus crudeliſſimam dicit & abſurdiſſimam, pureque Donatiſticam ſive Romanæ, ſive Græcæ, ſive alii cuicunque eccleſiæ applicetur: neque fieri poſſe credit, ut illi aliquis ſerio adſtipuletur; ſed aſtu diaboli paradoxon hoc, ut vocat, foveri, ut ſimpliciores repagulo illo in cœtibus retineat, a quibus abſque hoc ſeparare ſe non difficulter poſſent: cum promiſſionis divinæ complementum eccleſiæ per totum orbem dilatatæ demonſtrari nequeat, ſtante reſtrictione ad ſocietatem quandam externo vinculo unitam, & excluſis ſeparatis, ſeu ſchiſmaticis cœtibus. Quare diſtinquendum cenſet inter notionem eccleſiæ internæ, cœtusque electorum & vere credentium, & notionem cœtus numeroſi, extenſi, antiqui,

iqui, & viſibilis; de prioribus ſolum
verum eſſe vult eccleſiæ unitatem nul-
am ob cauſam eſſe ſolvendam, quod
extra illam ſalus non detur; neutiquam
de eccleſia extenſa, & viſibili, ac unio-
ne externa cum illa. Non fuit primus
JURIUS, qui hanc eccleſiæ geſſerit ideam.
Imo jam Picardi ita de eccleſia ſenſiſſe in
libro adverſus WOITECHUM produnt:
ajunt enim ſe credere eccleſiam catholi-
cam miniſterialem eſſe omnem chriſtia-
nitatem ſub toto cœlo, ſuam unionem
eſſe tantum partem illius, velut & Ro-
manam, Boemicam, Lutheranam, Zwin-
glianam, Calvinianam, & alias id genus
(*a*). *Marcus* vero ANTONIUS de dominis
ob conſervatum fundamentum eccleſiam
Romanam ceu particularem ad eccleſiam
pertinere profitetur (*b*). Calviniſtæ, qui
ſemper

(*a*) Et confeſſione anni 1574. *art.* 8. *de eccle-
ſia ſancta* ſic habent: „ Interim docent fra- „
tres noſtri de ſua congregatione, vel unitate „
ſentire id, quod de aliis chriſtianis parvis „
vel magnis unitatibus ſentire decet, quod ea „
non ſit ſola eccleſia, ſed tantum pars ejus, „
veluti fuit Corinthiaca.

(*b*) „Quæres ergo (inquit SPALATENSIS de Republ.
eccleſ. *L. VII. c.* 5. §. 40.) quid tandem „
ſentiendum de ipſa eccleſia particulari Ro- „
mana? Eſtne catholica, an non? Reſpon- „
deo eccleſiam illam, ſi ſpectes defectum quo- „
ad fundamentalia, ut ſemper fuit catholi- „
ca, ita etiam nunc eſſe perfecte catholi- „

ſemper proniores ad hujusmodi [illegible] fuere, plures latam hanc tenent viam; maxime autem Armeniani, qui etiam uſque ad Socinianiſmum pomœria hæc extendunt. Ipſe vero Socinianiſmus eundem campum latiſſime aperit. (a)

a. Variæ opiniones, quouſque fundamentales articuli ſe extendant.

XIII. Ut vero nihil dicam de neceſſaria externa etiam unitate & mutua communione, quod alibi a me præſtitum, hoc unum totum illud Syncretiſtarum ſyſtema evertit,

» eam, quatenus integram veram fidem ca-
» tholicam fundamentalem ſervat & profite-
» tur: ægram tamen & non ſanam illam eſſe
» non dubito, impuram, & deformem pro-
» pter exceſſus illos, & additamenta. » Haud abſimiliter Dallæus loquitur *Apolog. c. V.*
» Nec poſſumus (ait) nec volumus negare,
» quin eccleſia Romana etiamnum credat o-
» mnes has ſanctas veritates. Gratias agimus
» Domino, quod eas tot ſeculis, & in me-
» dio tot conturbationum conſervaverit: o-
» ptaſſemus quidem, ut ipſa nihil de ſuo iis
» addidiſſet, permittens nobis ſufficere, quod
» ſatis erat primis chriſtianis ad ſalutem per-
» ducendis.

(a) Cujus hæc ſunt placita apud Ostorodum:
» Das iſt die rechte Liebe Chriſti, daß man
» mit unterſchiedenem Verſtand in Chriſtlichen
» Religions-Sachen einer den anderen trage,
» oder um unterſchiedenen Verſtands willen
» von etlichen Dingen einer den anderen nicht
» richte, oder verdamme . . . und wann
» man ſo thun wird, ſo werden alle Se-
» cten, Ketzereyen und Spaltungen aufhö-
» ren.

evertit, quod ipſi inter ſe nec de opinione articulorum fundamentalium, nec de ipſis articulis fundamentalibus conveniant. Sunt, atque inter hos *M.* ANTONIUS de Dominis, qui ſymbolum apoſtolorum pro communi chriſtianorum teſſera, ac criterio articulorum fundamentalium venditant, cum tamen juxta alios nec omnes, nec ſolos fundamentales primæ etiam notæ contineat, atque multa in ſcripturis, quæ utique potius adhuc pro verbo DEI ſunt agnoſcendæ, tradita ſint, quæ in ſymbolo hoc expreſſe non contineantur. Alii (*a*) ſymbolum apoſtolorum jungunt ſymbolum Nicænum, Cpolitanum, & Athanaſianum: anathematiſmos Epheſinos, confeſſionem Chalcedonenſem, quæ Neſtorianorum, & Eutychianorum reliquiis quinta & ſexta ſynodi oppoſuerunt: quæ itidem Pelagianis Africana plenaria, ſive ut vocari ſolet Milevitana ſynodus, & Arauſicana ſecunda ſynodus oppoſuerunt. Ab aliis habentur item pro fundamento myſteria potiſſimum duo ſumma religionis noſtræ SS. Trinitas & Incarnatio, quæ myſteria jam inde ab optima & florentiſſima eccleſiæ ætate opera œcumenicarum ſynodorum (nondum disjecta Romani

(*a*) Vide KROMAYER Scrut. verit. *Append. I.* *p.* 16.

logica themata præfationis loco ſcripto cuipiam ſuo præfixit STRIMESIUS, ac etiam magnum numerum auctorum inſuper citat, qui idem cum BERGIO conſilium reunionis foveant, non ſolum omnium Proteſtantium, verum etiam univerſim omnium in Chriſto baptizatorum, ſubjiciendo examini ſcripturæ omnia ſymbola, concilia œcumenica, quam venerandæ etiam ſint antiquitatis &c. ſolumque ſe tenendo, ac ſimpliciter ad verba ſcripturæ. Eidem BERGIO in Praxi cath. dogma catholicum eſt, quidquid ex ſcriptura deduci poteſt, per interpretationem, & conſequentiam catholicam &c. Ubi opinionis ſuæ plures ſocios refert, poſito fundamento ſcripturam juxta Proteſtantium principia perfecte claram, atque omnibus facile intelligibilem, ut adeo quilibet communi omnibus divina gratia ſine explicatione textui ſuperaddita, ſive publica, ſive privata, queat invenire omne id, quod credendum eſt, ut ſalutem conſequatur. Unde concludit, & id quidem optime juxta Proteſtantica principia: *Scripturam adeo ſufficere debere, non ſolum quoad ipſa dogmata, verum etiam quoad modos loquendi, atque explicandi, efferendique dogmata: ne videamur melius nos velle divina myſteria efferre, ac explicatiora*

per

tentia teneant, illos omnes ſuſcipiendos tanquam eccleſiæ ejusdem membra dicerent. Sic *Feſtus* HOMMIUS e VINATORIS declaratione annotavit (*a*): *Qui DEUM & Chriſtum confitetur, & ejus vocem audit, & fidei dogmata paratus eſt confiteri, & ſentire, quæ de iis rotunde ſcriptura loquitur, etſi nec poſſit nec velit recipere, quod ab his aut illis conciliis, ſynodis, Patribus, & eccleſiis forte ſit decretum, ut utatur his aut illis verbis, aut phraſibus, in quocunque etiam fuerit fidei dogmate, quæ plerumque per curioſitatem hominum ſunt inventæ & cauſæ acerborum ſchiſmatum, & horribilium perſecutionum ac cædium inter chriſtianos fuerunt, ſed qui dicit verba, quibus ipſe Chriſtus uſus eſt, mihi ſufficiunt, ego ea emendare non poſſum &c. Nullum eſt convenientius medium ad diminuendas ſectas, atque ut omnes chriſtiani in unam eccleſiam in fraterna unitate colligi poſſint, quam ut ſinguli phraſes in dogmatibus fidei vel a ſe inventas, aut ab aliis confictas, a ſe autem receptas omittant, & unusquisque in ſenſu ſuo abundet, explicationes, deſcriptiones, & ſenſus verborum ſcripturæ ſibi ſervando.* Cum hæc ita Belgæ illi tenent, plures etiam in Germania ſocios nacti ſunt, atque inter hos *Conradum* BERGIUM cujus theo-

ad unionem ſuſcipiendos putant, quicunque textum biblicum ſuſcipiunt.

(*a*) Specim. controv. Belgic. p. 112.

quæ relinquatur juxta communia Proteſtantica principia, ſecundum privatum ſenſum, ac intelligentiam interpretationem effingere. Nec illi rem melius expediunt, qui cum CLAUDIO, ac JURIO pro veritate dignoſcenda in religione chriſtiana, proque ſecernendis articulis fundamentalibus, neſcio quem veritatum veluti guſtum, ſenſum, appetitum, ac ſatietatem, quam quivis facile percipiat, ſtatuunt. Certe de guſtibus non eſt diſputandum neque catholicis, orthodoxisque contingit tam cito ſatiari divinis myſteriis, ac fidei dogmatibus, quam nauſeantibus, faſtidientibusque Proteſtantibus, ipſi adeo JURIO (*a*), qui paucos hos chriſtianæ religioni ſpeciales agnoſcit articulos: puta fidem de tribus perſonis in una eſſentia divina: adventum Meſſiæ jam peractum, non futurum, & quod Meſſias debeat eſſe redemtor, cui conſequens ſit credere, ſatisfactionem ab eo plenarie præſtitam, meritum ejus infinitum, & quod ad hoc præſtandum neceſſario debuerit eſſe verus DEUS, qui ex morte reſurrexerit, & in cœlum aſcenderit, unde ab eo exſpectanda ſit remiſſio peccatorum, juſtificatio, ſanctificatio, & glorificatio. Hæc ſunt JURII articuli, quibus animus

ejus

(*a*) De unitate eccl. *Tr. VI. c.* 3.

ıs divinarum veritatum impatiens ex-
iatur, paucioribus vero etiam Soci-
ınus aliquis: quisque vero pro appe-
u, ac lubitu.

XVI. Quam graviter etiam Jurius La-
ıdinariis ſuccenſeat, non ſe ab eorum
mero eximet: licet enim hi propius
cinianis accedant, & forte unitarii
t, quod tamen ipſi pernegant, & ſal-
n verbis nobiſcum conveniunt in my-
rio Trinitatis & Incarnationis. Ut ipſe
ofitetur Jurius (*a*), nomen hoc ſor-
ſunt, quod doctrinam chriſtianam
guſtis admodum limitibus circumſcri-
ıt, & coarctent, quodque media per-
ıiendi ad ſalutem extendant, ac plu-
us ſectis ad eam aditum aperiant: un-
palam eſt etiam Jurium hoc crimine
ıeri. Et licet forte Latitudinarii la-
rem hic aperiant portam, immerito
ıen illos carpit, ut qui ſe Jurii prin-
iis defendere poſſint, guſtum & ſatie-
em ſuam in excuſationem afferentes.
ıo fundamento contra Jurium recte
ıntur cum Saurino, injuria ſe eſſe da-
ıatos in Belgio, cum de alieno guſtu
er judicare nequeat: neque in princi-
s Jurii imo promiſcue Proteſtantium
reticus recte habetur, niſi quis veri-
em, cujus ipſe in conſcientia eſt con-

Sic vincunt Latitudinarii & ſectæ quævis, induciturque univerſalis tolerantia.

Qq 3 victus,

(*a*) La Religion du Latitudinaire.

victus, in dubium vocat. Nec enim in eorum principiis aliter ſe res habere poteſt, qui nullum agnoſcunt eccleſiæ tribunal, & proprio ſe credunt appetitui, ac judicio: cui ſi ſunt homines relinquendi, ac quivis eſt permittendus, ut ſenſu ſuo abundet, fruſtra jam catechiſmi, confeſſiones fidei, ſynodi: fruſtra ſchiſmatis & hæreſeos appellatio, & ſcelus, quod in alios non cadit, quam qui refragarii ſunt divinæ fidei. Eſſet autem refragarius in principiis Proteſtantium, qui ſuæ rationis dictamini non obſecundaret potius, quam cuivis fidei confeſſioni, deciſionique, aut articulorum fundamentalium determinationi alii, quam juxta proprium ſenſum. Hinc jam univerſalis toleratio omnium religionum caput erigit: neque ſolum ſecuri ſunt, qui indifferenter habent omnem religionem, quippe qui faſtidium concipiunt ex tot contentionibus, litibus, contrariis & adverſantibus ſtudiis ac ſententiis, verum etiam Deiſtæ, Atheiſtæ: & hi enim ſuo judicio vivunt, ac palatum ſuum, licet perverſum, ſequuntur; apud illos vero, quibus adhuc religio ſapit, tamen in hac libertate infinita ſemper ſententiarum erit diverſitas.

Cui ſola principia eccleſiæ

XVII. Sola indoles, natura, ac principia eccleſiæ catholicæ econtra ſunt, quæ

ſeſe

ſeſe torrenti iſti, atque colluviei errorum omnium ac ſectarum poſſit opponere: & ſicut principia Proteſtantica latam erroribus omnibus aperiunt portam, ita catholica omnibus hæreſibus claudunt, eamque conſervant unitatem, quam non minus teneri, ac fidem unius DEI a nobis vult PAULUS. Neque enim ſinit hanc unitatem ſcindi aut ſchiſmate, aut hæreſi peſſumdari: multo minus liberum relinquit ſuæ communioni addictis pro lubitu fidem ſibi effingere, aut omnem religionem indifferenter habere: neque alios tolerat niſi concordes in domo DEI, Indifferentiſmo, ac tolerantiæ capitaliter inimica (*a*). In hac ſola eccleſia unicum ſalutare

catholicæ obſiſtunt.

a.

Qq 4 reme-

(*a*) Audiatur hic illuſtriſſimus BOSSUET (*Sixieme Avertiſſement ſur les lettres de Mr. Jurieu.* §. 16.) hoc contra JURIUM nervoſe demonſtrans, qui defectus ſuæ eccleſiæ nobis imputare voluit. „ On avoüera, pour peu qu'on ait de ſincerité, que l'egliſe Romaine y eſt opposée par ſa propre conſtitution. Une egliſe, qui poſe pour fondement, qu'il n'ya de vie ni de ſalut, que dans ſa communion, ſans doute eſt opposée par ſa nature a l'indifferens des religions. Une egliſe, qui a pour regle de la foi, qu'elle doit avoir aujourdhui celle, qu'elle avoit hier: qui croit, que celle d'hier eſt celle de tous les ſiecles paſsés & futurs; en ſorte que la verité regnera eternellement dans ſa communion, & qu'il y a une promeſſe divine, que l'en aſsûre;

remedium adverſus ſchiſmata, & pro conſervanda unitate non ſolum externa, verum etiam interna. Hanc quidem internam unitatem ſolam hi neceſſariam putant adverſæ eccleſiæ; & tamen non habent juxta ſua principia ad eam conſervandam efficax aliquod remedium, cum ſecundum ea quilibet pro guſtu, & ſatietate multum, parum, aut nihil de divinis veritatibus conſervet. Hinc eſt, quod unitas fidei interna etiam non poſſit obtineri, externa vero penitus aboleatur, omniaque plena inimicitiis, contentionibus, æmulationibus, iris, rixis, diſſenſionibus, ſectis, invidia, litibus fiant, quæ prædixit PAULUS: *Quoniam, qui talia agunt, regnum DEI non conſequentur* (*a*). Neque hi tales eſſe poſſunt in eccleſia, quæ non ſuffert, nec apud ſe patitur ejusmodi in diverſa abeuntes, & ſectas facientes, quas vera eccle-

» eſt incompatible par ſon propre fonds avec
» toutes les nouveautés; & d'autant plus
» opposée a celle des Sociniens, & des to-
» lerans ou indifferens, que leurs innova-
» tions ſont plus hardies. Qu'on vienne di-
» re a une telle egliſe, qu'elle ne doit pas
» adorer le fils &c. elle bouchera ſes oreil-
» les pour ne point ouir de tels blaſphemes,
» & repouſſera, de toute ſa force ces nova-
» teurs avec un concours univerſel: il faut
» qu'ils ſortent, ou qu'ils ſe cachent.

(*a*) Gal. V.

cleſia vult a nobis vitari, ut nec panem cum ejusmodi edamus; & unitatem, charitatemque ſedulo colit, contentiones vero defugit: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque eccleſia DEI.*

XVIII. Ad hanc igitur unitatis conſervatricem unicam ſe conferant, qui ſe cernunt foris procellis opinionum jactari, & in diverſa abripi: qui nullibi inveniunt, ubi pedem figant in lutulento hæreticorum orbe, ad arcam cum columba revertantur: qui ſe contra eccleſiam rebellando ab unitate eccleſiaſtica ſciderunt, ad gremium matris revertantur: pia ſunt matris hujus viſcera, quæ, ut non fert filios pertinaces, ſic libenter ſuſcipit pœnitentes. *Audite fratres quod dico, & mihi iraſci nolite, quia non ſunt falſa, quæ auditis, poteſtis & conſiderare, quid ſi ipſa eccleſia vos alloquatur cum pace, & dicat: O filii mei, quid querimini de matre? quare me deſeruiſtis, jam volo a vobis audire. Accuſatis fratres veſtros, & ego laceror valde. Quando me premebant gentes, multa tuli cum dolore, multi me deſeruerunt, ſed fecerunt in timore, vos vero nullus coegit ſic contra me rebellare. Ego catholica dicor, & vos de Donati parte... Cantamus vobis, fratres, pacem, ſi vultis audire, venturus eſt judex noſter, nos damus, exigit*

Quare optimum pacis conſilium, ut redeant in ſinum eccleſiæ extranei quicunque.

git ille. Ita eccleſiam loquentem inducit S. AUGUSTINUS Pſ. contra partem DONATI.

CAPUT V.

De moribus, ſtudiis, & artibus perverſis, quibus falſarum eccleſiarum inſtitutores ſe notam veræ eccleſiæ, ſanctitatem, minime poſſidere oſtendunt.

I.

Argumentum dicendórum hoc capite.

Poſtquam intelleximus rebellem, & refragarium hæreticorum animum, ut ſe contra poteſtatem eccleſiaſticam pertinaciter erigant, unitatemque proſcindant, eam ſanctitatem neutiquam poſſidere, quæ ex eccleſia tam conſpicue elucet, demonſtrandum jam eſt.

Sanctitas eccleſiæ in quibus conſiſtat.

II. Quoniam vero hæc ſanctitatis nota, quæ eccleſiæ ſoli veræ competit, non in una aliqua re conſiſtit, de ſingulis ejus capitibus eſt diſpiciendum: ſanctam enim eſſe debere ſponſam Chriſti, templum DEI corpusque Chriſti ambigendum non eſt, hanc enim ſibi ſanguine ſuo Chriſtus emundavit, ut ſit ſancta & immaculata: Spiritus etiam ſanctus illam chariſmatibus ſuis ſanctificat. Sacramenta autem hic potiſſimam ſuam virtutem exercent, per quæ tanquam ef-

ficacia

ıcia divinæ gratiæ inſtrumenta DEUS 'am ſanctitatem efficit. Nimirum ctitas non tantum theoretice ſeſe con:uam reddit, ut nihil falſi appareat in ʒmatibus, nihil injuſti in morum placiſed omnia digna cœleſti & ſupernaali illius origine ſe comprobent, ven etiam in efficacia ſua, quatenus *lex mini immaculata ſit, ac convertens ani-r.* Id ſe prodit in mirabili totius orconverſione, conſervatione veræ fiin orbe catholico. Deinde vitæ ſan:atem in membris hujus eccleſiæ ſem· producat diſcliplina hæc Chriſti orter, quod nobis indicium Chriſtus ſuit: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos* . Et ab apoſtolis petiit: *luceat lux ve-* a.
ı coram hominibus, ut videant opera ve-
ı, & glorificent Patrem veſtrum (*b*). b.
cedit his omnibus ſanctitatis alius innis character veræ eccleſiæ, quem riſtus ei promiſit: *Signa autem eos, qui liderint, hæc ſequentur, in nomine meo nonia ejicient &c.* (*c*) Quibus etiam c.
riſtus fidem ſibi conciliare voluit: *Sci-ſ quia a DEO veniſti magiſter, quia ne-poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi rit DEUS cum eo* (*d*). Eccleſiæ etiam d.
e hanc dedit claritatem præſertim illis

ı) Matth. VII. 16. (*b*) Matth. V. 16.
·) Marc. XVI. 17. (*d*) Jo. III. 2.

lis temporibus quibus adhuc infidelitas undique regnabat : *ſigna enim infidelibus non fidelibus data ſunt*. Quare etiam illi, qui eccleſiam infidelitatis accuſant, hodje nobis ejusmodi ſigna edere deberent, cujusmodi vera eccleſia ſolet edere ſuis temporibus, prout divino Numini viſum fuerit expedire. Non hoc donum ſingulis fidelibus datum eſt, nec ad ſingula temporum momenta extenſum, quin tamen unquam penitus deficiat, atque eccleſia ad hæc uſque tempora ſuæ ſanctitatis virtutem, & fructus ſic teſtata jugiter ſit.

III. Eccleſia quidem conſpicue ſemper docet doctrinam ſanctitatis ſalutarem, ut quæ ad hoc a DEO ſit deſtinata his verbis : *Docete eos ſervare omnia quæ mandavi vobis* (*a*): quibus omnis ſanctitas comprehenditur. Ad hoc etiam perpetuam divinæ aſſiſtentiæ accepit pollicitationem illis verbis: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*: adeoque iſthæc ſanctitatis doctrina nunquam fructu ſuo deſtituetur, ſemperque ſunt in eccleſia futuri viri ſanctitate conſpicui. Concedendum tamen eſt, ea ipſa in eccleſia, quibus hæ promiſſiones ſunt factæ, non ſolos ejusmodi ſanctos & electos eſſe. Non quod vera, & interna etiam

(*a*) Matth. XXIII. 20.

etiam ſanctitas eccleſiæ non competat, ſed quod non obſtante illa ſanctitate, quam nôtam eſſe dicimus eccleſiæ viſibilis, boni ſint mixti malis; ita tamen, ut ſanctitas bonorum non tollatur perverſitate malorum: neque enervetur argumentum a ſanctitate vitæ, quod multi in eccleſia male vivant; ſemper nonnullis bonis diſpenſante divina miſericordia, inter malos eminentibus, quorum odore bonorum operum univerſi ad glorificandum in eadem eccleſia DEUM incendantur (*a*). a.

IV. Qui ſecus ſentiunt, atque eccleſiam ad ſolos fideles electos, excluſis malis, & hypocritis, reſtringunt, communem habent cum Donatiſtis opinionem, qui id ingeminare ſolebant: *quid paleis cum tritico*, teſte AUGUSTINO, & aliis qui contra illos eccleſiam catholicam defenderunt. Quamvis ſuam eccleſiam talem immaculatam demonſtrare nequeant, ut olim Donatiſtis objecit AUGUSTINUS (*b*). b.

Qui ſecus ſentiunt, cum Donatiſtis confutantur.

Quod

(*a*) „ Sicut igitur (ut recte annotarunt Fratres Wallenburgici *L. II. de unit. eccl. c.* 3.) ſigna vitæ apparentia in aliquibus membris corporis, quamvis ſigna mortis in aliquibus membris, non inferant corporis totius mortem: ita ſanctitas vera, quæ in aliquibus eccleſiæ membris reperitur, oſtendit originem veræ ſanctitatis in eccleſia reperiri, quamvis nonnullorum malitia idē principium non arguat. „

(*b*) „ Fortaſſe (inquit contra Ep. PARMEN. *L. II. n.* 8. *T. IX. p.* 60.) iſti audebunt ne- „

Quod eo etiam valet, ut pateat, DEUM ſignum & notam eccleſiæ ſanctitatem non præciſe annexuiſſe bonis paſtorum moribus, ſed prædicationi verbi divini ab illis uſque ad conſummationem ſæculi ſua aſſiſtentia faciendæ. Sic Chriſtus
a. de Phariſæis loquitur (*a*): *Super cathedram Moyſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi: quæcunque ergo dicunt, facite, quæ autem faciunt, facere nolite.* Ut adeo licite communicare doctrinæ etiam impiorum paſtorum poſſimus, atque eſſe cum malis in eccleſia, quin eorum vitiis nos contaminemus. *Si enim*, arguit contra Donati-

„ gare, haberi inter ſe avaros, aut maledicos, „ aut ebrioſos, aut rapaces, & ipſum OPTATUM, qui univerſæ Africæ notiſſimus fuit, „ quem tamdiu pertulerunt, quamdiu timue- „ runt, fortaſſe defendere conabuntur. Di- „ cant ergo, ſi poſſunt, meliorem ſe atque „ purgatiorem habere nunc eccleſiam, quam „ erat ipſa unitas beatiſſimi CYPRIANI tem- „ poribus, qui collegas ſuos, a quibus tamen „ nulla corporali disjunctione ſeparatus eſt, „ nullum eorum nominatim appellans, ſed pru- „ denter ac ſobrie ſaluberrimæ mordacitatis „ inferens medicinam his verbis graviter ar- „ guit, quia eſurientibus in eccleſia fratri- „ bus habere argentum largiter vellent, fun- „ dos inſidioſis fraudibus raperent, uſuris mul- „ tiplicantibus fœnus augerent, & ut apertiſ- „ ſime oſtenderet, de his ſe dicere, cum qui- „ bus in unius eccleſiæ communione vivebat, „ conſequenter annexuit &c.

(a) Matth. XXIII. 2. 3.

natiſtas D. AUGUSTINUS (*a*), *hoc eſt conſentire male facientibus, eſſe cum illis in eccleſia, conſentiebat etiam ipſe falſis fratribus, inter quos ſe periclitari conteſtabatur*, a.
(D. PAULUS (*b*), quem pro ſe allegarat b.
PARMENIANUS), *& quos non caſte, ſed per invidiam ſine charitate prædicantes evangelium, prædicare tamen permittit*. Secus ac volunt, qui eccleſiam omnibus zizaniis purgatam fingunt. Apud nos autem ſic zizania in eccleſia tolerantur, ut tamen non probentur (*c*). Agnoſci- c.
mus nos ergo, promiſſiones divinas eccleſiæ factas ad talem ſocietatem pertinere, cui etiam mali ſunt admixti, ut aut divinis chariſmatibus ſanentur, aut DEI judicio aliquo damnentur ob tantum gratiarum neglectum: permittimus omnes aut divino judicio, aut ejus miſeri-

(*a*) Ib. L. I. n. 5.
(*b*) 2. Cor. II. 26. Phil. I. 15.
(*c*) „ Per totam enim iſtam civitatem (inquit S. AUG. *L. III. contra Ep. Parmen. n.* 27.) toto orbe diffuſam juſti gemunt, & mœrent „ ob iniquitatem, quæ fit in medio eorum. „ Non ergo quærat quis ſeparatos juſtos, ſed „ cum ipſis potius in malorum temporali com- „ mixtione concorditer gemat. „ Et antea S. Pater jam Donatiſtas hortatus fuerat *ibid. L. I. n.* 21. „ Quapropter zizania vel pa- „ leam catholicæ ſegetis nobiſcum copioſe ac- „ cuſent, ſed nobiſcum ferre patientiſſime non „ recuſent. „

ſericordiæ, ne dum forte putamus eradicare zizania, triticum ſimul eradicemus (*a*).

a. V. Hæc nihil quidem dicimus ſanctitati eccleſiæ detrahere, ut tamen ſanctitatis nota eccleſia vera ab aliis quibusve falſis poſſit conſpicue diſtingui. Equidem ſolemne eſt hæreticis hominibus ſpeciem aliquam, & fucum pietatis, ardoriſque pro religione præſeferre. Admoniti in evangeliis ſumus a ſalvatore noſtro cavere nobis ab iis, qui veniunt ad nos in pellibus ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Quæ aliquando major eccleſiam invaſit peſtis ARIO? ſed tamen fuerat is moribus ad fallendum compoſitis, ſpecie & forma religioſus, ut de eo refert RUFFINUS

De hypocriſi & pelle ovina hæreticorum.

b. (*b*). De NESTORIO quanto viſus ſit ſtudio

(*a*) „ Quaſi nos (dicimus cum AUG. *de unitate* „ *eccl.*) quibus modis poſſumus aliud agamus, „ niſi ne triticum ſimul eradicetur, dum an- „ te tempus zizania ſeparantur. Quicunque „ enim boni in æternum futuri ſunt, etſi ad „ tempus mali ſunt, non zizania, ſed triti- „ cum ſunt in præſcientia DEI.

(*b*) CONSTANTINUS imperator (Apud GELAS. in hiſt. conc. Nic. *f.* 278.) detectis ejus fraudibus, ſic eum alloquitur quadam epiſtola: „ Manifeſta enim, & nota erunt impoſterum „ ſophiſmata tua : nec ipſe quidquam proficies, fruſtra finges æquitatem, & ſermonum lenitatem ſimulans, & ſimplicitatis, ut „ ita dicam, perſonam extrinſecus induens.

dio veræ religionis ardere, quanta fiducia ſuæ apud DEUM potentiæ extolli, ea declarant verba, quibus imperatorem compellavit, cum ab eo Antiochia Conſtantinopolim evocatus, ejusque urbis epiſcopatu auctus eſſet: *Da mihi*, inquit, *imperator terram hæreticis purgatam, & ego tibi cælum tribuam; mecum hæreticos debella, ego Perſas tecum debellabo.* EUTYCHES monachus Archimandrita, ſanctitatis fama, & labore in debellanda Neſtoriana hæreſi tempore concilii celebre ſibi nomen fecit. Poſſet hæc res confirmari multis aliis argumentis, ſed hæc exempli cauſa ſufficiunt.

Dogmata peſſima fuco pietatis illiniunt.

VI. Nec minus fucos facere hæretici adlaborarunt in ipſis ſuis dogmatibus procudendis, veluti zelo quodam veritatis, divinæque gloriæ impellerentur. Quid Docetas induxit, ut veram carnem ſuſcepiſſe Chriſtum inficiarentur, niſi quod indignum rati ſint DEI Filium corruptibilem geſtare carnis maſſam? Nulla tetrior hæreſis aliquando extitit eorum, qui duorum principiorum alterius boni, mali alterius blaſphemiam inferebant Marcionitæ, & Manichæi; & tamen prætextu pulcherrimo uſi ſunt, ne DEUM bonum mali cauſam dicere compellerentur. In eo vero dogmate, quo Chriſtum MARIAM tranſmeaſſe

tanquam canalem effutiverunt, cauſati ſunt, minime decere DEI Filium a muliere hominum more naſci (*a*). De ſe
a. confitetur AUGUSTINUS (*b*), Manichæorum labe aliquando conſpurcatus, ejusmodi ſe præjudiciis Manichæiſmo fuiſſe illaqueatum. Antitrinitarii, & veteres, & novi his coloribus utuntur ſe pro unius DEI aſſertione, quæ per nos labefactetur, pugnare. SERVETUS Socinianorum pater, cum ad rogum duceretur, publice jactabat, reliquos martyres pro Chriſti gloria mortem obiiſſe, ſe pro gloria unius DEI eam ſuſtinere.

b.

Schiſmatici quovis tempore ſpeciem ſanctitatis obtendebant.

VII. Hydræ illa capita ſchiſmata, quotquot aliquando enata ſunt, ſanctitatem aut ipſi præſeferebant, aut impietatem abhorrere in aliis, denunciabant. Novatianum ſchiſma oſtentabat rigorem de non admittendis ad pœnitentiam in perſecutione

(*a*) „ Ipſum MANETEM audiamus apud EPIPHA-„ NIUM (*hæreſ. LXVI.*) quemadmodum (in-„ quit) DEUM ſathanæ, malorumque, quæ ab „ eo geruntur, conditorem, ac procreatorem „ aſſerere audeant (catholici) magnopere de-„ miror. Atque utinam hactenus vaniſſima „ illorum conſilia progrederentur, nec uni-„ genitum DEI Filium Chriſtum Dominum, „ qui de Patris ſinu deſcendit, MARIÆ „ cujusdam mulieris Filium eſſe dicerent, at-„ que ex ſanguine, carneque, tum vero reli-„ quo mulierum fœtore prodiiſſe.

(*b*) Confeſſ. *L. V. c.* 10.

ſecutione lapſis. Meletiani ſeſe glorioſo nomine eccleſiæ martyrum indigitabant. Donatiſtarum notus eſt error malos ad eccleſiam non pertinere, periiſſeque eccleſiam ab orbe præter exiguam ſuam in Africa partem, quod ceteræ eccleſiæ aut traditione, aut communione cum traditoribus contaminatæ eſſent. Luciferianorum idem fuit error, ut apud HIERONYMUM videre eſt, fidem ab orbe periiſſe, quod epiſcopi ARIMINI in Arianam hæreſim lapſi ab eccleſia ejecti non ſint; ſuis in dignitatibus confirmati: paſſimque ARIANI prius epiſcopi in ſuis dignitatibus reciperentur.

Hæretici unitatem non ſervantes verum pietatis Spiritum habere nequeunt.

VIII. Sed eſt commune contra hos omnes, & conſtans præjudicium, quod ſpreto ſinu matris, abjecta charitate, rupto chriſtiano fœdere foras exierint, contentiones excitarint, lites ſparſerint, atque adeo Spiritum illum ſanctitatis habere non poſſint: *Ille ſe*, inquit S. AUG. (*a*), *agnoſcat accepiſſe Spiritum ſanctum, qui tenetur vinculo pacis eccleſiæ, quæ diffunditur in omnibus gentibus: unde dicit apoſtolus*: Studentes ſervare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Sermonem contra eos ſtringens porro, quos modo hujus ſanctitatis Spiritus jactatores vidimus,

(*a*) Serm. *LXXI. T. V. p.* 399.

a. ita loquitur (*a*): *Hunc Spiritum, quod illi non habeant, qui ſunt ab eccleſia ſegregati, Judas apoſtolus apertiſſime declaravit dicens*: Qui ſeipſos ſegregant, animales, Spiritum non habentes, *unde in ipſa eccleſia etiam illos, qui per nomina hominum, quamvis in unitate ejus conſtitutorum quædam ſchiſmata moliebantur, Paulus apoſtolus arguens, inter cetera ait*: Animalis autem homo non percipit, quæ ſunt Spiritus DEI, ſtultitia enim eſt illi, & non poteſt ſcire; quoniam ſpiritualiter dijudicatur. Ne vero forma hac & phantaſmate hominum unitatem eccleſiaſticam peſſumdantium in errorem abripiatur aliquis, conſequens S. Doctoris monitum apud nos locum habere debet (*b*).

b. CAP. VI.

(*a*) N. 30.

(*b*) „ Non defuit etiam (inquit N. 32.) foris poſitis iſta forma pietatis: ſed accedit eis, quæ niſi intus non poteſt dari unitas Spiritus in vinculo pacis. Tales quippe erant, antequam catholici eſſent, de qualibus dicit apoſtolus: *habentes formam pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* Poteſt enim eſſe viſibilis forma, palmites etiam præter vitem, ſed inviſibilis vitæ radius haberi non poteſt, niſi in vite. Proinde corporalia ſacramenta, quæ portant & celebrant etiam ſegregati ab unitate corporis Chriſti formam poſſunt exhibere pietatis: virtus vero pietatis inviſibilis & ſpiritalis ita in eis non poteſt eſſe, quemadmodum ſenſus non ſe-

CAPUT VI.

De perverſa indole auctorum novarum ſectarum, earumque doctrina.

I.

Lutherus antesignanus, quibus rebus doctrinam ſuam ſtabilire voluerit.

Qui primus auctor, & flabellum ſæculo decimo ſexto excitatarum turbarum eſt habitus Lutherus, degeneraſſe a ſuperioribus hæreſiarchis viſus eſt, quod nec ſpeciem quidem aliquam præſeferret cujusdam pietatis, & virtutis, ſed audacia, calumniandi cavillandique pruritu eo pertigit, quo ante cum ſpecie aliqua pietatis vix ullus eniti potuit. Initio ſtatim ſuæ ſeceſſionis comprobavit, iisdem auxiliis velle ſe contra papam, & eccleſiam ei conjunctam ſuum conſtabilire regnum, quibus Mahomed ille impoſtor poſt homines natos nequiſſimus. Hinc ejus vociferationes (a): *Occidatur homicida Romanus. JESUS Chriſtus illum deſtruat.* Ne vero vindictam potius a Chriſto, quam ab armis expetiiſſe cenſeri poſſit, audiendus porro eſt: *Ceſſate, inquit, bellum inferre Turcis, quouſque ſublatum ſit Pontificis nomen: ego* a.

 dixi.

quitur hominis membrum, quando amputa- „ tur a corpore. „

(a) Aſſert. art. an. 1500. pr. 33.

dixit. En etiam quibus rebus fidem ſibi impetrari voluit,: *Exſpecto itineris ſocios 20.000. pedites, & 5000. equites, qui mihi fidem impetrabunt.* Refert Erasmus (a) epiſtola in Pſeudo-Evang. iſtum populum evangelicum etiam Turcarum principi fuiſſe deteſtabilem, quaſi ſeditioni natum, qui levibus de cauſis tumultus exciter, & procurrat ad arma. In hunc novæ reformationis Spiritum rebellionis acriter ita invehitur ibi: *Arduum eſt, quod profitemini, & apoſtolorum negotio durius, quemadmodum id antea demonſtratum eſt: nec vos ſublevant ulla vel vaticinia vel miracula. Quodſi vita quoque non ſolum non commendat doctrinam veſtram, ſed fidem potius abrogat, ſi neglecta hac commendatione, fiduciam in improborum conſpiratione, in ſeditioſis tumultibus, in armis, in fucis ac techniis repoſitis, piget commemorare, quid vobis metuam, ſed magis miſeret me tot hominum millium, quos ea calamitas involvet.* Facile conjicere licet, quid hic divinarit Erasmus, & jam hos funeſtos effectus reformationis experientia plus ſatis prodidit, cum ubicunque caput erexerit, omnia gladibus, mortibus, ſeditionibus repleverit, & vix ullibi niſi bellis, armiſque poſſeſſionem cœperit, Luthero claſſicum acci-

(a) Apud frat. Wallenb. *T. I. p.* 1037.

cinente, ac primas excitante turbas, quas deinceps ſunt proſecuti ejus hyperaſpiſtæ.

Superbia & jactantia hæreticorum, maxime Lutheri.

II. Tamen hic talis Lutherus miſcens humana divinis, & omnia confundens, quanta eſſet fiducia, fore, ut qui ſibi obniterentur DEUM ſuis precibus exoratum vindicem ſenſuri ſint, illis verbis declaravit, quæ in epiſtola ad Georgium Ducem perſcripſit: *Preces meæ*, inquit, *non ſunt bruta fulmina, non impeditur vox Lutheri; vereor ne ejus efficaciam celſitudo veſtra aliquando ſentiat.* Viſiones etiam jactavit, ſed diabolicas, quod æternum ſuis in ſcriptis ejus ſectarii circumferunt probrum, de diſputatione illa ſacrificii abolitionem ſpectante, Lutherum inter & diabolum. Lutherus enim diu tergiverſatus diaboli rationibus victus miſſam abrogavit. Calvini ſunt nota crimina, contra naturam etiam, quorum reus actus, & fuga ſalutem quærere coactus eſt. Sed mittamus hæc: Dicunt enim, qui hos ſequuntur, doctrinam ſe ſuſpicere puri & redivivi evangelii, non ſpectare hominum merita; ſolum hic ex Erasmi *Roterodami* epiſtola laudata adhuc quædam excerpam, qui primos vidit reformationis fructus, cum ſe ad hoc veniſſe dicerent,

magiſtro diſceſſerunt, in contrarium Semipelagianiſmum ſunt prolapſi: omnes vero doctrina ſua de juſtificatione totam morum doctrinam corruperunt, ejusque ſanctitatem peſſumdederunt.

Sola catholicæ eccleſiæ doctrina ſanæ & veræ ſanctitatis fundamentum retinet.

IV. Quodſi etiam principia proteſtantica impietatem nullam, nec venenum continerent; certe tamen nullum ſecundum ea ſatis firmum ſuppetit fundamentum, quo poſſit efficaciter obſiſti perverſorum errorum adinventionibus, ſicuti habet eccleſia catholica, conſervata ſacri miniſterii auctoritate, & perpetua ſucceſſione, cui DEUS ampliſſimas promiſſiones fecit, non ſolum veritatis, ac ſanæ ſanctæque doctrinæ annunciandæ, verum etiam exurgenti perverſæ & malæ reſiſtendi, ne adverſus eam unquam portæ inferi prævaleant, ſemper vero ea conſervet puram, & ſanctam doctrinam: ut ſit eccleſia mater fœcunda, atque ſanctos inceſſanter gignat, evangelii prædicatio, & morum inſtructio, abundantia cœleſtis roris, ac ſalutaris imber divinæ

„ primum hominem neceſſario eſſe lapſum:
„ multos vocari per verbum, quos abſolute
„ & ſimpliciter DEUS nolit venire: efficaciam
„ converſionis, & ſalvationis non eſſe tribuendam
„ miniſterio verbi & ſacramentorum: non
„ omnes infantes regenerari: non omnes S.
„ Cœna utentes corpus & ſanguinem Chriſti
„ percipere.

divinæ gratiæ fructiferam reddens fidelium terram. *Et quomodo deſcendit imber, & nix de cælo, & illuc ultra non revertitur, ſed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat ſemen ſerenti, & panem comedenti: ſic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcunque volui, & proſperabitur in his, ad quæ miſi illud* (a). Hoc prophetæ vaticinium quotidie compleri cernimus in eccleſia noſtra: licet enim ea poſteriora tempora ingruerint, de quibus a Salvatore prædictum: *Refrigeſcet charitas multorum*, cernere tamen licet undique efficaciam doctrinæ ſanæ, ac ſanctæ, quæ prædicatur, & ſuadetur fidelibus populis.

Sanctitatis fœcunditas in membris eccleſiæ.

V. Vix communitatem aliquam, religioſam quamdam familiam adeas, in qua non inſigniter reperias pios. In tota communitate eccleſiaſtica nunquam deſunt excellenti aliqua præditi ſanctitate, atque ſingularibus etiam Spiritus ſancti chariſmatibus tam internis, quam externis inſtructi. Habuimus a tempore reformationis NICOLAOS *de Flue*, PHILIPPOS *Nerios*, FRANCISCOS *de Paula*, IGNATIOS, BUTILIERIOS, & magnum Sanctorum numerum in ſola

Trappenſi

(a) Iſa. LV. 10.

Trappenſi congregatione. Numeramus ſanctiſſimos præſules *Carolum* Borromæum, Franciscum *Saleſium*. Summos pontifices Pium V. Benedictum XIII. inter plures. Quodſi etiam mali nonnunquam ſint, aut ſaltem non ſatis zelo domus DEI exardeſcentes præſules, ac ſacerdotes, nihil officit, quin DEUS per os eorum, aut per alios dignos operarios verbum ſanum diſpenſet. *Nam*, ſunt verba S. Augustini (*a*), *ſi primis temporibus non obfuerunt mali ſacerdotes, vel collegis bonis, ſicut fuit Zacharias, vel popularibus, ſicut fuit Nathanael, in quo dolus non erat: quanto magis nihil obeſt in unitate chriſtiana epiſcopus malus, vel coepiſcopis bonis, vel laicis.* Magnus ſemper paſtorum eſt numerus, qui fideliter paſcant commiſſum ſibi gregem.

Zelus, virtutes Spiritus ſancti, & ſanctitas operariorum apoſtolicorum noſtris temporibus.

VI. Magnus etiam eſt numerus, qui ad diſſitas mari terraque cum gaudio transmeent nationes, ibi vitam, ſanguinemque exponant pro evangelio, ubi plurimi martyrium etiam conſummant, aut ſaltem vitam innumeris ærumnis, calamitatibus, laboribus tranſigunt, conficiuntque: ſigna etiam & miracula eos haud infrequenter ſequuntur, cujusmodi plura legenti eorum hiſtorias, præſertim *S. Franciſci*

ciſci

(*a*) Contra epiſt. Parmen. *L. II. n.* 9.

ciſci Xaverii occurrent. Quin & com̄unis ſacro ordini adhærentis miraculi, poteſtatis nimirum in dæmonem & illius præſtigias quotidie eduntur documenta, DEO ſingulariter proſpiciente, ut in eccleſia poteſtas in principem tenebrarum emineat, ad cujus regnum deſtruendum eccleſiam ſupra petram conſtituit. Donum etiam linguarum haud obſcure ſe prodit in miſſionariis evangelium ſeminantibus apud populos diverſiſſimis ac peregriniſſimis utentes linguis, ut etiam contigerit, præcones evangelii una eademque lingua, ac idiomate a variis diverſi labii hominibus eſſe exauditos, perceptosque. Neque zelus operariorum dominicorum apud nationes barbaras longinquas minor eſt erga propinquos quidem atque indigenos, ac alienatos averſosque eccleſiæ filios. Non ſolum enim libenter labores omnes ſubeunt ad eos revocandos, atque vitam exponunt, expoſueruntque teſtes Chriſti paſſim: ſed etiam plures, qui huic operi inſudarunt, ſanctitate præcipua fuerunt conſpicui, uti S. Ignatius cum ſociis ſuis, S. *Carolus* Borromæus, S. Franciscus *Saleſius*: quibus licet annumerare eos, qui ſcriptis eorum expugnarunt errores, atque inter hos *Robertum* Bellarminum, cui ipſimet laudem pietatis inſignis ne-

gare

gare haud potuerunt, DEO, ſemper eccleſiæ ſuæ, ſuarum memore promiſſionum, dignos operarios, forteſque pugiles providente, ut illam conſervet unam adverſus ſchiſmaticorum molitiones, ſanctam virtute & efficacia doctrinæ ſanæ chariſmatum, ac charitatis operatione interius exteriuſque ſanctificante, catholicam adverſus omnes hæreticorum ſynagogas, quidquid contra moliantur inferi portæ. *Una*, verbis utar S. FULGENTII, *manet in radice ſua, in vite ſua, in charitate ſua, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Eccleſia una, eccleſia vera, eccleſia catholica contra omnes hæreſes pugnans pugnare poteſt, expugnari non poteſt.*

CAPUT VII.

De nomine, appellatione, quæ veræ eccleſiæ competit, & a falſis uſurpatur.

I.

Quo nomine vera eccleſia a falſis diſcernatur.

Fuit hoc omni tempore uſurpatum, ut quibus ſingularia erant inſtituta, nomina ſibi inderent, quorum appellatione diſcernerentur. Quæ conſuetudo, ſi ullibi magis, certe in religionis ſelectu locum invenit. Ii, qui chriſtiano nomine veniunt, in multas & innumeras ſunt ſciſ-

ſciſſi, ſententiis & opinionibus, ſectas, quarum, ſolummodo una cum poſſit eſſe vera Chriſti ſponſa, omnes ſe tamen jactant. Eſt ergo ſedulo indagandum, quonam nomine veniant, qui ad Chriſti ſponſi talamum vere pertinent (*a*):

II. Tan-

(*a*) „ Chriſtus (inquit OPTATUS *Mileo*. *L*. *I*. de ſchiſ. *p*. 9. 10.) qui eſt ſponſus unius ec- »
cleſiæ : ſicut in Canticis canticorum ipſe »
teſtatur, qui cum unam laudat, ceteras »
damnat, quia præter unam, quæ eſt vera »
catholica, ceteræ apud hæreticos putantur »
eſſe, ſed non ſunt, ſecundum quod indi- »
cat, ut ſupra diximus, in Canticis canti- »
corum unam eſſe columbam ſuam, eandem »
ſponſam electam, eandem hortum concluſum, »
& fontem ſignatum : ut hæretici omnes »
neque claves habeant, quas ſolus PETRUS »
accepit, nec annulum. „ Non multo poſt, & nomen, & nominis indicium prodit OPTATUS : „ Catholicam (inquit) facit ſimplex »
& verus intellectus in lege ſingulare, ac ve- »
riſſimum ſacramentum, & unitas animo- »
rum. Schiſma vero ſparſo coagulo pacis »
diſſipatis ſenſibus generatur . . . . hæreti- »
ci vero veritatis exules, ſani, & veriſſimi »
ſymboli deſertores. (Ac poſtea, bene, in- »
quit) clauſiſti hortum hæreticis, bene re- »
vocaſti claves ad PETRUM. (Expreſſius »
hac de re CYRILLUS *Catech*. 18.) ſi quan- »
do (inquit) peregrinatus fueris in civitati- »
bus, ne ſimpliciter requiras, ubi ſit domi- »
cilium, nam & ceteræ impiorum ſectæ, »
atque hæreſes ſuas ipſorum ſpeluncas do- »
miciliorum nomine honeſtare nituntur, ne- »

Injuſte hæretici nomen veræ eccleſiæ ſumunt.

II. Tantum vero abeſt, ut ad hoc adduci unquam quibusvis novi dogmatis auctoribus potuerint, ut hoc ipſum Eridis pomum ſemper fuerit: atque jam quærendum cum Optato ſit: *Ubi ergo erit proprietas catholici nominis. Hæretici enim in tantum*, ut verba uſurpem Salviani (*a*), *ſe catholicos eſſe judicant, ut nos ipſos titulo hæreticæ appellationis infament. Quod ergo illi nobis ſunt, hoc nos illis.* Donatiſtæ, qui ſi ulli unquam, ob paucitatem ſuam nomine catholicorum indigni erant, hoc tamen ſibi ſumere auſi ſunt, ut refert S. Augustinus in breviculo collationis cum Donatiſtis (*b*). Noſtrates in hoc non ſunt pudentiores: & cum nomen catholicum eripere nobis non poſſint, cum tanta ſæculorum antiquitate contra eorum molitionem præſcripſerimus, nihil tamen non tentant, quo aut nobis infamiam impingant, aut novitatis, falſique nominis famam a ſe avertant, & nomen ſibi eccleſiæ veræ concilient. Sed contra hos omnes, ut diximus,

„ que ubi ſit ſimpliciter eccleſia, ſed ubi ſit
„ catholica eccleſia. Hoc enim proprium no-
„ men eſt hujus ſanctæ, & matris omnium
„ noſtrum, quæ quidem, & ſponſa eſt Do-
„ mini noſtri JESU Chriſti.

(*a*) De gubern. DEI *L. V.* 95. *Ed. Nov.*

(*b*) Brev. Coll. coll. diei 3. *C. III. T. IX. p.* 554.

diximus, merito præſcribit eccleſia catholica, nec cedit juribus ſuis (*a*).

a. Inſignis eſt eccleſiæ nota, qua dicitur ac eſt catholica.

III. Nulla eſt ſplendidior eccleſiæ veræ nota, quam quod catholica ſit, & dicatur, eoquod in orbem univerſum ſit diffuſa: hoc enim catholicum innuit nomen. Quando autem Patres quidam linguæ Græcæ non ſatis periti OPTATUS & PACIANUS aliud etiam proferunt Etymon, ut rationale idem quod catholicum eſſe dicant, inde accidit, quod catholici eo tempore ſint dicti, qui ab integræ alicujus regionis rationibus erant, veluti nos multa vetera docent monumenta. Poſtquam enim a CONSTANTINO ratio diœceſium politicarum conſtituta procurator nomine cæſaris eſt conſtitutus, qui univerſas ejus rationes in tota diœceſi tractaret Græce καθολικὸς eſt appellatus, quem Latini rationalem in-

(*a*) „Tenenda (inquit S. AUGUSTINUS, de „vera relig. *c. VII. T. I. f.* 75.) eſt nobis „chriſtiana religio, & ejus eccleſiæ commu- „nicatio, quæ catholica eſt, & catholica no- „minatur non ſolum a ſuis, verum etiam ab o- „mnibus inimicis. Velint, nolint enim ipſi „quoque hæretici, & ſchiſmatici alumni, „quando non cum ſuis, ſed cum extraneis „loquuntur catholicam nihil aliud, quam ca- „tholicam vocant, non enim poſſunt intel- „ligi, niſi hoc eam nomine diſcernant, quo „ab univerſo orbe nuncupatur. „

terpretantur. At principalem a diffuſione denominationem ſemper agnoſcunt, & urgent contra ſchiſmaticos Novatianos & Donatiſtas, qui contra hanc apertiſſimam veræ eccleſiæ notam non tam verbis & ſententiis, quam ipſo opere pugnarunt, contra hanc in orbem diſperſam eccleſiam ſingulares erigendo conventus. Quos hodie ſequuntur, qui ſe a catholica ſcindendo iſtorum veſtigia ſequi amant; nec volunt agnoſcere hanc eccleſiæ per totum orbem diffuſionem tanquam ſignum vel notam veræ eccleſiæ, cum ſit infinitis ſcripturæ locis, iiſque clariſſimis prædicta & mandata, quæ hic referre iterum foret ſupervacaneum, præſertim id non paucis jam agnoſcentibus adverſariis, at talem ſtatuentibus univerſitatem eccleſiæ, ut ſtabilitam a nobis illius unitatem perdant.

Quæ nota maxime conſpicua eccleſiæ ſemper competit, nec per hæreſes obſcuratur.

IV. Haud dubie vero, quia hæc nota præ omnibus aliis plurimis, & apertiſſimis ſcripturæ locis eſt aſſerta, atque præ reliquis omnibus in oculos cadit, & conſpicua eſt, inde factum, ut de hac potiſſimum eccleſia nuncupationem ſumeret, atque catholica diceretur: cum divinæ promiſſiones eſſent perſpectiſſimæ, veram eccleſiam ſemper talem futuram, & ſole clarius per totum orbem radios ac lucem ſuam diffuſuram; licet ſubinde

atræ

atræ ac denſæ hæreſeon nubes ejus claritatem quadantenus eſſent obſcuraturæ, ut de Arianis temporibus referunt SS. Patres, & de noſtris temporibus dici poteſt. Quæ tamen omnia etiam ſunt prænunciata a prophetis & Chriſto. Sicut autem SS. Patres tempore Arianorum nihilominus eccleſiam catholicam, atque ubique diffuſam agnoſcebant; ita recte a nobis hodie fit, quando ingruerunt infelicia tempora in ſcripturis prædicta.

Sed non niſi ei eccleſiæ poteſt attribui, quæ eodem unitatis vinculo colligatur.

V. Contra illos vero, qui univerſalem agnoſcunt eccleſiæ diffuſionem, ſed ſine unitatis cohærentia, illud S. AUGUSTINI reponimus: *Utrum epiſtolas communicatorias, quas formatas dicimus, poſſet, quo vellem, dare? & affirmabam, quod manifeſtiſſimum erat omnibus hoc modo facillime illam terminari poſſe quaſtionem. Parabam autem, ut, ſi conſentiret, ad illas eccleſias a nobis tales litteræ mitterentur, quas in apoſtolicis auctoritatibus pariter legeremus jam illo tempore fuiſſe fundatas. Sed quia res aperte falſa erat permixtis verbis cito inde diſceſſum eſt.* Quæ hic AUGUSTINUS a Donatiſtarum epiſcopo ubique terrarum communionem ſuam jactanti petiit, pariter petimus ab illis, qui falſam fingunt eccleſiæ univerſitatem. Atque nos eodem jure uſurpamus

CAPUT IX.

Hæreticos ob ſolam amplitudinem catholicos male dici, niſi origines apoſtolicas oſtendere poſſint.

I.

Noviſſimis his maxime temporibus vane numerum & amplitudinem jactare hæreticos.

Quoniam catholicum nomen ea potiſſimum de cauſa eccleſiæ veræ chriſtianæ tribuitur, quod in univerſum orbem ſit extenſa, quemadmodum futurum eſſe a prophetis in veteri teſtamento prædictum eſt, a Chriſto autem in evangelio promiſſum, gloriari ſolent inde, ac nobis inſultare, qui hoc tempore ſeceſſione facta multas terræ partes occupaverunt. Sed non advertunt ſolum numerum hic minime attendi debere, cum & Mahumedana perfidia late graſſetur, & olim jam apoſtolicis ſcriptis proditum ſit, fore, ut noviſſimis temporibus hæreſes multiplicentur: *Malum hoc*, verba ſunt S. Cypriani (*a*), noſtris his præprimis accomodata temporibus, *jam pridem cœperat, ſed nunc crevit ejusdem mali infeſta clades,*

&

„ gationem meæ plebis agnoſcerem, niſi ca-
„ tholica diceretur ?

(a) De unit. eccl. §. 143.

evangelio, evangelicam enim doctrinam reſtituimus, & reformamus. Hinc evangelici reformantes dicendi ſumus. Non eſt hoc novum dictum, ſed nos antiquorum Patrum monitionibus locum dare conſultius judicamus, qui nos cautos ex ſententia Chriſti contra hæreticos reddunt, ne eorum novitatibus demus locum contra eccleſiæ catholicæ fidem, cui tot ſtabilitatis æternæ factæ ſunt promiſſiones, ut quæcunque nova proferuntur, jam falſa præjudicemus (*a*). Si Novatores ævi noſtri primi eſſent, qui ſcripturas dogmatum ſuorum teſtes citarent, fortaſſis aliquid attentionis mererentur; ſed cum iſto deceptionis genere omnes, qui diverſiſſima, & toto cœlo pugnan-

(*a*) „ Quoties (inquit Origenes in Matth. *p.* 91. *T. II. Ed. Geneb.*) canonicas proferunt ſcripturas, in quibus omnis chriſtianus conſentit, & credit, videntur dicere: Ecce in domibus verbum eſt veritatis, ſed nos illis credere non debemus, nec exire a prima & eccleſiaſtica traditione, nec aliter credere, niſi quemadmodum per ſucceſſionem eccleſiæ DEI tradiderunt nobis. „ Et Vincentii *Lirinenſis* monitum eſt (*Commonit. cap. ult.*) neceſſe eſſe omnibus deinceps catholicis, qui ſeſe eccleſiæ matris legitimos filios probare ſtudent, ut ſanctæ ſanctorum, patrum fidei adhæreant, adglutinentur, immoriantur: profanas vero profanorum novitates deteſtentur, horreſcant, inſectentur, perſequantur. „

tia docuere, quovis tempore uſi ſint, merito ſuſpectum eſt ſchema iſtud.

CAPUT VIII.

De veris hæreticarum ſocietatum nominibus, & falſis, quas illi veræ affingunt eccleſiæ.

I.

Hæreſes ab auctoribus, aut peculiari opinione nomina mutuant.

Ex *hæreſibus*, inquit CLEMENS Alexand. (*a*) *aliæ quidem appellantur ex nomine, ut quæ appellatæ ſunt ex Valentino, Marcione, & Baſilide, etiamſi glorientur ſe Mathiæ opinionem adducere: fuit enim una omnium apoſtolorum ſicut doctrina, ita & traditio: aliæ ex loco, ut Peratici, aliæ autem ex gente, ut Phrygum hæreſis: aliæ autem ex operatione, ut Encratitarum: aliæ autem ex propriis dogmatibus, ut Docitarum & Hæmatitarum; aliæ ex poſitionibus, & iis, quæ ipſæ honorarunt, ut qui appellantur Caianiſtæ & Ophiani: aliæ vero ex iis, quæ nefarie auſæ ſunt, & perpetrarunt; ut qui ex Simonianis vocantur Eutychitæ.* Revera adſtipulatur VINCENTIUS Lirinenſis (*b*), *quæ unquam hæreſis, niſi ſub certo nomine, certo loco, certo tempore ebullivit? Quis unquam hæreſes inſti-*

b.

(*a*) L. VII. Strom. *circa finem.*
(*b*) Commonit. C. XXXIV.

ſtituit, niſi qui ſe prius ab eccleſiæ catholicæ univerſitatis & antiquitatis conſenſione diſcreverit? Quod ita eſſe luce clarius exempla demonſtrant, & experientia omnium temporum. In quam rem SS. Patrum ATHANASII, EPIPHANII, GREGORII *Nazianzeni*, HIERONYMI, LACTANTII, EUSEBII proferre teſtimonia pronum eſſet, niſi nota forent, & paſſim laudata. Jam Corinthiis exprobatum, quod alii dicerent: *Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ* (*a*). Ut adeo certum ſit, eos qui ſic appellantur non Chriſti nomine, ſed ſuo adveniſſe, nec Chriſti eccleſiam conſtabilire, ſed novam ſectam conſtituere (*b*). a. b.

Frustra Neoterici renuunt nomen ſibi indi a ſuis auctoribus.

II. Quid ad hæc dicent auctoribus LUTHERO, ZWINGLIO, CALVINO, SOCINO dicti Lutherani, Zwingliani, Calviniſtæ, Sociniani, & qui ſunt alii talium natalium? prævidit hoc telum LUTHERUS (*c*), unde vehementer in eos invehitur,

(*a*) 1. Cor. I. 12.
(*b*) „ Ante VALENTINUM (verba ſunt S. IRENÆI *Lib. III. c.* 4.) non fuerunt, qui ſunt „ a VALENTINO, neque ante MARCIONEM „ erant, qui ſunt a MARCIONE, neque omnino „ erant, aliqui ſenſus maligni, antequam ini- „ tiatores, & inventores perverſitatis eorum „ fierent. „
(*c*) Vid. *T.* 4. op. Germ. ſubinitium.

hitur, qui ſe Lutheranos, dum adhuc ipſe in vivis ageret, appellabant. Idem advertunt, qui ex ipſis ſagaces ſunt, nihilque non agunt, ut hoc in ſe novitatis ſtigma tegant: ſed fruſtra ſunt, dum prohibere volunt, ut nos ſcapham ſcapham vocemus, & ſectam novam ab auctore ſuo denominemus. Quod nos facere ſine injuria illorum non poſſemus, ut rem ſuo non vindicemus auctori. Teſtimonium ſcripturæ & auctoritatem habemus, hæreſim quamvis a ſuo auctore denominandi, cum videamus Nicolaitas a NICOLAO vocari a JOANNE in Apocalypſi.

Fruſtra ſe Reformatores, aut Evangelicos nominant.

III. Quod vero evangelici dici velint reformatores, ſe eorum exempla ſequi demonſtrant, qui dudum hæreſis infamia laborarunt. Sic primum ex S. CLEMENTE percepimus VALENTINUM, MARCIONEM, BASILIDEM ſe opinionem MATHIÆ adducere gloriatos: & fuit hoc omnibus hæreticis commune, ut ſe nomine evangelico, aut veritatis reformandæ prætextu palliarent. Eſt ergo hæc ipſiſſima pellis ovina ſub qua lupi hi ſe recondunt. Fuit etiam olim non una ſecta, evangelicorum nomen ſibi ſumens.

An Novatores a confeſſio-

IV. Tot momentis convicti adverſarii, quod ſub nominibus auctorum ſuorum

fuco

nibus recte ſibi appellationem petant?

tuto latere non poſſint, cum etiam cernant ea inſignia nomina evangelicorum, reformatorum promiſcue uſurpari ab omnibus veteribus, & recentioribus; conſilium capeſſiverunt a variis hinc inde confeſſionibus nomenclaturam ſumere (*a*): Enimvero, ſi non nominibus hærendum, ſed examinanda dogmata, & inquirendum accurate, qui apoſtolica dogmata doceant revera, profiteanturque, qui non; adeoque quibus de jure id competat, quibus non item: jam vita citius longiſſima abibit, quam ſatis cuivis dijudicandi relinquatur otium inter tot non ſolum confeſſionum multitudinem, ſed etiam earundem confeſſionum

(*a*) „ Alia (inquit SPANHEMIUS de Nomin. ſchiſmat. *Diſp. III. q.* 3.) nomina diſcretiva pro factioſis id genus, & διασυρτικοῖς. Inter quæ meliora dari non poſſunt, præterquam illa, quæ a confeſſionibus ducuntur, & ſic a cœtibus aliorum diſtingui etiam ſatis ſuperque poſſumus, ſi confeſſioni vel Helveticæ, vel Gallicæ, vel Belgicæ adhærere dicamur, & ſic ſine ærugine nota διακριτικὴ eccleſiarum noſtrarum dari poterit. Quamvis vero eccleſiæ noſtræ reformatæ, & merito quidem dicantur, quia tamen id eccleſiis ſuis applicare volunt evangelici alii, præſtat ejusque nominibus diſcretivis uti, quæ nobis ſunt particularia, non tantum de jure, ſed etiam de facto, quando, & quoties illi dari poſſunt. „

putantur, ut ſoboles apoſtolicarum eccleſiarum. Omne genus ad originem ſuam cenſeatur neceſſe eſt, ita tot ac tantæ eccleſiæ, una eſt illa ab apoſtolis prima ex qua omnes. Sic omnes primæ, & omnes apoſtolicæ, dum unam omnes probant unitatem. Communicatio pacis, & appellatio fraternitatis, & conteſſeratio hoſpitalitatis, quæ jura non alia ratio regit, quam ejuſdem ſacramenti una traditio.

CAPUT X.

Præter origines apoſtolicas, etiam miſſionem ſuam oſtendere debent hæretici.

I.

Miniſtrorum verbi divini honorifica in ſcripturis nomina.

Tantis honoris, dignitatisque titulis tum in veteri, tum in novo præcipue teſtamento condecorat Spiritus ſanctus, quos verbi ſui miniſtros eſſe voluit, ut eos olim Deos videntes, prophetasque DEI; nunc ſalem terræ, lumen mundi, diſpenſatores myſteriorum DEI, operarios, ſpeculatores, paſtores, ædificatores, teſtes, ſervos, & miniſtros Chriſti, patres, doctores, epiſcopos, angelos, legatos, piſcatores, agricolas, buccinatores, os Domini, eccleſiæ

cleſiæ coronam, Medicos denique diceret in ſcripturis, & compellaret.

Miſſione & ordinatione ſacerdotium in veteri teſtamento conſtitutum.

II. Faceſſant Fanatici & Enthuſiaſtæ, qui internum ſeſe docentem, & ſuggerentem omnia ſpiritum, neſcio quem, jactitant, conſequenter omnem miniſterii divini verbi tollunt uſum ab illis exercitum, qui ad hoc deſtinentur, ordinenturque. Ad quid ergo unctio illa, & conſecratio AARONIS, totiusque tribus LEVI (*a*), ordinis nimirum ſacerdotalis? a.
Cui ſingularis Spiritus ſancti aſſiſtentia aderat, ut vel in omnium perverſiſſimo CAIPHA videre licet, in concilio adverſus Chriſtum Dominum inito, quid expediret pro incolumitate omnium edicente, inclinante jam ad ruinam ſynagoga. De prophetarum ſingularibus legationibus in confeſſo eſt, & patet ex omni ſcriptorum propheticorum pagina, non ſine ſingulari miſſione, & deſtinatione hoc munus ſuſcepiſſe, aut ſuſcipere potuiſſe, niſi mendacia ex ſpiritu mendaci depromere vellent; cujusmodi erant, de quibus loquitur EZECHIEL (*b*): *Vident*, inquit, *vana*, *&* *divinant* b.
mendacium, *dicentes: ait Dominus: cum Dominus non miſerit eos.* Hæc apud Judæos omni tempore erat tam certa per-

(*a*) Exodi XXVII. 2. XXVIII. 12.
(*b*) c. XIII. 6.

ſuaſio, ut in evangelio facta illa ad Jo-
a. ANNEM legatio (*a*) ſacerdotum, & Le-
vitarum cenſeret injuria ſibi uſurpare baptizandi munus JOANNEM, ſi miſſus non eſſet.

Similiter in novo teſtamento miſſio neceſſaria.

III. Idem in novo teſtamento locum habet; dum placuit per prædicationis ſtultitiam ſalvos facere credentes (*b*), ut non jam ſit *diſtinctio Judæi* (*c*), *& Græci: nam idem*, dicente PAULO, *Dominus omnium, dives in omnes, qui invocant illum. Omnis enim*, pergit ibidem, *quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit. Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient ſine prædicante? quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? Ego*, ait Chriſtus, *elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat.* Non ergo cujuſcunque eſt ſeſe in operarium dominicum conſtituere: *Nec quiſquam*, ut ait
d. S. PAULUS (*d*), *ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a DEO tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Ut igitur Filius DEI miſſus a Patre opus redemtionis noſtræ ſuſcepit, ſic miniſtri non-

(*a*) Joan. I. 19. (*b*) Act. XI. 14.
(*c*) Rom. X. 12. (*d*) Hebr. V. 4.

nonniſi ad hoc electi a Chriſto in orbem terrarum miſſi ſunt. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Ite in univerſum mundum, & prædicate evangelium* (*a*). a.
Hanc provinciam, quam apoſtoli a Chriſto Domino acceperunt, ipſi deinceps illis tradiderunt, quos cooperarios in vinea Domini conſtituerunt, & epiſcopos, paſtoresque per civitates elegerunt: unde S. PAULUS, cum jam delibaretur, & tempus reſolutionis ſuæ inſtaret, TIMOTHEUM obteſtatur, & adjurat: *Teſtificor*, inquit (*b*), *coram DEO, & JESU Chriſto, qui judicaturus eſt vivos &* b.
mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus: prædica verbum, inſta opportune, importune: argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina. Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Iſta ſunt dicta a PAULO ei, cui per impoſitionem manuum curam ovilis dominici commiſerat, quam & ipſe ſuccedentibus temporibus iis impertiretur, quos poſt ſe conſtituturus erat, ut ſic apoſtolica prorogaretur miſſio.

Nec diffitentur adverſarii.

IV. Non ſemel propriis hoc in fidei confeſſionibus agnoverunt adverſarii. In celeberrima ſynodo Dordracena pro

Tt 3 ſchiſma-

(*a*) Marc. XVI. 15.
(*b*) 2. Tim. IV. 1. 2. 3. &c.

ſchiſmatico agnoſcitur is, qui, miniſtro adhuc in quadam eccleſia conſtituto, ſe intrudit. Idem edicit diſciplina Gallica. Ex pluribus vero confeſſionibus ſolam Helveticam hic adducam Art. XVIII. ſic habentem: *DEUS ad colligendam vel conſtituendam ſibi eccleſiam, eandemque gubernandam, & conſervandam ſemper uſus eſt miniſtris, iisque utitur adhuc, & utetur porro, quoad eccleſia in terris fuerit. Ergo miniſtrorum origo, inſtitutio & functio vetuſtiſſima, & ipſius DEI, non nova aut hominum eſt ordinatio. Certe ita a DEO inſtitutos eſſe epiſcopos D. Paulus edixit, dum eos commonuit:* Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos poſuit Spiritus ſanctus epiſcopos regere eccleſiam DEI, quam acquiſivit ſanguine ſuo. *Et Eph. IV. idem dicit:* Chriſtum dediſſe apoſtolos, paſtores, doctores &c. *quomodo ergo a DEO inſtituta homo poſſit infringere, aut eccleſiam aliter, quam a Chriſto fuit inſtituta fingere præcipua parte ſublata, miniſtris nimirum eccleſiæ rectoribus?*

Hæretici cum miſſionem nullam oſtendere poſſint, ejus mini-

V. Secum recogitent, perpendantque, an non contra ſeipſos hæc valeant, qui contra doctrinam in illis ſedibus cuſtoditam, quæ origines ſuas & ſucceſſiones ab apoſtolis conſervant, novum evangelium prædicare ſuſcipiunt, nulla

apo-

apoſtolica miſſione vocati; ſed contra ſterii non eos potius, qui hac miſſione gaudent, habent. ſeſe erigunt, eccleſiam apoſtolicam criminantur, novamque nulla auctoritate fundant: *Cum*, ut verbis utar S. CYPRIANI (*a*), *ſit a Chriſto una eccleſia per* a. *totum mundum in multa membra diviſa, item epiſcopatus unus, epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, ille* (NOVATIANUS) *poſt DEI traditionem, poſt connexam & ubique conjunctam catholicæ eccleſiæ unitatem, humanam conetur facere eccleſiam, & per plurimas civitates novos apoſtolos ſuos mittat, ut quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat . . . qui ergo nec unitatem Spiritus, nec conjunctionem pacis obſervat & ſe ab eccleſiæ vinculo, atque a ſacerdotum collegio ſeparat, epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem, qui epiſcopatus nec unitatem voluit tenere, nec pacem.* Non poſſet ſanctus martyr eos ævi noſtri acrius perſtingere, & configere, qui nulla poteſtate legitima inſtructi, omnem antiquam eccleſiam evertere, novamque doctrinam ſuam obtrudere, ſeque veros evangelii miniſtros contra eos, qui perpetua ſerie ab apoſtolis hanc obtinuerunt, venditare conati ſunt. Sed iterum audiant CYPRIANUM, quid alio in loco dicat:

(*a*) L. IV. ep. II. f. 90.

cat : *Sunt*, ait (*a*), *qui ſe ultro apud temerarios convenas ſine divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine epiſcopatum dante epiſcopi ſibi nomen aſſumunt, quos deſignat in pſalmis Spiritus ſanctus*: Sedentes in peſtilentiæ cathedra, *peſtes, & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices, venena lethalia linguis peſtiferis evomentes: quorum ſermo ut cancer ſerpit &c.* Quanto magis arguendi illi, qui univerſæ eccleſiæ non ſolum docendæ, ſed etiam reformandæ nulla legitima miſſione magiſterium ſibi arrogant, & eam eccleſiam, quæ ſemper florentiſſima hucusque ab apoſtolorum principe non ſolum perpetuam ſucceſſionem, ſed etiam legitimam auctoritatem obtinuit damnare tot nominibus audent, poſt mille quadringentorum annorum tempus noviſſime ex Germaniæ quodam angulo caput ſuſtollente homine, qui, tantum abeſt, ut poſſit miſſionis ſuæ aliquod dare documentum, tot argumenta ſuæ perfidiæ præbet, ut mirum eſſet, unum nactum eſſe ſectatorem, niſi impunitatis, libertatis, & novitatis ardor, cupidoque homines præcipites dediſſet.

VI. Do-

(*a*) De unit. eccl. *f.* 141. n. 38.

VI. Donatiſtæ, cum non ignorarent, quantæ neceſſitatis eſſet ad eccleſiam ſtabiliendam cathedram PETRI ad ſuas partes trahere, a vero autem ejus ſedis epiſcopo non ſolum communionem, & approbationem non obtinuiſſe, verum etiam damnatos eſſe a MELCHIADE; VICTOREM quendam contra verum pontificem Romam miſſum intruſerunt, ut ſic communionem ſe cum Romana ſede habere fingerent. Sed hæc eorum aſtutia facile eſt eluſa, cum eorum epiſcoporum ſucceſſionem ab apoſtolicis temporibus non eſſe profectam oſtenſum eſt, veri vero pontifices continuam ſeriem anteceſſorum ſuorum ad PETRUM uſque numerarent (*a*):

Donatiſtarum vanum ſtudium ex ſua factione Romæ epiſcopum conſtituendum.

a.

Tt 5 VII. Quæ

(*a*) „ In hoc ordine ſucceſſionis (reponebat S. AUGUSTINUS epiſt. olim 165. nunc 53.) „ nullus Donatiſta epiſcopus invenitur, ſed „ ex transverſo ex Africa ordinatum miſerunt, qui paucis præſidens Afris in urbe Roma „ Montenſium (vel Cutzubitarum) vocabulum propagavit. *Primus qui Romam* „ *miſſus ſit*, *Victor fuit* „ Qui, (ut inquit OPTATUS *L. II.* de ſchiſ. Donat. *f.* 34.) „ erat ibi filius ſine patre, tiro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine „ antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes „ ſine hoſpitio, paſtor ſine grege, epiſcopus „ ſine populo. „ (Quod perpetuæ ab apoſtolis ſucceſſionis attinet momentum: quod modo maxime urgemus) ſi VICTORI (inquit paulo

Novatores immerito Romanam eccleſiam reformare aggreſſi ſunt.

VII. Quæ multo convenientius noſtro ævo applicari poſſunt, quando longe amplius audaciæ proruperunt novi apoſtoli, ut non ſolum epiſcopum ſedis apoſtolicæ ſuam miſſionem perpetua ſucceſſione oſtendentem contemnerent, ſed univerſam etiam eccleſiam cum hac ſede communionis vinculo copulatam damnarent, ſeipſos doctores, reformatores, judices conſtituerent nulla habita apoſtolica cathedra, a qua apoſtolica
a. miſſio, & auctoritas repetenda fuerat (*a*).

CAP. XI.

„ poſt OPTATUS) diceretur, ubi ſederit? nec „ ante ſe aliquem illic fuiſſe monſtraret, nec „ cathedram aliquam, niſi peſtilentiæ, oſtendederet. Peſtilentia enim morbis extinctos „ homines ad inferos mittit, qui inferi portas ſuas habere noſcuntur; contra quas „ portas claves ſalutares accepiſſe legimus „ PETRUM, principem ſcilicet noſtrum, cui „ a Chriſto dictum eſt: *Tibi dabo claves regni cœlorum, & portæ inferi non vincent eos.* „ Unde ergo eſt (pergit) quod claves regni „ cœlorum vobis uſurpare contenditis, qui „ contra cathedram PETRI veſtris præſumtionibus, & audaciis ſacrilegio militatis.

(*a*) „ Igitur (ut OPTATI verbis contra hos Novatores præſcribam) de dotibus ſupradictis „ cathedra eſt, ut diximus prima, quam probavimus per PETRUM, noſtram eſſe, quæ „ ducit ad ſe angelum (id eſt epiſcopum legitimam habentem poteſtatem, & miſſionem) „ niſi forte eum vobis vindicantes habetis in „ loculis clauſum. „ Vide luculentiſſima in hanc rem teſtimonia apud TERTULLIANUM li-

CAPUT XI.

Quomodo eccleſiæ apoſtolicæ demonſtratio in ſacri miniſterii ſucceſſione demonſtret veritatem fidei, & præjudicet falſitatibus.

I.

Quomodo commonſtretur ſucceſſio paſtorum apoſtolica.

Sic ergo eccleſia Romano-catholica oſtendit natalium ac ſtemmatis ſui nobilitatem ab apoſtolis ad hæc uſque tempora productam, & ſic ſe veram eccleſiam demonſtrat contra falſas quaſcunque exſurgentes: eodem modo hodieque, ut olim a primis uſque ſæculis factum ab IRENÆO, TERTULLIANO, & aliis ſupra a nobis laudatis, qui maxime ad Romanæ eccleſiæ ſucceſſionem provocare ſolebant, epiſcoporum numerata ſerie. Quod ſi jam tunc pro inſigni aliquo habuerunt providentiæ divinæ documento, quanto magis id facerent, ſi hodie viverent, atque cernerent non jam per centenos, ſed millenos DEUM annos conſervaſſe hanc apoſtolicam præſulum ſucceſſionem. Totum autem hie-

bro de præſcriptionibus hæreticorum, præſertim capitibus 29. 30. 31. 32. &c.

hierarchicum ordinem ab apoſtolis deſcendiſſe oſtenditur, cum inferiores ordines, & ſubordinati ordinentur a ſupremis paſtoribus & eccleſiæ principibus epiſcopis, hi autem ordinem ſuum ab aliis, atque iſti rurſus ab aliis, quousque tandem ad apoſtolos aſcendatur, quos CHRISTUS ipſe inſtituit, atque in eos proxime omnem contulit poteſtatem: haud ſecus ac ſinguli homines longo tractu generationum omnes ab ADAMO deſcendunt, virique nobiles ſolent recenſione avorum nobilitatis antiquitatem demonſtrare. Sic quidem in veteri teſtamento propagatio erat quædam ſacerdotii, ſed carnalis per generationem; at in novo teſtamento per ordinationem.

Quæ ſucceſſio per divinam providentiam jugis ac perpetua eſſe oſtenditur.

II. Et ſi DEUS olim providit, ut nunquam legitime nati deeſſent filii LEVI, haud eum minus proviſurum, eſt credendum, ut legitimi nunquam deſint paſtores & doctores, per quos eccleſia regatur, & ſalutaris doctrinæ pabulo nutriatur: ut dediſſe Chriſtum apoſtolus refert (a), *quosdam quidem apoſtolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chri-*

(a) Eph. IV. 11.

IV. Hæc eſt compendioſiſſima illa conſervandæ veritatis, & doctrinæ apoſtolicæ ratio, ut quilibet in avita doctrina permanendo, prima accepta ab apoſtolis fides immutata perſiſteret. Atqui hæc cauſa, eſt cur eccleſiæ apoſtolicæ tantum robur ſemper pro veritate habuerint, quando in illis ſucceſſio eo modo

Quamdiu nullam novationem eccleſiæ faciunt, uti Græca, quæ excidit juribus apoſtolicæ ſucceſſionis.

ſuos allocutus: „Vous n'avez pû vous empé- »
cher de reconnoitre, que j'etois a la placé »
de ceux, qui ont planté l'evangile dans »
ces contrées: vous les avez reverés en »
ma perſonne, quoi-qu'indigne. Je ne vous »
ai point annoncé d'autre doctrine, que »
celle, que j'ai recue de mes ſaints préde- »
ceſſeurs: comme chacun d'eux a ſuivi »
ceux qui les ont devancés, j'ai fait de me- »
me. Regardez tout ce que nous ſommes »
d'eveques autour de vous, & dans toute »
l'etendue de ce Roiaume: nous avons tous »
la meme gloire, que nous ne laiſſerons »
pas affoiblir. Dans cette ſucceſſion on n'a »
jamais entendu un double langage. Les »
evéques ſeparés de nôtre unité, tels que »
ſont ceux d'Angleterre, de Suede, & de »
Danemark, au moment de leur ſepara- »
tion, ont manifeſtement renoncé a la doctri- »
ne de ceux, qui les avoiens conſacrés, il »
n'en eſt pas ainſi parmi nous: toûjours u- »
nis a la chaire de ſaint PIERRE, ou de »
l'origine du chriſtianiſme on a reconnu la »
tige de l'unité eccleſiaſtique, nous n'avons »
jamais condamné, nos prédeceſſeurs, & nous »
laiſſons la foi des egliſes telle que nous l'a- »
vons trouvée. „ *Lettre paſtorale ſur la communion paſchale.*

modo ſemper eſt producta, ut nullam novationem facerent eorum ſucceſſores, quæ ab anteceſſoribus acceperant: ſicuti feciſſe modo conſtat eccleſias Græcas, quæ a fide ſuorum majorum abſceſſerunt, partim in varias hæreſes prolabendo, partim etiam unitatem ſcindendo atque communionem obſervantiamque, quam habuerunt patres eorum pro primatu ſedis apoſtolicæ, deponendo.

Quod eccleſiæ catholicæ divinis promiſſionibus ornatæ accidere nequit.

V. Secus eccleſia catholica ſemper conſervavit eandem, quam traditam acceperat fidem, agente hoc divina providentia ad integras conſervandas eccleſiæ factas promiſſiones, atque ad hoc dante Spiritum ſanctum: *Et ego*, inquit, *rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Ergo nunquam deerit Spiritus ſanctus in eccleſia, etiam apoſtolis abeuntibus apud eorum ſucceſſores ſubſiſtet in æternum, & cum eccleſia erit uſque ad conſummationem ſæculi, idque cum eccleſia docente, & prædicante, hoc eſt cum paſtoribus & doctoribus, ad hoc enim Spiritum ſanctum dandum promiſit: *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis:* Cum illis etiam uſque ad conſummationem ſæculi futurum ſe eſt pollicitus, quos ad baptizandum miſit,

&

& docendum, ſervare omnia, quæ ipſe præceperit, id eſt, quibus paſcendi plebem in doctrina & ſacramentis curam commiſit. (*a*) a.

VI. Hoc modo ergo procedit doctrina de apoſtolica eccleſia: quatenus DEUS memor ſuarum promiſſionum in miniſterii ſacri ſucceſſione, etiam conſervat

Quæ ſine ulla innovatione, & variatione conſervat doctrinam apoſtolicam.

Uu ſuc-

(*a*) Hoc mira emphaſi urget omnibus ſuis ſcriptis, quæ hæreticorum malleus *Benig.* BOSSUETUS hac de materia edidit, in inſtructione paſtorali II. de promiſſis eccleſiæ factis ſic proloquitur: „ Ecoutez-donc les paroles, & prenez l'Eſprit, & intention des promeſſes de JESUS-CHRIST: Je ſuis avec vous, qui enſeignez, qui adminiſtrez les Sacremens, & qui gubernez par ſe mojen le peuple fidele: Je ſuis avec vous, & votre miniſtere ſubſiſtera: Je ſuis avec vous: & je benirai ce miniſtere: il ſera ſaint, & fructueux, & ne ceſſera jamais de l'être parce que je le promets moi & ma promeſſe immutable ſera tout enſemble l'objet, & le ſoutien de la foi. (Et paulo poſt:) DIEU n'a promis à aucun ſaints, comme il a fait a l'egliſe entiere, d'ètre avec lui tous les jours, c'eſt a dire ſans la moindre interruption, & juſqu'a la fin des ſiecles: le terme de la fin des ſiecles, qu'il donne a ſon aſſiſtence, de note l'egliſe telle qu'elle eſt en monde viſible par toute la terre, a qu'il donne pour caractere de ſa viſibilité la predication, & les ſacremens, & lui promet de la conſerver tous les jours, en cet etat tant que l'univers ſubſiſtera. „ *Vol. V.* op. p. 85.

ſucceſſive uſque ad finem ſæculi doctrinam apoſtolicam ſine ulla innovatione & variatione in unitate eccleſiæ, & cathedræ epiſcopalis ſubſiſtente, ac vergente unitate fidei, ita ut nullus de ſuo aliquid effingat, ſed acceptum ab apoſtolis uſque diſpenſet depoſitum: quod jam olim cuſtodire ſolicite TIMOTHEUM monuit PAULUS. *O Timothee* (a) *depoſitum cuſtodi devitans profanas vocum novitates* (b).

VII. Hic

(a) I. Tim. VI. 1.

(b) „ In quem locum VINCENTIUS *Lirinenſis*, „ (*Commonit. c.* 27.) quis eſt (inquit) hodie „ TIMOTHEUS, niſi vel generaliter uni„ verſa eccleſia, vel ſpecialiter totum cor„ pus præpoſitorum, qui integram divini cul„ tus ſcientiam vel habere ipſi debent, vel „ aliis infundere? quid eſt, depoſitum cuſtodi? „ cuſtodi (inquit) propter fures, propter inimi„ cos, ne dormientibus hominibus ſuperſe„ minent zizania ſuper illud tritici bonum ſe„ men, quod ſeminaverat filius hominis in a„ gro ſuo. *Depoſitum*, inquit, *cuſtodi.* Quid „ eſt depoſitum? id eſt, quod tibi creditum „ eſt, non quod a te inventum, quod acce„ piſti, non quod excogitaſti, rem non in„ genii, ſed doctrinæ, non uſurpationis pri„ vatæ, ſed publicæ traditionis, rem ad te „ perductam, non a te prolatam, in qua non „ auctor eſſe debes, ſed cuſtos, non inſtitu„ tor, ſed ſectator. Depoſitum, inquit, cuſto„ di, catholicæ fidei talentum inviolatum il„ libatumque conſerva. Quod tibi creditum, „ hoc penes te maneat, hoc a te tradatur.

VII. Hic igitur eſt verus eccleſiæ apoſtolicæ character, ac nota evidens: ut nunquam variet, nihil unquam innovet; idque eſt revera catholicum dogma ſecundum VINCENTIUM noſtrum, *quod ubique, quod ſemper.* Neque poteſt ei tempus aliquod deſignari aut caſus, in quo a ſua veteri abſceſſerit fide. Et ſi aliquando, ut ſæpe contingit, in fide aliquid definit, nihil innovat, ſed contra innovationes avitam fidem firmat (*a*).

Neque nova decreta fidei ſtatum hunc immutant.

Non mihi pro aliis alia ſubjicias, nolo, pro ,,
auro aut impudenter plumbum, aut frau- ,,
dulenter æramenta ſupponas. Nolo auri ,,
ſpeciem, ſed naturam plane. O TIMO- ,,
THEE, o ſacerdos, o tractator, o doctor, ,,
ſi te divinum munus idoneum fecerit in- ,,
genio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiri- ,,
tualis Beſeleel . . . eadem tamen, quæ di- ,,
diciſti, doce, ut, cum dicas nove, non dicas ,,
nova. ,, Poſtea veluti ſciſcitans, an ergo nullus in eccleſia debeat eſſe profectus religionis? hunc minime prohibet, ſed multum optat.
,, Sed (inquit id. *c.* 22.) ita tamen, ut vere ,,
profectus ſit ille fidei non permutatio. Si- ,,
quidem ad profectum pertinet, ut in ſe- ,,
metipſum unaquæque res amplificetur; ad ,,
permutationem vero, ut aliquid ex alio in ,,
aliud transvertatur. ,,

(*a*) ,, Chriſti eccleſia (inquit VINC. *Lir. Commonit. I. c.* 23.) ſedula & cauta depoſitorum ,,
apud ſe dogmatum cuſtos, nihil in his un- ,,
quam permutat, nihil minuit, nihil addit, non ,,
amputat neceſſaria, non apponit ſuperflua, ,,
non amittit ſua, non uſurpat aliena, ſed ,,

Hæc item eſt veræ eccleſiæ præſcriptio contra Novatores.

VIII. Hæcque eſt præſcriptio illa veritatis contra novitates ac hæreſes omnes, quæ poſterius ſunt enatæ, ita ut cuique poſſit monſtrari ſtatus ſui ortus, tempus, ac dies. Quo principio facillime patet fidei regula, ut nimirum innovatio certum ſit falſitatis documentum, ſicut quieta poſſeſſio in apoſtolica ſucceſſione, ſine manifeſto interruptionis ſigno, veritatis præſcriptio eſt. *Mea eſt,*
a. inquit TERTULLIANUS (*a*), *poſſeſſio, olim poſſideo, prior poſſideo, habeo, origines firmas ab ipſis auctoribus, quorum fuit res.*
b. *Ego ſum hæres apoſtolorum* (*b*), *reliquam vero doctrinam omnem de mendacio præju-*
c. *dicandam*, idem dicit (*c*): Itemque: *His*

» omni induſtria hoc unum ſtudet, ut vetera
» fideliter ſapienterque tractando, ſi qua ſunt
» illa antiquitus informata, & inchoata accu-
» ret & poliat, ſi qua jam expreſſa & enucleata,
» conſolidet, firmet, ſi qua jam confirmata
» & definita, cuſtodiat. Denique quid un-
» quam aliud conciliorum decretis eniſa eſt,
» niſi ut, quod antea ſimpliciter credebatur,
» hoc idem poſtea diligentius crederetur,
» quod antea lentius prædicabatur, hoc idem
» poſtea inſtantius prædicaretur, quod ante
» ſecurius colebatur, hoc idem poſtea ſolici-
» tius excoleretur? hoc inquam ſemper, ne-
» que quidquam præterea, hæreticorum no-
» vitatibus excitata conciliorum ſuorum de-
» cretis catholica perfecit eccleſia.

(*a*) De præſcript. hæret. c. 37.
(*b*) Id. c. 21. (*c*) Id. c. 35.

His definitionibus provocatæ a nobis & revictæ hæreſes omnes. Nimirum hac præſcriptione (*a*) *omnes hæreſes ad utramque formam a noſtris eccleſiis provocatæ probent ſe quaqua putant apoſtolicas.*

IX. Itaque omnis controverſia in eccleſia contra omnes hæreſes huc revocatur, ut illis eccleſiam, quo tempore fuerunt ortæ, in quieta doctrinæ ſuæ poſſeſſione fuiſſe, ſe vero hanc poſſeſſionem innovatione turbaſſe demonſtretur. (*b*) Unde apparet, quemadmodum nota

Hocque præjudicium contra omnes ſectas atq; ratio cum eccleſiæ demonſtratione fidei veritatem demonſtrandi.

Uu 3

(*a*) Id. *c.* 32.

(*b*) „ Par cette ſainte doctrine, toute queſtion dans l'egliſe ſe reduit toujours contre tous les heretiques à un fait precis & notoire, que croioit on quand vous êtes venûs? Il n'y eut jamais d'hereſie qui n'ait trouvé l'egliſe actuellement en poſſeſſion de la doctrine contraire. C'eſt un fait conſtant, publique, univerſel, & ſans exception. Ainſi la deciſion a été aisée: il n'ya qu'avoir en quelle foi on étoit quand les heretiques ont paru; en quelle foi ils avoient été elevez eux-memes dans l'egliſe, & a prononcer leur condemnation ſur ſe fait, qui ne pouvoit être caché ni douteux. Demandez a LUTHER lui meme, comment, par exemple, il diſoit la Meſſe avant qu'il ſe prétendît plus illuminé. Il vous répondra qu'il la diſoit comme on la diſoit, comme on la dit encore a preſent dans l'egliſe catholique, & la diſoit dans la foi commune de toute l'egliſe. Voilà ſa condemnation prononcée par ſa propre bou-

nota & indicium evidens veræ eccleſiæ eſt, manere in eo, quod eſt acceptum atque translatum in ſucceſſionem perpetua inde ab apoſtolis, ita ſtigma manifeſtum omni errori, ac hæreſi perinde inuſtum, ruptura eſt, & innovatio contra vigorem depoſiti fidei: ut nihil aliud ad convictionem erroris ſit neceſſarium, DEO ſingulariter eccleſiæ ſuæ conſulente, ac proſpiciente, ut facili hoc ac minime operoſo compendio credendi promiſſiones ſuæ ſalvæ ac integræ conſervarentur: atque eccleſia haberet contra novitates omnes firmum præſidium, in ſucceſſione autem ſacri miniſterii conſtans ac perpetuum ſanæ doctrinæ depoſitum: omnesque aperta & conſpicua gauderemus fidei regula, & veræ eccleſiæ demonſtratione, unius nimirum catholicæ & apoſtolicæ, quam tuto

„ che: s'il s'eſt vû contraint a changer ce „ qu'il a trouve etabli, c'eſt-la ſon crime, & „ ſon attentat, qu'il a voulu appeller nou„ velle lumiere. Il en eſt meme des autres „ errans dans tous les autres articles. Ils ont „ tous voulu, non pas éclaircir ce que l'egli„ ſe ſavoit: mais ſavoir autre choſe qu'elle, „ il n'ya point a heſiter ſur la deciſion. (BOSSUET *Inſtruction paſtorale ſur les promeſſes de l'egliſe*, *n.* 35.) Hæc ſunt peremtoria, & omnino conſentiendo cum ſuperioribus præſertim VINCENTIO *Lirinenſi* allata, conſequenter cum illis integra hic inſerenda.

tuto ſequi, & cujus gremio ſecure nos credere poſſimus, quæ in univerſum orbem diſperſa, inde ab apoſtolis ad nos uſque producta, in hac tanta univerſitate, antiquiateque unice tamen conſenſionem miram præſtat, cæteris dogmatiſtis innovantibus, variantibus, ac privatos conventus inſtituentibus, nihil horum exhibentibus. *Atque idcirco*, finiam cum VINCENTIO ſæpius laudato (*a*), a. *multum neceſſe eſt propter tantos tam varii erroris anfractus, ut prophetica & apoſtolicæ interpretationis linea ſecundum eccleſiaſtici & catholici ſenſus normam dirigatur... ſed hoc ita demum fiet, ſi ſequamur univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem.* Quæ poſtea explicat, atque regulas, contra ſeſe in eccleſiam erigentes novitates, ac variationes inſtituentes, tradit, conformiter ad ea, quæ hactenus ad mentem totius antiquitatis, quam ille in ſuo commonitorio ſe ſequi aſſerit, attulimus, illius inquam apoſtolicæ antiquitatis, quæ a Chriſto & apoſtolis verbum divinum ſacramque ſcripturam traditam accepit, & ita conſtanter intellexit, ac interpretata eſt doctrinam: de eccleſia apertiſſime in ſacra ſcriptura contentam, ut ſupra oſtendimus.

(*a*) Commonit. I. *c.* 2.

CAPUT XII.

Vana effugia adverſariorum, ac imprimis eorum, qui auctoritatem ſacri miniſterii omnem abjiciunt, cujus rei funeſti effectus oſtenduntur.

I.

Hæretici quam urgeantur hac materia.

NUllibi magis, quam hac parte impegerunt in petram firmiſſimam eccleſiam Proteſtantes, quocunque enim ſe verterent, aut Scyllam, aut Charybdim ſunt experti; unde accidit, ut nihil intentatum relinquerent, quo ſeſe expedirent, ut adeo hic etiam ſpiritum illum prodiderint, quem HILARIUS dicit hæreticorum eſſe, *variare in regula*, dum in tam varias abeunt ſententias.

Refutantur, qui ſusque deque habent miniſtrorum miſſionem perpetuam.

II. Fuerunt, qui hanc ſucceſſionis perpetuitatem nihili facerent, ac ſusque deque haberent, & quæcunque pro ea a Patribus dicta eſſent, contemnerent. *Non nego quidem*, inquit BOEHMERUS (a), *illas eccleſias, nimirum apoſtolicas, pro ſe habuiſſe magnam præſumtionem veritatis & doctrinæ apoſtolicæ: aſt minime conveniens videtur hæreticos ex harum auctoritate confutare, & hoc fundamentum tanquam*

(a) Jur. Eccl. ant. Diſſ. IIX. T. I.

quam principale ipſis objicere, multo minus prædicata diverſa eccleſiæ in ſacris tributa, hoc eſt, omnibus fidelibus his applicare: revera enim tota vis argumenti huc redibat: quidquid docent presbyteri eccleſiarum apoſtolicarum, hoc unice verum, cetera omnia falſa. Revera ergo totum hoc argumentum reſolvitur in eccleſiæ externæ auctoritatem, quo argumento adhuc hodie eccleſia Romana contra nos uti ſolet. Verum eſt eccleſiam Romanam iſto uti argumento, quod ſummo jure facit: imprimis enim quantæ dementiæ eſt & ſuperbiæ IRENÆO, TERTULLIANO, CYPRIANO, HIERONYMO, OPTATO, AUGUSTINO hac in parte nolle adquieſcere, ſuumque judicium præferre horum conſentienti opinioni: quam non aliam eſſe nobis perſuadebunt unquam, niſi quæ communi fidelium ſententia eo jam tempore obtinebat, apud quos adhuc integrum fidei depoſitum conſervatum, nec ipſi plerumque diffitentur adverſarii: qua nimirum ætate ſaltem vixerunt IRENÆUS, TERTULLIANUS, CYPRIANUS. Hi autem, & omnes alii, quos ſupra laudavimus, verbi divini pabulo enutriti alios eandem docebant doctrinam. Nec eludi hic poſſunt apertiſſimæ ſcripturæ, quæ apoſtolis adjudicant divini verbi miniſterium perſeveraturum in eccleſia, ad-

adverſum quam portæ inferi nunquam ſint prævaliturae: Chriſtusque apud eos, qui hujus verbi miniſtri fuerint, futurus ſit uſque ad conſummationem ſæculi. Fanaticorum & Enthuſiaſtarum more omne verbi divini miniſterium ſpernere, nec ipſis plerumque placet, & apertiſſime omnibus ſcripturæ teſtimoniis & factis confutatur, quibus unquam facultas commiſſa legitur, & poteſtas ſacri miniſterii, ut apoſtolis, & ſeptuaginta duobus diſcipulis, iisque, qui (quod in actis & epiſtolis apoſtolorum habetur) ab apoſtolis per impoſitionem manuum, poteſtatem eccleſiam regendi, docendique acceperunt.

Quam abſurde nonnulli promiſcue miniſterium ſacrum omnibus attribuant.

III. Certe ſi omnibus promiſcue detur facultas docendi, & ſacramenta adminiſtrandi in eccleſia, major erit confuſio, quam Independentium in Anglia, ac Enthuſiaſtarum in Hollandia; & tamen fuerunt, qui hæc ſacra munia ad quemlibet pertinere aſſeruerint, ut adeo a mulieribus etiam uſurpari queant. Edidit pro hac ſententia Celeb. CONRINGIUS libellum (*a*), in quo ſtatuere conten-

a.

(*a*) Defenſio eccleſiæ Proteſtantium adverſus duo Pontificiorum argumenta, petita a ſucceſſione epiſcoporum, & presbyterorum ab apoſtolis uſque derivata. Contra quem vid. Fratres Wallenburg. de Miſſione Proteſtantium.

tendit, lege divina non eſſe conſtitutum, ut ſolus clerus primo ſemper & unice munium eccleſiaſticorum obeundorum habeat poteſtatem; ſed id juris omnibus chriſtianis eſſe conceſſum, quorum proinde nomine & loco nonniſi tanquam miniſtri, clerici legitimi juxta leges eccleſiæ poſitivas vocati, & conſtituti, fungantur muneribus eccleſiaſticis. Nec deſunt alii, qui ita ſentiant, ſibi, etſi paſtores non eſſent, prout omnibus fidelibus incumbere officium inſtitutionis pro modulo gratiæ a DEO acceptæ: ita SCHEIBLERUS apud Fratres Wallenburgicos (*a*), etiam laicos eſſe audiendos vult, quia etiam laicis dictum eſt, ut caveant falſos prophetas. Sed recte reponunt Wallenburgici hos a laicis melius fugiendo, quam audiendo caveri: quomodo enim particularis quisque fidelis contra omnes impoſturas ſe muniet ſapientia & doctrina, cum Chriſtus nos ad audiendos potius apoſtolos direxerit: *Qui vos audit, me audit.* Atqui hæc fuit ſumma inſtitutæ auctoritatis neceſſitas, ne ſimus amplius ut parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ: Et JOANNES ipſe de ſe ſuique ſimilibus paſtoribus dixit:

Di-

(*a*) Fratres Wallenb. de Miſſione Proteſtantium. c. 57.

libertate cogitandi Deiſta ſubtilis, non aliter hac de re conſtitutum habuit: a. *An non*, inquit (*a*), *jure optimo ſtatuimus, nos nullo modo poſſe veram concipere divinitatis notionem, aut mentem noſtram tranquillam reddere illis in perplexitatibus, & præjudiciis, quæ a presbyteris in nobis excitantur, adverſus has veritates, niſi omnino ſequi detrectemus eorundem placita, noſtris autem libere utamur.*

CAPUT XIII.

Calumnia de apoſtaſia eccleſiæ, atque defectu ſucceſſionis veræ apoſtolicæ.

I.

Qui argumentum Patrum de apoſtolica ſucceſſione admiſerunt pro temporib' antiquis.

Eorum Patrum auctoritas, quorum nos partim teſtimonia ſupra in medium adduximus de apoſtolica ſucceſſione, illis ipſis adverſariis, qui SS. Patribus minimum alias deferunt, non contemnenda

(*a*) „ N'avons nous pas tous les ſujets du „ monde de conclure, qu'il ne nous reſt au„ cun mojen de nous former une juſte idée de „ la divinité, & qu'il eſt impoſſible de met„ tre nos eſprits en repos dans l'embarras, & „ les prejuges que les pretres nous ſuſcitent, „ contre toutes les verites, que en renonçant „ abſolument a ſuivre leurs penſées, & en „ faiſant un libre uſage des nôtres. *p.* 146.

da eſt viſa. E quorum numero Jo. Clericus cum aliis multis, eam init viam, ut putet, argumentationem iſtam Patrum apoſtolico ævo proximorum pro illius temporis rationibus idoneam & ſolidam fuiſſe, neque adeo tanquam falſam, & lubricam prorſus rejici debere: dummodo occaſio, qua ad hoc argumenti genus fuerint abrepti, ſcopus argumentantium, & adverſariorum conditio ſpecialis diligenter expendantur: hinc enim apparere, quod iſtis rationibus poſterior ætas, & Romana eccleſia contra Proteſtantes neutiquam cum ſucceſſu pugnare queat. Hoc diſcrimine etiam utitur *Jo. Erneſtus* Grabius (*a*), & alii complures. a.

Hæreticorum calumnia, eccleſiam Romanam apoſtataſſe, refellitur.

II. Igitur ſentiunt, alium longe nunc quam olim eſſe ſtatum eccleſiarum, & ſucceſſionis apoſtolicæ, maxime in eccleſia Romana, quæ turpiter ab avita fide ſeceſſerit, & apoſtataverit. Ut nihil dicam de calumniis illis, quibus eccleſiam Romanam onerarunt, dum eam nunc idololatricam, antichriſtianam criminantur, dum tamen aliam nullam potuerunt eccleſiam initio reformationis demonſtrare: atque etiamſi Romæ anti-

chri-

(*a*) Not. ad Irenæum. *L. IV. c. al. LXI. nunc XXXVI.* qua de re vid. Diſſ. *art. IV. n.* 45. *Renati* Massueti *P. II. Ed. nov.*

chriſtus foret, ipſi tamen idcirco eccleſiam deſerere non debuiſſent, quia dum agnoſcunt antichriſtum ſeſſurum in eccleſia DEI, perhibent eccleſiæ veræ teſtimonium, quæ nunquam eſt deſerenda. Hac calumnia non contenti, integræ eccleſiæ apoſtaſiam imputarunt: quod merito inauditum prodigium inter chriſtianos reputatur; cum ſancti Patres Hæreticis quidem exprobraverint apoſtaſiam, dum ſe ab eccleſia ſepararunt; ſed ipſam apoſtataſſe eccleſiam ſine horrore percipi nequit. Et tamen hæc blaſphemia promiſcue ex ore Proteſtantium auditur, nec aliter apoſtaſiæ crimen a ſe amoliri queunt. Cum enim ipſi eccleſiam deſeruerint, oportuit eam vocare Babylonem illam, ex qua ſit exeundum. Quamvis nec ſic cauſam ſuam agant: neque inde, quod a ſerie apoſtolicæ ſucceſſionis noſtram eccleſiam apoſtataſſe dicunt, idcirco apud ſe illam probant: cum aliam quam hanc in anterioribus temporibus aſſignare nequeant, ut infra demonſtrabitur. Et ſic tandem ad nos ultimato confugere debent, nobiſque ſalutis januam aperire, a nobis etiam miſſionem & vocationem repetere.

Calvini & Bezæ III. Quo vero in antiquiora tempora hanc apoſtaſiæ epocham reponunt, eo

magis

nagis cauſæ propriæ nocent; dum eo opiniones
ongius orbem eccleſia vacuum ponunt exami-
ontra divinas promiſſiones, prædictio- nantur.
ıesque. CALVINUS quidem profitetur
n Inſtitutionibus, AUGUSTINUM merito
bjeciſſe Donatiſtis ſucceſſionis in eccle-
ia perpetuam ſeriem. Ergo in CALVINI
ententia tempore adhuc AUGUSTINI
ucceſſio vera cum vera doctrina eſt con-
ervata in eccleſia etiam Romana. Idem
uamvis frequenter in ore habuerit iſtam
poſtaſiam eccleſiæ, nihil tamen unquam
atis determinatum de illius tempore e-
lixit. BEZA in celebri Poſiaca velitatio-
ıe mire ad anguſtias eſt adductus, tum
x magiſtri ſui CALVINI ſuperiore con-
eſſione, tum etiam Auguſtiniano argu-
nento ex vaticiniis propheticis de eccleſia
oto orbe diffundenda, & propaganda,
ıt narrat BALDUINUS (*a*). In præfatione a.
vero novi teſtamenti a ſe Latine & Græ-
e editi, tandem in id prorupit, ut di-
at jam pridem defeciſſe eccleſiæ ſucceſ-
ionem tantopere olim laudatam: nam
& jam pridem improbos bonis ſucceſſiſ-
e. Quæ ipſiſſima Donatiſtarum eſt ca-
umnia. Sic vero loquitur citato loco:
*Succeſſio illa, in qua nonnulli proram &
puppim conſtituunt, jam pridem valere de-*

(*a*) Hiſt. Carthag. collat. annexa operibus OPTATI *Milev.* p. 340.

ſit, cum certum ſit peſſimos, & ignaviſſimos homines multis jam ſæculis, bonis, & doctis epiſcopis ſucceſſiſſe, & legitimæ vocationis in eccleſia illa Romana ne veſtigia quidem ulla jam pridem apparere. Deinde non perſonarum, ſed doctrinæ; doctrinæ, inquam, propheticæ, & apoſtolicæ ſucceſſionem quærimus: ut ſit rurſus neceſſario ad prophetarum & apoſtolorum libros probandæ veræ ſucceſſionis cauſa recurrendum. Sed, ut jam diximus, adverſatur hoc præciſe veterum illorum Patrum dictis, ac ſententiæ ex ſcripturis expreſſæ, qui doctrinam ex miſſionis & ſucceſſionis antiquitate, non econtra miſſionem & ſucceſſionem ex doctrina dijudicabant, cum certum ipſis eſſet & indubitatum, Chriſtum eccleſiam ſuam, ſemel in orbem diffuſam promiſſis oneraſſe, quod nunquam defectura ſit: hinc perennis etiam futura fluit ſucceſſio, & ab apoſtolis propagata miſſio. Nos vero contra adverſarios ubique ſcripturam crepantes potiori jure poſſumus illud AUGUSTINI reſponſum producere, quod ille, Donatiſtis ſimilem ſuo jam tempore eccleſiæ apoſtaſiam vendidantibus dedit, poſt relatas de eccleſia in toto orbe diffundenda promiſſiones. *Et iſta*, inquiunt, *credimus*, loquitur in perſona Donatiſtarum,

rum (*a*), & *completa eſſe confitemur; ſed poſtea, orbis terrarum apoſtatavit, & ſola remanſit Donati communio, hoc nobis legant*, pergit is, *ſicut legunt de Enoch & Noe, & de Abraham, Iſaac & Jacob, & de illis duabus tribubus, quæ decem ſeparatis reliquæ facta ſunt, & de duodecim apoſtolis, qui ceteris apoſtatantibus remanſerunt, & hoc ſimiliter legant, & nihil reſiſtimus. Si autem non ea de ſcripturis ſanctis legunt, ſed ſuis contentionibus perſuadere conantur: credo illa, quæ in ſcripturis ſanctis leguntur, non credo iſta, quæ ab hæreticis dicuntur.* Hoc peremtorio telo non ſolum objectionis falſitas retunditur, ſed etiam, quæ nobis exempla apoſtaſiæ ex ſcripturis proferunt, ad rem non eſſe oſtenduntur.

IV. Sed ad rem præſentem revertamur, atque ut nos ex inſulſo illo Bezæ *jam pridem* extricemus, tandem aliquando videndum, quonam tempore putent hoc ſucceſſionis filum abſciſſum? Nominare autem oportet, non ſolum eum Romanum Pontificem, qui fidem deſeruerit primus, ac hæreſes diſſeminaverit, ſed eam etiam ſocietatem chriſtianam, a qua Romana eccleſia diſceſſerit. Quam in rem varia in medium afferunt. Ut nihil dicam de illa ſententia, qua plu-

Tempus prætenſæ apoſtaſiæ & ceſſantis ſucceſſionis incaſſum determinatur.

(*a*) S. Aug. de unit. eccl.

res corruptionem eccleſiæ non ultra ſæculum unum quidem poſt Chriſtum differunt: alii apoſtaſiam a quarto aut quinto ſæculo auſpicantur, & dum paulatim eam ingruiſſe dicunt, plenariam intelligunt apoſtaſiam, multi poſt Gregorii tempora hoc accidiſſe ajunt. Angli hodierni, cum ipſis objiceretur defectus a Romana ſede, a qua ſub Eleutherio & Gregorio omnem inſtitutionem, conſecrationem, miſſionem epiſcoporum, & divini officii formam ſuſceperint, cum Cramnero reponebant (a): *S. Gregorium rejeciſſe titulum epiſcopi œcumenici, adeoque auctoritatem ſedis Romanæ tunc intra terminos juſtæ & laudabilis moderationis ſtetiſſe.* Sed præterquam quod Romanus epiſcopus hoc ſibi nomen haud uſurpet, eo certe ſenſu, quo illud contra Joannem *Conſtantinopolitanum* vindicavit, atque etiam tenacem auctoritatis ſedis ſuæ vel maxime fuiſſe Gregorium multis teſtimoniis hujus S. Pontificis poſſit oſtendi, nihil cauſam adverſariorum adjuvat, quocunque tempore hæc perrupta fuerit ſucceſſio; cum fieri haud potuerit, ut non cum ea etiam collaberetur eccleſia, quæ cum eccleſia Romana communionis vinculo jungebatur, id eſt, eccleſia omnis per orbem

(a) Burnet. I. P. L. II. p. 204.

bem diſperſa, contra vaticinia prophetarum, & promiſſa Chriſti.

V. Cum autem temporibus LUTHERI non aliam invenerint in orbem diſperſam communionem, quam ſociatam cum Romana eccleſia, oſtendere aliam nequeunt, quæ hucuſque per tot ſæcula manſerit in radice veritatis & ſucceſſione fidei; vimque habet juſtiſſima poſtulatio, unde ergo LUTHERUS venerit, unde ſuam miſſionem habeat: *Reſponde*, cum D. AUGUSTINO pariter eos ac Donatiſtas (*a*), ſtringimus, *utrum eccleſia perierit, an non perierit? Si jam tum perierat, Donatum qua peperit? Si autem tot in eam ſine baptiſmo aggregatis perire non potuit, reſponde quaſo, ut ab ea ſe tanquam malorum communionem devitans pars Donati ſepararet, qua dementia perſuaſit?* Ex quo idem contra eosdem alibi, nec apud ipſos eccleſiam poſſe exiſtere, evincit, quod eccleſiam periiſſe dictitent, antequam ipſi fuerint exorti. *Quare*, inquit (*b*), *per ſeipſos, unde extiterint non invenientes, dicere deſinant apud ſe eccleſiam remanſiſſe, quam totam prioribus temporibus periiſſe dicunt. Nos*, ut alio loco (*c*) inquit S. Doctor, *manifeſtiſſimis*

Si eccleſia apoſtavit, unde ipſi venerunt?

a.

b.

c.

(*a*) Contra GAUD.
(*b*) Contra Epiſt. PARMEN. L. III. c. 63.
(*c*) De unit. eccl. T. IX. f. 365.

-nis teſtimoniis aſſeruimus eccleſiam toto orbe diffuſam, ſic & ipſi manifeſtum aliquid proferant, unde oſtendant eſſe prædictum, ceteris gentibus a fide Chriſti pereuntibus, ſolam Africam remanſuram, & quæcumque epiſcopi ex Africa mitterentur. *Omiſſis ergo*, concludamus cum eodem AUGUSTINO(*a*), *iſtis morarum tendiculis, oſtendat eccleſiam vel in ſola Africa, perditis tot gentibus, retinendam, vel ex Africa, in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam, & ſic oſtendat, ut non dicat: Verum eſt, quia hoc ego dico, aut quia hoc dixit ille, collega meus, aut illi collegæ mei, aut illi epiſcopi, vel clerici, vel laici noſtri . . . ſed utrum ipſi eccleſiam teneant, nonniſi de divinarum ſcripturarum canonicis libris oſtendant . . . Ipſe Dominus JESUS . . . eccleſiam ſuam commendavit dicens: Prædicari in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, INCIPIENTIBUS AB JERUSALEM. Hoc in lege & prophetis, & pſalmis eſſe ſcriptum ipſe teſtatus eſt: hoc ejus ore commendatum tenemus.* Hæc ſunt cauſæ noſtræ fundamenta eodem jure, eademque in cauſa adverſus eos, qui parem hodie eccleſiæ apoſtaſiam fingunt, ac olim Donatiſtæ.

VI. Nec

(*a*) Fol. 371.

VI. Nec alia proferunt ad hanc eccleſiæ impactam apoſtaſiæ calumniam, Proteſtantes argumenta & exempla, quam olim Donatiſtæ: uti conſtat ex utriusque factionis ſcriptoribus, præſertim ex AUGUSTINO quoad Donatiſtas. Exempla repetunt inde a primis fere mundi incunabulis, & veræ religionis conſtitutione in lege naturæ, Moſaica, & evangelica: cujusmodi ſuperius in textu quodam D. AUGUSTINI quædam vidimus, de ENOCH, de NOE, ac aliis etiam patriarchis & prophetis, præſertim ELIA, de duabus tribubus &c. Quibus AUGUSTINUS hoc generatim reponit: ut ſicut hæc leguntur in ſcripturis, ita illi etiam ſcripturas oſtendant, quæ apoſtaſiam eccleſiæ in orbem terræ ab apoſtolis propagatæ, tantis promiſſis fulcitæ, unquam futuram commonſtrent. Nec olim ſegnes erant, urgebantque tum recens adhuc eo tempore factum Ariminenſium Patrum, tum ut poſtulationi e ſcripturæ quodam teſtimonio de eccleſiæ defectione ſatisfacere viderentur, illud Chriſti de poſtremis temporibus: *Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra* (*a*)? Quæ omnia hodie recoquunt, tam graviter jam olim retuſa.

Argumenta adverſariorum, quibus probant eccleſiam etiam poſſe deficere, centies refutata.

(a) Luc. XVIII. 9.

Quomodo prædicta fides defe-ctura po-ſtremis tempori-bus.

VII. At forte videatur his temporibus magis quadrare illud Chriſti vaticinium de fide poſtremis temporibus defectura. Sed imprimis aſſertivum non eſt, & cum interrogatione ſic effertur: *Filius hominis veniens, putas, fidem inveniet in terra?* Quo quidem innuitur tanta futura ſcandala & defectiones a fide, ut multi ſint putaturi Chriſtum fidem non inventurum, ſi venerit: quod jam contingere cernimus tam quoad fidem illam, quæ per charitatem operatur, quam ſi habuerimus, Chriſtus etiam montes nos translaturos pollicetur: quam etiam eam fidem, quæ religionem informat: utraque enim hodie tam magna patitur ſcandala, ut in animum poſſit inducere cogitationem, anne ita procedente rerum ſtatu fidem Chriſtus veniens ſit inventurus? Quod vaticinium in adverſariis impletum cernimus: qui revera odio in eccleſiam, & ſtudio propriæ cauſæ exiſtimationem fovent, fidem defeciſſe, ac eccleſiam apoſtataſſe: has fere ſolutiones dudum ſanctus AUGUSTINUS complexus eſt. *Dicunt*, ſunt verba S. AUGUSTINI (*a*), *de apoſtaſia orbis terrarum dictum eſſe, quod ait Dominus:* Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? *Quod nos intelligimus di-*

(a) De unit. eccl. c. 14.

dictum vel propter ipſam fidei perfectionem, quæ ita difficilis eſt in hominibus, ut in ipſis quoque admirabilibus ſanctis, ſicut in ipſo Moyſe inveniatur aliquid, ubi trepidaverit, vel trepidare potuerint; vel propter illam iniquorum abundantiam, & paucitatem bonorum, de qua ſatis diximus, propterea enim hoc tanquam dubitans Dominus dixit: neque enim ait, veniens Filius hominis non inveniet fidem in terra, ſed putas inveniet fidem in terra? Cui utique cuncta ſcienti, & præſcienti de re aliqua dubitare non convenit, ſed illius dubitatio noſtram dubitationem figuravit, quia propter multa ſcandala circa finem mundi pullulantia hoc quoque erat infirmitas humana dictura.

Ipſi hujus apoſtaſiæ ſunt rei.

VIII. Certe agnoſcimus ingentia hæc ſcandala, videmus deficientem plurimorum fidem, ſed a quo tempore LUTHERUS eam abjecit, & ingentem hominum multitudinem non ſolum a fide catholica, ſed etiam ab omni fide penitus abduxit, qui jam magno numero non ſolum religionem chriſtianam, ſed etiam DEUM ipſum abnegant. Ipſi ergo ſunt hujus prædictionis Chriſti objectum, qui noviſſimis his temporibus defecerunt: ipſi apoſtaſiæ ſunt rei, cujusmodi futuræ in evangelio ſunt prædictæ. Neque enim diffitemur hæc ſcan-

dala, ſed ea defectionem ipſius eccleſiæ promiſſionibus ampliſſimis a DEO uſque ad conſummationem ſæculi ornatæ non probant, quæ hactenus catholica in orbe terrarum divino proſpiciente Numine inclareſcit. Eos autem attinent hæc, qui ab hac eccleſia ſeceſſionem facientes ipſi ſcandala multiplicant, nec hoc ſatis habent, quin etiam veram eccleſiam catholicam incuſant & calumniantur de apoſtaſia ſua inaudita blaſphemia in unicam Chriſti ſponſam, proprio ſanguine acquiſitam (a).

CAP. XIV.

(a) „Credo quia poterat (finiam cum AUGUSTI-
„ NO Libro de unitate eccleſiæ ita perorante)
„ quibusdam ſuperbis hæreticis, qui in ali-
„ qua parte terrarum ſe ab orbis unitate ſe-
„ paraverunt, aſcendere in cor vana & in-
„ flata cogitatio, quod ipſi eſſent juſti, de-
„ ficientibus, & pereuntibus a fide ceteris
„ gentibus, per quas eccleſiæ communio di-
„ latatur; continuo ſequutus evangeliſta, *di-*
„ *xit autem*, inquit, *& ad quosdam, qui*
„ *ſibi juſti videbantur*, *& ſpernebant cete-*
„ *ros*, *ſimilitudinem iſtam*. Et ſequitur de
„ illis duobus in templo orantibus Phariſæo
„ & publicano, in quibus duobus figurantur
„ ſuperba gloriatio bonorum operum, & hu-
„ milis confeſſio peccatorum. Deſinant ergo
„ iſti, ſi reſpondere huic epiſtolæ parant, ea
„ teſtimonia commemorare, quæ nos cum
„ ipſis commemoramus vel in perditionem
„ Judæorum, vel in zizania ſive paleam, ſi-
„ ve malos piſces totius mundi. Et ſicut

CAPUT XIV.

Fruſtra adverſarii ad miniſterium extraordinarium recurrunt.

I.

Non eſt, cur extraordinariam ſuam jactent miſſionem, veluti LUTHERUS in quadam epiſtolarum ſcribere eſt auſus: *Martinus Lutherus DEI gratia eccleſiaſtes Wittenbergenſis, ut ſciant, epiſcopi ad quorum & ſathanæ invidiam hunc titulum gero, poſſemque eodem jure me dicere, per DEI gratiam evangeliſtam, qualem me etiam agnoſcit & vocat JESUS Chriſtus.* Sacerdotes apud nos ordinatos, qualis & ipſe fuit, non tamen ſacerdotes DEI, ſed ſathanæ eſſe dicit, atque evangelium ſuum a DEO eſſe non ſemel jactavit. Alicubi ſpeciatim libro contra regem Angliæ revelatione divina ſe ad hoc vocatum dicit, *ut*, inquit, *diſſipem, perdam & deſtruam regnum illud maledictionis,*

Hæretici extraordinariam miſſionem jactant.

nos manifeſtiſſimis teſtimoniis aſſeruimus »
eccleſiam toto orbe diffuſam, ſic & ipſi »
manifeſtum aliquid proferant, unde oſten- »
dant eſſe prædictum, ceteris gentibus a fi- »
de Chriſti pereuntibus, ſolam Africam re- »
manſuram, & quocunque epiſcopi ex Afri- »
ca mitterentur. »

nis, *cupide & libenter eo fungor officio, ſicuti hactenus feci.* Cujusmodi etiam miſſionem vindicat, & attribuit reformatoribus ſynodus Gopingenſis. Propoſita enim quæſtione *art.* 31. an expediret dicere, quod primi reformatores & paſtores reformaverint eccleſiam, & docuerint vi vocationis ab eccleſia acceptæ? Conventus reſpondit ſimpliciter ſecundum articulum (*a*), reformationem referendam eſſe ad vocationem extraordinariam, non autem ad reliquias iſtius vocationis ordinariæ corruptæ. Eadem in Rupellana ſynodo ab ipſis ſcita ſunt, niſi quod illic *ſimpliciter* hic *principaliter* ſtatueretur. In confeſſione Gallica *art.* 31. ſic habetur: *Credimus nulli fas eſſe ſuapte auctoritate invadere eccleſiæ gubernacula, ſed legitima electione, quoad ejus fieri poteſt, & quamdiu Dominus ejus rei poteſtatem facit, præeunte adſciſci unumquemque debere. Addimus autem nominatim illam exceptionem, quoniam interdum, ut noſtris etiam temporibus, interrupto eccleſiæ ſtatu, neceſſe fuit nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui eccleſiæ collapſæ ruinas inſtaurarent. Utcunque ſit, tamen credimus ſemper ſequendam eſſe hanc normam, ut omnes paſtores, ſeniores, & diaconi ſuæ vocationis teſtimonium dent.* CALVINUS vero

(*a*) Ut refert Bossuet variat. T. II. L. II. p. 82.

vero noſtram vocationem, ordinationemque utpote laicus, non potuit non cum ſuis rejicere: unde epiſtola quadam ſe jactat: *Omnino extraordinarium fuiſſe hoc munus, quod Dominus nobis injunxit.* Idem ſanctos DEI prophetas vocat, qui ipſi facem ad hanc reformationem prætulerint, de vera Eccl. reformandi ratione tractans.

II. Nos ab ipſis conſtanter requirimus, ut miſſionem, & auctoritatem aliquo aperto documento oſtendant, ſicuti ii, qui quovis tempore extraordinariam miſſionem acceperunt, miraculis, & prophetiis, aut aliis evidentibus ſignis hanc ſuam vocationem demonſtratum iverunt. Quod ipſe LUTHERUS a MINZERO exigebat: *Si dixerit*, inquit (*a*), *a DEO ſe vocatum, ut doceat, probet hoc miraculis: his enim DEUS declarat, ſi quid extra ordinem fieri velit.* Nec ipſe Chriſtus aliter fidem ſibi voluit adhiberi etiam a Judæis: *Si*, inquit Jo. V. 30. *opera non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: atque dum cavere nos vult a falſis prophetis, jam in veteri teſtamento ſignificavit DEUS, quomodo & quo indicio a nobis caveantur *Deut. XVIII.* 20. *Quod ſi tacita cogitatione reſponderis: quomodo poſſum intelligere verbum,*

Sed fruſtra ſine evidentibus ſignis.

a.

(*b*) SLEID. L. V. edit. an. 1559. f. 69.

verbum, quod Dominus non eſt locutus? hoc habebis ſignum, quod in nomine Domini propheta ille prædixerit, & non evenerit. Quoties non LUTHERUS, & ejus diſcipuli, paſſimque reformatores ruinam Papatus ſunt vaticinati? ſed hactenus ſemper mendaces ſunt reperti, ergo ſunt falſi prophetæ. Nec aliud aliquod ſignum ediderunt.

Vane proſperum reformationis ſucceſſum hic jactant.

III. Quod vero aliqui eorum proſperum ſucceſſum reformationis pro tali ſigno ſuæ miſſionis venditarunt, vanum eſt: ſi enim hoc idoneum ad confirmandam & probandam doctrinam indicium foret, complures plane hæreſes, præſertim Ariana imo Mahumedaniſmus vinceret. Et vero notum eſt, quid homines impulerit ad ſequenda hæc caſtra, libertas nimirum non ſolum opinandi, ſed etiam agendi, ac licentia contra præcepta eccleſiæ, vota, religionem, quæ eccleſiaſticos potiſſimum traxerunt; principes vero uſurpatio bonorum eccleſiaſticorum, æmulatio eminentis eccleſiaſticæ poteſtatis, ac hierarchiæ ſplendor.

Perenne miniſterium a Chriſto inſtitutum, ut adeo

IV. Nos, quoniam promiſſiones habemus, DEUM cum miniſterio ſuo futurum uſque ad conſummationem ſæculi, contra illos, qui poteſtatem ligandi, ſolvendique, ac paſcendi oves Chriſti acce-

cepe-

ceperunt, præſertim petram illam, ſuper quam fundata eſt eccleſia, portas inferi non prævalituras certi ſumus. A Chriſto agnoſcimus ordinarium miniſterium inſtitutum, quod ab apoſtolis cœpit, & per ordinariam ſucceſſionem paſtorum durabit uſque ad conſummationem ſæculi, id quod omnem excludit ruinam, & interruptionem: haud minus ac in veteri teſtamento promiſſiones de ſacerdotio per carnis propagationem conſervando, infringi non potuerunt: ac fruſtra illi fuiſſent, qui ſe contra ſacerdotes Aaronicos erexiſſent, revicti enim per divinas has promiſſiones fuiſſent. Ita fruſtra ſunt, qui ſe contra promiſſiones miniſterii novi teſtamenti erigunt, cui DEUS ſe adfuturum promiſit uſque ad conſummationem ſæculi: ac inſuper etiam doctores, & paſtores ſe daturum pollicitus eſt, donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis Filii DEI: præterea præſidium obtulit contra portas inferi. Divinam projiciunt providentiam, qui recuſare audent hoc a Chriſto tantis promiſſionibus munitum miniſterium ordinarium.

Fruſtra ſit extraordinarium.

V. Igitur qui contra hoc ordinarium miniſterium ſe efferunt probant ſe eſſe miniſtros inferorum ad conquaſſandum eccleſiæ ædificium: cum dictitando ſe

Neque ipſi expleverunt officium reſtituendæ

miſſos

Romana ſalus obtineri poſſet, tergiverſatus eſt, dictitans, quod jam communio purior eſſet reformata, cui nos adjungere poſſimus. Addidit multa jam in fidei dogmata abiiſſe in eccleſia Romana, quæ talia reformationis initio non fuerint. Sed mera hæc eſt deluſio: ſi enim fidei articuli non fuerunt, quæ in nobis damnavit LUTHERUS & CALVINUS, quis horum impudentiam ferret, quod in fide Romanæ eccleſiæ damnarint, quæ de hujus eccleſiæ fide non fuerant? Schiſma ergo factum ſine juſta cauſa; quod autem ſubito poſt exortam pſeudo-reformationem eccleſia vera ex univerſo perierit orbe, & in ſolis jam conſiſtat Lutheranis, aut Calvi-
a. nianis partibus (*a*), quid eſt niſi Donatiſtarum delirium contra eccleſiæ ſtabilitatem a prophetis prænunciatam, & a Chriſto promiſſam?

JURII opinio de fundamentalib' articulis explicatur.

II. Abſurda iſthæc advertit JURIUS: quare non tantum aſſertum de articulis fundamentalibus ſuſcepit, ſed etiam articulos eos ad pauciſſimum redegit numerum. In his qui conveniant, etiamnum ad eccleſiam pertinere, atque adeo ſalutis æternæ ſpem habere pronunciavit, id eſt, qui DEUM, Chriſtum, & Trini-

(*a*) Vide S. AUG. de unitate eccl. T. IX. fol. 360. &c.

Trinitatem confitentur; de eccleſiæ autem defectione ſciſcit, eam poſt tertium ſæculum corrumpi cœpiſſe: in quinto, ſexto, & ſeptimo adoptaſſe divinitates ſecundi ordinis, adoraſſe reliquias, feciſſe imagines, ſe proſtraſſe coram eis, etiam in templis, & tunc factam eſſe ægram, ulceroſam, deformem, & nihilominus adhuc perſtitiſſe viventem: tum diviſam eſſe eccleſiam in duas partes, Græcam & Latinam: poſtquam Græca ante hoc magnum ſchiſma jam ſubdiviſa fuiſſet in Neſtorianos, Eutichianos & Melchitos &c. Latina in Papiſtas, Waldenſes, Huſſitas, Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas ſucceſſu temporum ſit diſciſſa: errare tamen qui putent, has ſectas prorſus rupiſſe cum JESU Chriſto, dum rupere cum aliis eccleſiis.

III. Nulla unquam re magis incitas, & anguſtias, ad quas ſunt redacti in articulo de eccleſia, prodiderunt, quam hoc a Jurio excogitato effugio de articulis fundamentalibus: quæ eſt opinio ignota omnibus retro ſæculis in eccleſia, illis etiam temporibus, quæ tanquam pura agnoſcuntur ab adverſariis. Quamobrem eo ipſo, quia hanc ſententiam nunquam eccleſia ſuſcepit, cadunt cauſa ejuſdem defenſores, aſſertoreſque, ma- Confutatur.

xime poſtquam in lucem protracta, adverſarios ex omnibus eccleſiis nacta eſt: cum non ſolum catholici, ſed ex adverſis nobis eccleſiis exiſtant, ipſa etiam reformata, cui addictus eſt Jurius, qui hanc noviter excogitatam opinionem rejiciant, ac damnent. Quomodo ergo illi in eccleſia erunt, qui non admittunt hoc de articulis fundamentalibus ſyſtema ? Aberrabunt enim hi tales in articulo fundamentali. Atqui, & Catholici, & Proteſtantes fere omnes, & Reformati plurimi huic non adſtipulantur ſyſtemati, conſequenter aberrant in articulo fundamentali, adeoque ad magnum illum confuſum eccleſiæ cœtum non pertinent, eſtque omnino exiguus, adeoque expers illius auctoritatis, quam concedit Jurius maximis tantum cœtibus.

Et oſtenditur ſecundum ſcripturam, & antiquitatem non ſolum negationem articulorum fundamentalium ab

IV. Edicat Jurius, utrum illi in fundamentalibus aberrent, de quibus ad Timotheum ſanctus Paulus tanquam a fide diſcedentibus ſcribit in hunc modum : *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentes ſuam conſcientiam, prohibentes nubere, abſtinere a cibis, quos DEUS creavit ad per-*

cipiendum cum gratiarum actione fidelibus, eccleſia *& iis, qui cognoverunt veritatem* (*a*): Si- alienare. ve hæc de nobis catholicis, quod cœlibatum colamus, & ſuis temporibus a quibusdam cibis abſtineamus, interpretentur, quod certe injuria faciunt, & contra omnium Patrum mentem; ſive aliorſum accipiant Juriiſtæ, doctrinam de articulis fundamentalibus, penitus ſubruunt hæc apoſtoli tam gravia anathemata in eos, qui nubere prohibent, & abſtinere a cibis. Deinde ex primis illis ſæculis, quæ tanquam pura agnoſcit JURIUS, quid NOVATIANUS contra articulos fundamentales docuit, & tamen hæreticus ab omnibus eſt habitus? Audiat CYPRIANUM, quomodo & NOVATIANUM, & ſe confundat (*b*): *Novatianus*, inquit, *nec debet, nec poteſt excipi,* b. *quo minus ipſe quoque extra eccleſiam conſiſtens, & contra pacem ac dilectionem Chriſti faciens inter adverſarios, & antichriſtos computetur, neque enim Dominus noſter JESUS Chriſtus, cum in evangelio ſuo teſtaretur adverſarios ſuos eſſe eos, qui ſecum non eſſent, aliquam ſpeciem hæreſeos deſignavit, ſed omnes omnino hæreticos, qui ſecum* (*c*) *non eſſent, & ſecum non colli-* c. *gentes, gregem ſuum ſpargerent, adverſa-*

 rios

(*a*) 1. Tim. IV. 1.
(*b*) L. I. Ep. 16. *f.* 19. (*c*) Matth. 12.

cant ſibi eccleſiam dediſſe id, quod minime voluit dare. Si prius dicant, uti modo ſe jurisdictionem accepiſſe, quomodo eccleſiæ largiendi uſus eſt: non poſſunt exercere hanc poteſtatem ultra id, quod tributum eſt: atqui ipſi ſibi in univerſum orbem uſurparunt jurisdictionem, omnemque eccleſiam ſuo ſubjecerunt judicio: undique prædicandi munus exercuerunt invita quam maxime eccleſia, nec ad hoc auctoritatem concedente: cum tamen LUTHERUS dicat: Ne-
a. minem invito paſtore (*a*), & absque vocatione legitima prædicare debere, imo ne in parochiis quidem hæreticorum, vel Papiſtarum etiam, evangelium ſine auctoritate ejus, qui parochiæ præeſt, prædicare debere, ejusmodique curſores ſine teſtimonio DEI, vel hominum admittendos non eſſe, etiamſi angeli eſſent, & purum tantum evangelium annunciare vellent.

Ergo reformatores ea contra jus uſi.

VI. Qui igitur alienas non ſolum parochias, verum etiam diœceſes, imo integram eccleſiam involare auſus eſt LUTHERUS, in iis novum pſeudo-evangelium ſpargere, omnesque eccleſias allatrare? Certe primos reformatores habuiſſe miſſionem ordinariam a Romana eccleſia prædicandi & regendi eccleſias

per

(a) In Pſ. 82. de Mag. T. III.

per univerſum orbem nec ipſi adſtruunt Proteſtantes. Qua igitur auctoritate verbum DEI prædicaverunt, eccleſiaſque erexerunt, & direxerunt in iis locis, ubi paſtores ordinarie miſſi aderant, quique illorum conatibus obſiſtebant? Nec enim videmus, quo prætextu tanta poteſtatis amplitudo ipſis tribuatur, quæ apoſtolorum jurisdictioni non cedat: præſertim cum ipſi ex ſecundo ordine ſolum fuerint, quod licet parum apud Calviniſtas extra Angliam, & Germanos Lutheranos fiat, qui hanc diſtinctionem non admittunt, tamen locum habet apud Anglos, Danos, Suecos.

Nemo jurisdictionem proprio instinctu in univerſam eccleſiam ſibi arrogare poteſt.

VII. Certe ſi ita ſe res haberet in jurisdictione eccleſiaſtica, ut quivis jus acciperet ejusmodi, quod nulli loco certisque finibus adſtrictum ſit & definitum, omnes eadem poteſtate gaudebunt, qua apoſtoli: cum tamen ſolum epiſcoporum collegium univerſim ea polleat, quibus dictum, *ite in univerſum orbem, & prædicate evangelium.* Nihil jam valebit eccleſiarum diſtributio, apoſtolorum ævo atque ab apoſtolis inſtituta. *Hujus rei gratia*, inquit S. PAULUS ad TITUM (*a*), *reliqui te Cretæ, ut ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* a.

(*a*) Tit. I. 5.

a. *Qui*, ut verbis utar S. CYPRIANI (*a*), *ſe ultro apud temerarios advenas ſine divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine epiſcopatum dante, epiſcopi ſibi nomen aſſumunt: quos deſignat in pſalmis Spiritus ſanctus, ſedentes in peſtilentiæ cathedra, peſtes & lues fidei, ſerpentis ore fallentes, & corrumpendæ veritatis artifices venena letbalia linguis peſtiferis evomentes: quorum ſermo ut cancer ſerpit: quorum tactus pectoribus & cordibus ſingulorum mortale virus infundit! contra ejuſmodi clamat Dominus, ab bis refrenat, & revocat errantem plebem ſuam dicens: nolite audire ſermones pſeudo-propbetarum, quoniam viſiones cordis eorum fruſtrantur eos. Loquuntur, ſed non ab ore Domini. Dicunt eis, qui abjiciunt verbum DEI: pax erit vobis, & omnibus ambulantibus in voluntatibus ſuis: omnis qui ambulat in errore cordis ſui, non venient ſuper eum mala. Non locutus ſum ad eos, & ipſi propbetaverunt.*

Injuria etiam ordinationem eccleſiæ Romanæ allegant.

VIII. At quomodo miſſionem ſuam ad eccleſiam Romanam referre audeant, cum plerique rejiciant noſtras ordinationes? Ut vel hinc patet, quod iterato ordinare paſſim conſueverint, qui ex noſtris ſacerdotibus, & monachis ad eos

(a) De unit. eccl. f. 141. n. 38.

eos apoſtatarunt: atque etiam per ſynodos ſuas renunciare cogant cuicunque poteſtati in eccleſia Romana acceptæ. Et cum in ſententia ac principiis eorum miſſio ac ordinatio ſine charactere, & permanente ſacramentali poteſtate perficiatur, quomodo potuerunt dicere auctoritatem illam a nobis accepiſſe? quam juxta ipſos aut non habuimus, aut ſi habuimus, illis non dedimus, aut ſi aliquando dedimus, iterum abſtulimus diſcedentibus a nobis, aut ipſo facto ea ſunt privati? Idque ſtando tam noſtris, quam ſuis principiis: in noſtris enim principiis, qui hæreſeos rei aguntur ſacerdotes, licet characterem ſacramentalem retineant, jus tamen ac poteſtatem exercendi amittunt: quod multo magis in propriis ſuis principiis contingit. Aut ergo nos illis ſumus hæretici, & nos jus & poteſtatem illam jam amiſimus, aut illi ſunt, & hinc amiſerunt. Jam ſtatuamus cum FF. Wallenburgicis quod neceſſario ſtatuendum: *Vel eccleſia Romana tempore primorum reformatorum fuit hæretica, vel primi reformatores fuerunt hæretici: ſi eccleſia Romana tunc fuit hæretica, non fuit vera eccleſia, nec membrum veræ eccleſiæ, nec habuit poteſtatem & auctoritatem regendi eccleſiam: conſequenter nec eam poteſtatem potuit in primos refor-*

mato-

matores transferre; quomodo enim ſunt legitimi miniſtri, cum ab hæreticis fuerint ordinati, præſertim in Calviniſticis principiis, qui vel baptiſmum niſi per legitimum miniſtrum collatum ratum eſſe volunt, uti conſtat Diſc. Gall. c. 14, a. 1. conc. Middel. Reſp. 74. Sin autem primi reformatores fuerint hæretici, eo ipſo exciderunt omni auctoritate & poteſtate regendi eccleſias, & conſtituendi legitimos miniſtros eccleſiæ, quantumvis in eccleſia catholica fuiſſent ordinati epiſcopi. Cum tamen ſolum fuerint presbyteri, imo laici, multi cum ipſo CALVINO præſertim eccleſiæ reformatæ paſtores. (*a*).

CAP. XVI.

(*a*) „Vous trouverez (ait BOSSUET in *Epiſt. paſtorali de Commun. paſch.*) que les premiers „ qui ont dreſsé en France les egliſes : que „ vous appelliez reformés, etoient des laiques etablis paſteurs par des laiques & par „ conſequent toujours laiques, qui ont osé „ toute fois prendre la loi de DIEU en leur „ bouche & adminiſtrer ſans pouvoir les ſaints „ Sacremens . . . Ceux qui ont fondé les „ autres egliſes n'ont rien de plus relévés; „ tous laiques crées paſteurs par des laiques, „ contre tous les exemples de l'antiquité; „ contre la pratique univerſelle de l'egliſe „ chretienne, ou jamais on n'a vû de paſteur, qui ne fut ordonné par d'autres paſteurs ; contre l'auctorité de l'ecriture, ou „ le ſaint Eſprit ne nous preſcrit ni ne nous „ montre que ce moien de perpetuer le miniſtere eccleſiaſtique. Voila, mes freres,

CAPUT XVI.

Non poſſunt omnino oſtendere, ubi eccleſia fuerit antequam ipſi ſeceſſionem fecerunt.

I.

Parum ſe ſtringi putant Proteſtantes, quando juxta antiquam a TERTULLIANO, imo IRENÆO, & aliis quibusvis Patribus uſurpatam præſcriptionem, ut (a) *evolvant ordinem epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut*

Jure requirimus, ubi fuerit eorum eccleſia ante LUTHERUM.

l'origine du miniſtere ſous lequel vous etiez. Que ſi un LUTHER, un BUCER, un ZWINGLE, un PIERRE *Martyr*, ſi d'autres pretres, & d'autres religieux legitimement ordonnés dans l'egliſe catholique ſe ſont faits miniſtres des troupeaux errans, ſans parler des autres raiſons qui condamnent leur temerité, il a fallu pour exercer ce nouveau miniſtere apoſtaſier de la foi de ceux, qui les avoient conſacrés. On les avoit fait pretres, en leur diſant qu'on leur donnoit le pouvoir de transformer par leur ſainte benediction le pain & le vin, au corps & au ſang de JESUS - CHRIST . . . ils avoient été conſacrés, dans cette foi : mais il a fallu y renoncer pour exercer ce nouveau miniſtere. Ainſi ils portent ſur leur front la marque d'innovation. »

(a) TERTULL. de Præſcript. c. 32.

ut primus ille epiſcopus aliquem ab apoſtolis, vel apoſtolicis viris, qui tamen cum apoſtolis perſeveraverint, habuerint auctorem, cum fere nullos agnoſcant epiſcopos. Attamen cum eodem TERTULLIANO recte adſtringuntur, ut *edant origines eccleſiarum ſuarum*: ut oſtendant ubi fuerit eorum eccleſia, inde ab apoſtolicis temporibus, uſquedum ipſi ſeſe a Romana eccleſia ſegregarunt, antequam ſæculo decimo ſexto primus LUTHERUS Romanam deſeruit? Non poſſunt ægre ferre, hanc ipſis a nobis fieri quæſtionem, utpote quam ipſi etiam in colloquio Franckenthalenſi an. 1571. cum Anabaptiſtis habito fecerunt, ita his compellatis: *Recogitate, ſiquidem vos eſſetis eccleſia DEI, DEUS neceſſario fuiſſet ſine populo & eccleſia, uſque ad annum* 1522. *quo Nicolaus Storck, & poſtea Thomas Münzer fuerunt doctrinæ veſtræ facientes initium.* Eadem fuere LUTHERI initia, ad idem itaque adſtringitur reſponſum. Nec juvat dicere, eccleſiam Chriſti fuiſſe in prophetarum & apoſtolorum ſcriptis, ut olim HABERKORNIUS hac quæſtione petitus, reſpondit: hoc enim jam nihil ad rem facit. Non hic quæritur de doctrina, ſed de eccleſia apoſtolica, quam Chriſtus fundavit in æternum, in cujus unitate, & perpetua duratione

ratione etiam vera doctrina conſervatur, ita ut conſequentium ſeſe temporum eadem eccleſia in eadem unitate perſeverans, iisdem inſiſtens veſtigiis, ſemper ſervaverit depoſitum fidei, nec unquam repudiaverit anterioris eccleſiæ doctrinam.

II. Dent itaque gloriam DEO, & edicant, an, quo tempore exorta eſt nova reformatio, extiterit, non jam dicam integra aliqua eccleſia, ſed vel unicus ſolus aliquis homo, qui ſe jungendo LUTHERO, ZWINGLIO, aut CALVINO dicere potuerit, ſe antea in omnibus cum ipſorum nova conſpiraſſe doctrina? Nec dicant, niſi ante LUTHERUM plurimi fuiſſent, qui doctrinæ, quam LUTHERUS poſtea publice profeſſus eſt, ſubſcripſiſſent, fieri non potuiſſe, ut mox undique ei applauderetur. Paulo enim ante cauſas proſperi adeo ſucceſſus evangelii prodidimus, libertatem, licentiam, & libidinem, quas, ſatis declarant, ſolas fuiſſe, qui primi LUTHERO ſe junxerunt monachi apoſtatæ, ſacerdotes fornicarii, & principes avari, laici libertini. Nec etiam dicere juvat, plerumque ſe eccleſiarum ſedes non mutaſſe, LUTHERUM Wittembergæ, ZWINGLIUM Tiguri, CALVINUM Genevæ perſeveraſſe: doctrinæ enim innovatio apoſtolicum ec-

Figitur ſtatus quæſtionis, & præcluduntur vana effugia.

cle-

cleſiæ vigorem deſtruit, & ſciſſio ab ecclesiæ in orbem diſperſæ communione catholicæ unitatis vinculum rumpit. Alias Donatiſtæ forent excuſandi, qui cum paſtoribus, & epiſcopis ſuis deficientes in grege ſuo parochiano permanſerunt, neque ab externis templis, & propriis locis receſſerunt. Sed præciſe quæritur, an tempore inchoatæ ſeceſſionis manſerint in aliqua eccleſia, aut utrum ſe alicui junxerint, quæ eam præſetulerint faciem, qualiter adumbrata nobis in divinis ſcripturis, & deſcripta eſt, inde ab apoſtolis uſque ad conſummationem ſæculi perſeveratura? Hanc ut deſignent rogamus.

Fruſtra provocant ad occultos fideles in communitate Romana.

III. Fruſtra latebras quærere volunt apud illos fideles, qui in ipſa communione Romana occulte delituerint. Si enim latuerunt, quomodo LUTHERUM, CALVINUM non latuerunt, ut tuta potuerint conſcientia antiquam eccleſiam deſerere unacum fide illius? Et quare hos fideles ſuos non propalarunt aliquando, qui tantum pondus ſuæ cauſæ addere potuiſſent, & ab illis ſua ſaltem ſententia ſchiſmatis, novationis, variationisque amovere crimen? Cum autem oſtendere non poſſint, hos latentes, quid de illis affirmare habent, quos neſciunt? Certe illi ipſi ſe ſaltem propalaſſent,

laſſent, cum novam repererunt reformationem, & ſe publice pro ea declararunt, laudaſſent illi DEUM, & exultaſſent, quod viderint tempus viſitationis ſuæ, ſicut qui tempore Chriſti dudum exſpectatum Meſſiam repererunt, veluti illa Samaritana, gaviſi fuiſſent, quod repererint tandem, qui omnia ipſis palam edixerint, atque eandem fidem teneant, quam dudum in pectoribus ſuis conceptam habuerint: deprædicaſſent, licere ſibi palam ſua proferre ſenſa, ac profiteri fidem. Porro occulti iſti communicaſſe ne dicuntur publicis catholicorum ritibus, ſacramentis, ſacrificio, cultui Sanctorum, reliquiarum, & imaginum, an non? Si non communicarunt, aperte unitatem ruperunt, ac ſeſe manifeſte eccleſiæ oppoſuerunt, non participando præſertim ſacrificio, ac communioni Euchariſtiæ: quodſi communicarunt ſimulando adorationem, venerationem, & alia ejusmodi, quæ in animo occulte damnabant, peſſimi fuerunt hypocritæ, & proprio ſuo judicio idololatræ, artolatræ, & quid non? Nec juvat in corde hæc deteſtari, cum jubeamur publice Chriſtum confiteri. Quid quod oporteat in orbe eſſe ac ſubſiſtere cœtum aliquem, qui ſit ea vera eccleſia, in qua fideles homines habeant ſalutis

pabulum in doctrina ſana, & ſacramentis: ſecus enim male DEUS fidelibus ſuis provideret: ſatius fuiſſet ſine miniſterio, ſine ſacramentis eccleſiam reliquiſſe, quam tot ſæculis eos non ſolum his omnibus deſtituiſſe, verum etiam neceſſariæ expoſuiſſe profanationi, ac irreligioſitati.

Delituiſſe eccleſiam per tot ſæcula incaſſum dicunt.

IV. Fruſtra etiam ita delituiſſe eccleſiam aſſerunt per aliquot ſæcula, atque ad inſtar ſeptem illorum millium, quos DEUS veros ſui cultores in corrupta eccleſia Iſraelitica reliquos ſe habere Eliæ prophetæ revelaverat. Fruſtra in eccleſia Romana ejuſmodi veri DEI cultores latuiſſe dicuntur: cum hoc eccleſiæ chriſtianæ naturæ repugnet, quæ ſimilis eſſe ſemper debet civitati in monte poſitæ, quidquid de ſynagoga ſit, quæ nec ipſa Eliæ tempore obſcurata fuit, ut jam ſexcenties a noſtris eſt oſtenſum, ſed in præcipua ſui parte, ubi templum erat, vel maxime floruit. Multo autem minus eccleſia chriſtiana ita abſcondi, aut ſub modio poni poteſt, qnæ, quo tempore etiam maxime depreſſa ſub perſecutionibus gemuit, ſemper tamen ſe magis extendit ac patefecit, non erubeſcentibus veris illius ſectatoribus etiam

cum

cum vitæ diſcrimine profiteri, ac prædicare ſuper tecta. Quod his itidem facere incubuiſſet, ſi verorum fidelium nomen tueri voluiſſent, & præceptis Chriſti ſatisfacere; qui evangelium ſuum non abſcondendum, ſed in univerſo mundo prædicandum inſtituit, idque uſque ad conſummationem ſæculi, donec omnes occurramus in unitatem fidei. Non igitur ſufficit allegaſſe vage fideles occultos; demonſtranda nobis eſt illa civitas atque ſocietas, ubi publica ſecundum inſtitutum Chriſti per legitimum miniſterium, ab eo in mundum univerſum miſſum, fieret fidei ſalutaris profeſſio, & neceſſaria ſacramentorum diſtributio; verus enim DEI cultus publicus ſit oportet, ac conſpicua vera DEI eccleſia, cujus lux luceat omnibus, qui in hujus univerſi domo ſunt.

Nulla fuit eccleſia ſpectabilis, cui ſe junxerint, aut in qua prodierint.

V. Talem nobis præter eam, quam deſeruerunt, oſtendant ſe tempore reformationis aut incoluiſſe, aut acceſſiſſe: cum in toto occidente viguerit communio eccleſiæ Romanæ. In oriente autem ſit eccleſia Græca ſchiſmatica, ac in plures hæreſes diſſecta, cui ſe fruſtraneo labore, ut ſupra vidimus, jungere quidem ſtuduerunt, ſane nullo a-

lio ex fine, quam quod ſe extorres ab omni eccleſia anteriore cernerent, nec apud nos, cum tot erroribus, & innovationibus, locum invenirent. Etenim ob potiorem in fide ac dogmatibus conſenſionem cum Græcis, quam nobiſcum hoc facere minime potuerunt, cum in controverſis plerisque inter nos dogmatibus Græci nobiſcum conſpirent: Proteſtantes in principali dogmate de proceſſione Spiritus ſancti a Patre Filioque nobiſcum conveniant; haud minus quam in reliquis dogmatibus, quibus orientalis eccleſia inter ſeipſam ſcinditur ob reliquias Arianorum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Monothelitarum, & harum ſectarum in diverſa etiam adhuc abeuntium ramenta Severianorum, Jacobitarum, Melchitarum, aliorum.

Niſi eccleſiæ, a quibus patrocinium non inveniunt.

VI. Itaque potiori adhuc jure apud nos eccleſiam ſuam quærunt, & utinam ſincero corde id facerent, atque vel poſtliminio redirent. Illi enim etiam, qui apud nos effugium quærunt, ſolum ad redimendam vexam faciunt: dum nempe urgentur oſtendere eccleſiam ante reformationem, cum chimæra inviſibilis eccleſiæ, occultorumque fidelium fruſtra obtruderetur, unio autem cum

eccle-

eccleſia Græca non ſuccederet, nihilominus fatendum erat eccleſiam omni tempore ſubſiſtere debere ſub viſibili ſchemate, ac ſocietate fidelis populi ſub paſtoribus. Ejusmodi autem aliqua in orbe cum fruſtra quæreretur præter Romanam communionem, ad eam tandem iterum reveniendum fuit, non pacis cauſa, quam facile divinabant iniquis conditionibus non eſſe dandam, ſed quia aliter evadere non poterant. Igitur admittendum fuit, eccleſiam Romanam non penitus eccleſiæ faciem exuiſſe, nec juribus ceſſiſſe; ne alias tempus foret concedendum, quo non fuiſſet corpus aliquod eccleſiæ univerſalis; largiendum ergo eccleſiam Romanam hujus corporis ſaltem partem confeciſſe. Ita ſciſcunt, qui eccleſiam univerſalem non uni alicui communitati tribuunt, de quibus ſuperius non ſemel dicendi locus fuit, Jurius cumprimis ac Claudius, qui ſummis difficultatibus adducti, concedebant tandem in eccleſia Romana utut ægra & corrupta conſervatam nihilominus ſalutis viam, quamvis illam ut antichriſtianam & idololatricam criminarentur. Non fuerunt tamen primi iſti auctores hujus conceſſionis largæ adeo, alii ante illos idem confiteri ſunt coacti.

 acti.

Albigenſes, quidquid alii in contrarium dicant, imo inter Waldenſes ipſos non convenit: hi cum Wicleffitis non conſpirant, uti nec iſti in omnibus cum Huſſitis: nulli vero easdem opiniones geſſerunt omnes, quas tenent Lutherani, aut Calviniſtæ. Conveniunt ſæpe nobiſcum illæ ſectæ in his, quos errores capitales in nobis deteſtantur. In illis etiam, quibus a nobis diſſident, quædam ſentiunt, quæ ſibi imputari minime vellent adverſarii, tam ſunt horrenda ac blaſphema. Nec refert quod in aliquibus conveniant; neque enim nos in omnibus ab illis diſtamus, nec Calviniani a Lutheranis, aut ambæ hæ ſectæ ab Anabaptiſtis, & tamen non ſub eadem cenſemur communione & eccleſia: diſſenſus enim quilibet capitalis ſicut unitatem fidei, ita communionem eccleſiæ, & conteſſerationem rumpit fraternitatis. Hæc omnia hic flagitamus, dum ab adverſariis, ubi fuerit eccleſia ante reformationem, quærimus, vera enim, non qualiscunque inquiritur, cum qua liceat unionis fœdus jungere, verbo dicam, quæ ſit eadem profeſſione veritatis ejusdem, participatione ſacramentorum eorundem, ac miniſterii ejusdem: nec id ab aliquo tempore, aut ſæcu-

antequam ipſi hos errores proderent, potuerint quodammodo excuſari. De pleriſque enim jam accuſatores Huſſitæ, Wicleffitæ, Waldenſes, Albigenſes, Berengarii præiverunt. Aut igitur nobis hactenus eandem conſervatæ eccleſiæ gloriam dare debent, aut majoribus noſtris reformationem antecedentibus demere: id eſt largiri dudum eccleſia vera & ſalvifica eſſe deſtitutum mundum, contra apertiſſimas divinas promiſſiones. E ſymbolo tenentur delere articulum de eccleſia; cum tamen hanc nobis dent laudem, quod vel ſymbolum, ejusque fidem, nec non decalogum integrum conſervaverimus. Quamvis hoc nobis, & veræ eccleſiæ minime ſufficiat, cui promiſſus eſt Spiritus ſanctus æternum adfuturus, qui ipſam doceat omnem veritatem. Ipſique, quos hic impugnamus, adverſarii ſtatuunt & admittunt eccleſiam confitentem, atque in legitimo ſubſiſtentem miniſterio. Quod ſi ita eſt, habebit hoc miniſterium aſſiſtentem Spiritum ſanctum, & docentem omnem veritatem, ſicut promiſerat Chriſtus. Et tamen hoc miniſterium ante reformationem juxta adverſarios multos craſſos docuit errores, qui forte ignorantibus tantum fuerint

ſterii alicujus publicam fidei profeſſionem nobis afferre ſub ſplendida eccleſiæ forma, quæ has doctrinas propugnaret adverſus contrarias, eaque omnia tueretur dogmata, quæ adverſariis noſtris anſam dederunt reformandi, & redarguendi eccleſiam. Nihil hic proficiunt ſcopæ diſſolutæ, nec opiniones ſparſæ in longis temporum ac locorum intervallis, cum adverſarii ne unicum quidem virum poſſint exhibere quovis in tempore, qui omnia illa tenuerit, & defenderit contra graſſantem Paparum, quæ carpuntur; tantum abeſt, ut continuam ejusmodi doctrinæ in eccleſia integra propagationem, qua oſtendatur non interruptus ſuæ eccleſiæ ſtatus, poſſint oſtendere, id eſt monſtrare, ubi eccleſia ſua ante LUTHERUM anteſignanum reformationis prætenſæ fuerit. Quod dum nequeunt, declarant ſe novam excitaſſe ſectam contra eccleſiam, a Chriſto uſque ad conſummationem ſæculi conſervandam, ut ſancte ſpoponderat & prædixerat.

Hæc eſt illa una, ſancta, catholica, & apoſtolica eccleſia, quam fides a nobis credendam, ſectandamque flagitat. Ad hanc, qui deſeruerunt eam, ut red-

eant

Omnibus his apertum rupturæ ac in-
novationis tempus oſtenditur, quo a do-
ctrina recepta abſcedentes damnationis
etiam ſententiam acceperunt: unde ni-
hil aliud lucrantur, quam quod ipſi jam
anterioribus temporibus cum multis ſuis
dogmatibus ſint damnati aperte, atque
doctrinas excitarint olim jam reprobatas,
quin tamen, quod intendunt, conſequan-
tur, oſtenſionem nimirum eccleſiæ ſuæ
in ſuperioribus, & inceptam a ſe præ-
tenſam reformationem, antecedentibus
temporibus. Imprimis enim ſectarii,
ſectæque, ad quas provocant, aut eccle-
ſias, & conventus prorſus non effor-
marunt, aut certe non tales, qualem eſſe
decet veram eccleſiam Chriſti: iisque
characteribus ſunt deſtitutæ, quos ipſi
requirunt. Quod etſi non foret, fruſtra
tamen huc refugerent, cum eccleſiam
ſuam nullibi in his ſectis integram re-
periant. Tantum enim opus eſt, ut con-
ferantur harum ſectarum dogmata tum
inter ſe, tum cum Proteſtantium placi-
tis, ſatis ſe prodet utrinque magnus diſ-
ſenſus ac diſcrepantia. Et dum in hoc
uno conveniunt, ut ſe contra avitam
traditam doctrinam, & eccleſiam erexe-
rint, in cæteris nullatenus inter ſe co-
hærent. Waldenſes alia tenent quam

renter ſtudio confeſſionis fidei teneatur, & zelo domus DEI inflammari videri volunt, utinam tam fructuoſe cedat præſens monitio, quam ceſſit CYPRIANO: intolerabilis perculſi ac pœne proſtrati pectoris mœſtitia in gaudium inenarrabile ſolveretur. Amen.

INDEX

INDEX
;RUM MEMORABILIUM.

A.

rationis in conſti-
do cultu divino per-
ıs. 47. Omnem re-
em ſubvertit. 552.
ıs quid ſit? 328. Fa-
abſurdiſſimis ſcatet.
Contradictiones plu-
in illo deprehendun-
37.
ri *Severi* Imp. opinio
ıriſto. 298.
ıras ad quid ſe natum
ıutaverit? 49. Illius
. 288.
ınes quid de primo
ı principio ſenſerit. 49
us Imp. ſectæ Euty-
æ addictus evangelia
ıdari voluit. 141.
les ex viciſſitudinibus
ı creatarum Ens ali-
ſum̃um exiſtere agno-
4.
fundamentales fidei
ılis principiis catholi-
ınt eruendi. 614. Illis
unice adhærendum. 617.
Aruſpices ad quem finem in-
ſtituti? 291. Illorum vani-
tas. *ib.*
Auguſtana Confeſſio ab eccle-
ſia orientali ejusq; Patriar-
cha rejecta eſt. 583.
S. Auguſtinus de notis veræ
eccleſiæ ex inſtituto pluri-
ma ſcripſit. 446. Eccle-
ſiam im̃utabilem eſſe con-
tendit. 448. Quem veræ
eccleſiæ characterem con-
ſtituerit? 452. Ejus in re-
fellendis Paganis ſtudium.
297. Contra Donatiſtas
ſtrenue decertans. 446.
Perennem ſucceſſionem e-
piſcoporum in eccleſia Ro-
mana plurimũ urget. 541.
Athei cur noſtris temporibus
dentur? 2. Eorum ſumma
impietas. 4.

B.

Beatitudo vera non datur in
hoc mundo. 63.

Aaa

Bellarminus quindecim notas veræ eccleſiæ numerat. 479.
Bergii Conr. inventum conciliandi ſectas diſſidentes. 610.
Bezæ opinio circa temp⁹, quo eccleſia Romana a fide & doctrina apoſtolica defecerit. 691. Confutatur. 693.
Blaſtus ſæculo III. eccleſiam turbavit. 398.
Blondellus teſtimonium Joſephi de Chriſto in dubium vocat. 313.
Bodinus Naturaliſta. 276.
Bona hujus vitæ vera non ſunt. 250. Sive ſpectentur in ſe. 251. Sive in conſequentiis. 252.
Boſſuet eccleſiæ viſibilis contra Novatores aſſertor inſignis. 376.
Boylius Anglus cathedram ad demonſtrandam Dei exiſtentiam conſtitui curavit. 3.

C.

Calvinus Jo. quid de ſymbolo fidei ſenſerit. 467. Miſſionem ſuam extraordinariam jactat. 701. Sed inaniter. ib. Ejus ſchiſma a Græcis damnatum. 587. Illius crimina. 631.
Calviniſtarum ſyſtema diverſas ſectas conciliandi. 603. Minime ſubſiſtit. 607.
Carpocratiani veterum philoſophorum imagines coluerunt. 272.
Caroli V. & aliorum imperatorum opera ad conciliandos Proteſtantes cum Catholicis. 598. Irrita ſemper fuit. 599.
Carteſius de Naturaliſmo ſuſpectus. 273.
Catholicum nomen cui eccleſiæ congruat. 643. Novatoribus neutiquam competit. 644. ſeq.
Cato quid de aruſpicibus Rom. ſenſerit. 291.
Chemnitius veram doctrinam a vera eccleſia inſeparabilem eſſe fatetur. 480.
Chinenſis Regni fundatio Abrahami temporibus multo poſterior. 108.
Chinenſes, quid de primo rerum principio ſtatuerint. 274.
Chriſtus a quibusdam imperatoribus ethnicis magni habitus. 298. Divinam miſſionem ſuam miraculis evidenter demonſtravit. 311.
Chriſtianæ religionis præſtantia. 153. Illius ſuſceptio rectæ rationi maxime convenit. 154. Criteria pro veritate illius. 81. Myſteria,

in ea credenda
ur, neminem ab
eptione abſter-
. Illius fata. 216.
;iſſitudinibus re-
ırum Ens quod-
mum exiſtere a-
.
i calumnia, qua
a Novatoribus
diluitur. 77.
emlibet veræ fi-
um & judicem
Confutatur. 381.
ı ſuam ab eccle-
na deducere co-
5. Sed inepte.

Roman. Corin-
ıtilem epiſtolam
;89. Quæ illius
: occaſio. *ib.* Quà-
itas. 535. Uni-
cleſiaſticam mire
lat. 390.
an. impugnat li-
ris teſtaměti. 104.
fidei profeſſio-
ra eccleſia neceſ-
ſſe fatetur. 369.
et indiſcriminatim
eccleſiæ conſti-
. Illius criterium
ſcendos articulos
ntales fidei. 611.
abſurditatibus re-
613.
:s hujus vitæ ſum-
mi boni obtinendi gratia ultro contemnendæ. 258.
Conſtantinopolitano Patriarchæ confeſſio Auguſtana a Melanchtone offertur. 582. Ejus de illa judicium. 583.
Cultus divinus non ex arbitrio rationis. 47. Sed divina revelatione conſtituendus. 52. In quo maxime halucinati ſunt veteres philoſophi. 48. Veri cultus divini indicia. 74. In illius inveſtigatione magna circumſpectione opus eſt. *ibid.*
S. Cyprianus conſervandæ unionis eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus. 419. 486. Contra ſchiſma Novatianum ex inſtituto pugnavit. 420. Quantum eccleſiæ Romanæ detulerit. 537. Etiam pendente lite rebaptizationis. 557.
S. Cyrillus *Alexandr.* ſymbolum fidei explanat. 465.

D.

DEI exiſtentia ex idea illi⁹, quæ omnium mentibus innata eſt. 9. *ſeq.* Item ex rerum omnium ortu. 15. Viciſſitudinibus. 17. Et ſingulis orbis partibus demonſtratur. 26.
-- Providentia apparet, ex finibus mundi tam phyſici

32. Quam moralis. 33. Illi non præjudicant mala hujus vitæ. 55. Hinc Deus ab omnibus hominibus ſupremo cultu adorandus. 36. Semperque colebatur. 44.

Deiſtarum impietas. 31. *ſeq.* Dogmata potiora. 273. *ſeq.*

Deorum Romanorum tria genera. 291.

Diluvii hiſtoria a Moyſe relata plurimum confert ad ſtatuendam certam mundi epocham. 98. Ejus apud gentiles ſcriptores frequens occurrit mentio. 99. Hodiedum adhuc quædam illius indicia ſe produnt. 100.

Diſciplina arcani ſymbolum fidei litteris mandari prohibuit. 466.

de Dominis, *Marci Antonii*, Syncretiſtæ conſilium reſtituendæ concordiæ cum Catholicis. 602.

Donatiſtarum adverſus eccleſiam Romanam calumniæ. 429. & 431. Illius ſanctitatem præprimis impugnarunt. 621. A SS Patribus autem præſertim S. Auguſtino confutantur. 622. Communionem cum Rom. ſede omni modo ambiunt. 665.

E.

Eccleſia in SS. litteris varie nuncupata. 354. Nunquam eſt interitura. 355. Eſt cœtus externus & viſibilis. 357. Notæ illius ex ſcripturis deſumendæ. 362. Quomodo? 365. 371. Illius auctoritas optimum medium diſcernendi doctrinas veras a falſis. 384. *ſeq.* Demonſtrari poteſt ex ſac. litteris ſine circulo vitioſo. 363. Ejus antiquitas contra omnes eccleſias Novatorum præſcribit. 416. In omnibus certiſſimam meretur fidem. 474. Novatorum hac in re cavillationes. 477. Catholica ſola poteſt eſſe vera. 481. Quidquid obmurmurent adverſarii. 510. Illius quatuor notæ characteriſticæ a SS. Patribus ex ſacra Scriptura contra hæreticos luculenter aſſertæ. 484. Ab invicem ſunt inſeparabiles. 654. *ſeq.* A quovis facile deprehendi poſſunt. 505.

-- Antiquitas & diffuſio illius in omnes mundi plagas eam veram eſſe arguit. 523.

-- Sanctitas ab objectionibus hæreticorum vindicatur. 518. In quo illa conſiſtat. 519. In ſola eccleſia Romana invenitur. 530. Hæc ſemper ſanctos ſuos habuit. 635. Nec hodie illis deſtituitur. 636. Non requiri-

quiritur ut omnia illius membra ſancta ſint. 621. Quæ ſit catholica dicenda. 532. Romana ſemper fuit catholica. 642. In ea ſolum modo æterna ſalus obtineri poteſt. 733. A doctrina apoſtolica nunquam defecit. 672. Quamquam multas fidei definitiones abhinc ſtatuerit. 675. Nec unquam ab illa deficere poteſt. 695. Quo ex capite Novatores maxime urgentur. 677. Eam a fide defeciſſe demonſtrare pro viribus conantur. 686. Sed nihil proficiunt. 687. Debet eſſe viſibilis. 357. 719. Inviſibilis a Novatoribus excogitata refellitur. 720. Unitas contra ſubortas hæreſes firmiſſimum fuit præſidium. 421. Quodnam hujus unitatis centrum? 423. Summe commendatur a Chriſto. 546. Et apoſtolis. 549.

Eliſabetha Anglorum regina quondam eccleſiæ Anglicanæ caput. 512.

Epicuri deteſtanda impietas. 30. Dogmata illius bonos mores peſſumdant. 35.

Eraſmi *Roterodami* teſtimonium de fructibus reformationis in eccleſiam introductæ. 632.

Esdræ *lib. IV.* ſuppoſititius eſt. 119.

Eſſeni, ſecta Judaica. 318.

Ethniciſmus. 280. & 285. Ante diluvium non erat. 282. Quando invaluerit. 284.

Evangelii divina auctoritas ex ejus propagatione colligitur. 125.

F.

Fabricius *Albert.* quibus eos comparet, qui ob inania dubia chriſtianam religionem reſpuunt. 255.

Felicitas vera in hac vita non datur. 63.

Fenelonii Ep. Camerac. reſponſum ad ducem Aurelianenſem circa cultum ab hominibus DEO debitum. 41.

Fides aliqua eſt neceſſaria. 266. Ut ipſi gentiles fatentur. *ib.* Quamvis apud illos ſuperſtitioſa obtinuerit. 267.

Freretii circa fundationem regni Chinenſ. opinio. 108.

G.

Gentiles cur non miraculis Chriſti ad agnitionem veræ religionis perducantur? 225. Per myſteria & præcepta chriſtiana ab illius ſu-

ceptione deterrentur. 229.

Grotius *Hugo* locum [illegible] IX. v. 6. Ezechiæ regi applicat. 174. Illius conſilium reſtituendæ pacis catholicos inter & Proteſtantes. 600.

H.

Haberkornii effugium circa novitatem reformationis præcluditur. 718.

Hæreſes a ſuis auctoribus nomina ſua trahunt. 646. Chriſtianæ religioni multum ſplendoris detraxerunt. 348. Variæ ex Judaiſmo ortæ. 324.

Hæretici extraordinariam miſſionem jactant. 699. Sed absque fundamento. 701. Nullo modo evangelici aut reformatores. 648. Neque Catholici vocandi ſunt. 652. Quamvis eorum ſecta ſeſe late diffundat. 653. Semper aliquam ſanctitatem prætenderunt. 624. Sique in maximos errores prolapſi ſunt. 625. Omni miſſione deſtituuntur. 662.

Heracliti de rerum omnium origine opinio. 49.

Herberti Deiſtæ ſyſtema. 275.

Herodianorum ſecta. 318.

Heumanni ad Benedictum XIII. Pontif. epiſtola. 520.

Hieronymus Luciferia malleus. 442. Uni eccleſiaſticam maxi ſtimat. 443. *ſeq.* Q quanta ſcripſerit ad Luciferianos. 445. ſiæ Romanæ devoti cultor fuit. 540.

Hilarius diaconus L ſucceſſor. 444.

Hobbeſius unacum S vetus teſtamentum tit. 111. Ad illoru jectiones reſpondetu

Hochſtetteri ſanctimo Novatoribus celebra penditur. 531.

Hommii conſilium reu cum ſectis diſſide 609.

Huetii ſtudium in confe vaticiniis de Chriſto

I.

Japoniorum inſania primum rerum o principium. 31. Circ catum originale opin

Jaqueloti in defenden teris teſtamenti libr ra. 107.

Idololatria diluvio poſ 282. Illius ortus p luvium. 284. Incre 286. Variæ ſpecies Inſania ſtupenda. 2

S. Ignatius Ep. ſchiſm ſor acerrimus. 394.

tatem eccleſiaſticam conſervandam ſuadet. 396.
Immortalitas animæ unde deprehendatur? 65. Eam manifeſtanda juſtitia Dei. 71. Ejusque gloria promovenda ſibi poſtulat. 72.
Indifferentiſmus in quo conſiſtat? 276. Variæ illius claſſes. 277. Abſurdaque dogmata. 278.
Joſaphat Patriarcha Cpolitanus a Proteſtantibus ad unionem invitatus. 583. Quam tamen rejecit. *ib.*
Joſephi Judæi teſtimonium de Chriſto. 312. Vindicatur a Blondelli argumentis. 314.
S. Irenæus pacis eccleſiaſticæ ſtudioſiſſimus. 399. Schiſmata ſummum malum ac characterem falſæ doctrinæ ſtatuit. 400. Unitatem autem notam veræ eccleſiæ habuit. 402. Eccleſiæ Romanæ erat tenaciſſimus. 535. Traditionibus apoſtolicis omnia detulit. 404.
S. Iſidori Hiſpalenſis judicium de Mahomede. 325.
Ittigius quid de ſymbolo apoſtolorum cenſuerit. 468.
Juda tribus uſque ad adventum Meſſiæ ſceptrum ſemper tenuit. 167.
Judæi prophetiis de Chriſti adventu impletis potiſſimum revincuntur. 177. In Polonia noviſſimis temporibus religionem chriſtianam ambiunt. 323. Eorum cæcitas ſtupenda. 181. In fine temporum tandem ad Chriſtum convertendi ſunt. 226. Quo arcano Dei conſilio tamdiu non convertantur. 227. Variæ eorum circa Meſſiam opiniones. 219. Cur illum in adventu ſuo non agnoverint. 220. Ab ipſo moderno ſtatu ſuo optime revincuntur. 306. 314. In varias ſectas dividuntur. 317. Hodiedum celebriores ſunt ſectæ Rabbinorum & Karaitarum. 319. Illarum origo. *ibid.* Hodiernus eorum ſtatus. 321.
Julianus, qua ratione prophetias eludere conatus ſit? 151. Illius effugium quoad propagationem chriſtianæ religionis. 154. Occluditur. 155.
Junius, *Franciſcus*, lectione ſacræ ſcripturæ ab Atheiſmo liberatus. 92.
Jurius, Calviniſta, Tihonio Donatiſtæ ex aſſe ſimilis. 574. Illius cavillationes. 575. Refutantur. 577. Quam infelix fuerit in ſua amicabili conſultatione de pace inter Proteſtantes. 593.

Illius ſyſtema ad dignoſcendos articulos eſſentiales religionis. 376. Confutatur. 377. Ejus circa articulos a Reformatis excogitatos judicium. 706. Refellitur. 707.
Jus reformandi eccleſiam unde petendum? 711. 714. Nullum competebat Novatoribus. 612.

K.

Karaitæ ſecta Judaica. 321.

L.

Latitudinariorum ſecta. 613.
Lex Moſaica ſolos Judæos obligavit. 300. Illius infirmitas. 301. Nonniſi figuris conſtabat. 302. Tantum ad aliquod tempus inſtituta. 303. A Chriſto tandem legitime abrogata eſt. 305. 308.
Libertinorum origo. 244. Eorum principia refelluntur. 245. Querelæ contra principia chriſtiana confutantur. 244.
Lucares, patriarcha Cpolitanus Proteſtantibus favet. 584.
Luciferianorum in eccleſiam catholicam calumniæ. 442.
Lutherus ex reformatione ſua Atheiſmum propullulaturum prævidit. 3. Quas veræ eccleſiæ notas conſtituerit. 372. Schiſma illius non excuſandum. 565. Concordiam religionis cũ Zwinglio 591. & Buzero Marburgi fruſtra molitus eſt. 592. Ejus viva imago. 629. Impudens audacia. *ib.* Jactantia. 631. Diſputatio cum diabolo. *ibidem.*
Lyſidis, Pythagorici, de abuſu rationis in rebus divinis effatum. 236.

M.

Mahomed Judæos pertinaciæ ſuæ redarguit. 333. Varias viſiones jactat. 335.
Mahumedaniſmi origo. 325. Illius dogmata potiora. 326. & 328. Progreſſus. 329. Quid de Moyſe, 330. Chriſto, 331. & B. V. Maria credendum proponat. 333. Illius commenta & abſurditates. 336. *ſeq.*
Mala phyſica & moralia non præjudicant providentiæ divinæ. 57. Eorum cauſa. 58. & 87. Remedium a ſolo DEO petendum. 60.
Manichæi rationis uſui in rebus fidei nimium indulgentes multos perverterunt. 351.

Marcion

Marcion Moſaicam legem damnavit. 321.

Marshamus vaticinium Danielis Antiocho regi applicat. 177.

Melanchtonis ſtudium ad uniendos Proteſtantes cum eccleſia Græca. 583.

Meſſiæ typus erat Anna mater Samuelis. 171. David quoque & Salomon. 172. Eum jam adveniſſe contra Judæos miſera ipſorum conditio clamat. 306. *ſeq.*

Miracula vera in confirmationem evangelii patrata nulli ſubjacent dubio. 147. Infallibile veræ religionis argumentum præbent. 185. Ea a falſis diſcernendi criterium. 186. Neceſſaria erant ad fundandam chriſtianam eccleſiam. 190. Quædam eorum nativitatem Chriſti præcedebant, aut comitabantur. 192. Alia in ipſius morte acciderunt, aut illam ſequebantur. 193. Singula expenduntur. *ib.* Eorum veritas vindicatur. 200. Per apoſtolos & alios fideles primis temporibus ſæpe patrata. 206. Cur hiſce temporibus rariora ſint? 211. Quædam ab Apollonio Tianeo patrata ſunt. 177. Eorum, quæ in confirmationem Gentiliſmi fiebant, vanitas. 210.

Miſſio divina, ſicut a ſacerdotibus in veteri teſtamento. 659. Ita a miniſtris quoque verbi divini in nova lege ſemper requirebatur. 660. Quod adverſarii ipſimet fatentur. 661. Hinc a modernis Novatoribus immerito impugnatur. 680. Miſſio extraordinaria, quam Neoterici jactitant, commentitia eſt, & implicat. 703.

Molinæus, quas veræ eccleſiæ notas conſtituat. 387 Refellitur. *ibid.*

Motiva credibilitatis pro divina miſſione Moyſis. 89. Pro religione chriſtiana præcipue pugnant miracula. 146. Impletæ prophetiæ. 150. Et martyrum multitudo. 157. *ſeq.*

Mundus eſt a DEO creatus. 15. Ejusque providentia clementiſſime conſervatur. 32.

N.

Natura quædam arcana & rationi impervia habet. 237.

Naturaliſtarum ſyſtema. 273. Illorum anteſignani. 274. *ſeq.*

Nicolius Janſenii aſſecla. 572. Novatorum hoſtis acerrimus. 573. A Claudio & Jurio impugnatur. *ib. ſeq.*
Noachiticæ leges. 163.
Neſtoriani Naturaliſtis immerito accenſentur. 275.
Novatores funeſti ſchiſmatis hodierni rei ſunt. 545. Hinc omnem jurisdictionem eccleſiaſticam amiſerunt. 554. Non habuerunt juſtam cauſam deſerendi eccleſiam. 573. Neque illam reformandi. 666. Munere Reformatorum peſſime defuncti ſunt. 704. Reformati, aut Evangelici vocari ambiunt. 648.
Novitas falſitatem eccleſiæ arguit. 719.

O.

S. Optatus *Milevit.* Donatiſtarum ſchiſma ſtrenue impugnavit 427. Omnes veræ eccleſiæ dotes in eccleſia catholica contineri demonſtravit. 432. Unitatis eccleſiaſticæ erat tenaciſſimus. 539.
Oracula Gentilium vana. 293.
Oweni quemlibet veræ eccleſiæ judicem facientis abſurda liberalitas reprehenditur. 374.

P.

S. Pacianus Novatianorum ſchiſmati ſe ſtrenue oppoſuit. 432. Eorũ eccleſiam falſitatis convicit. 436. Etymologiam vocis *Catholica* affert. 438. Omnem novitatem in eccleſia de falſitate ſuſpectã habet. 440
Paganiſmi falſitas ex ejus ortu. 292. Natura. 294. Deorumque varietate patet. 296. Miracula, in illius confirmationem patrata illuſoria erant. 293.
Parmeniani opinio de ſanctitate eccleſiæ a SS. Patribus refutata. 430.
Paſchalis *Blaſius* Tutioriſmi defenſor. 153.
SS. Patrum auctoritas ſumme æſtimanda. 483. Unitatem, characterem veræ eccleſiæ ex ſcripturis contra hæreticos aſſeruerunt. 484. *ſeq.* A calumniis hæreticorum vindicatur. 507. & 511.
Pelagiani Naturaliſtis non ſunt adnumerandi. 275.
Pentateuchi Moyſes auctor eſt. 114.
S. Petri ſucceſſorumque ejus prærogativæ. 543.
Pfefferkornius libros Rabbinorũ exſtirpari voluit. 323.
Phariſæorum ſecta. 318.

Philo-

Philoſophorum veterum ſententiæ de primo Ente. 49. *ſeq.* Errores in doctrina morum. 51.
Plato aliquam SS. Trinitatis notitiam habuiſſe videtur. 50. Illius judicium circa mala phyſica in homine. 59. Agnovit quoddam peccatum originale. 74.
Poiretus philoſophusGentiles quosdam inter fideles numerat. 269.
Porphyrii delirium quoad miram chriſtianæ religionis propagationem. 154.
Propagatio chriſtianæ religionis maximum miraculum eſt. 213. Reſpectu graviſſimorum impedimentorum, quæ illi oboriebantur. 215. A propagatione aliarum hæreſum longe diverſa. 214. Mahumedaniſmi. 217. Judaiſmi quibus mediis promota. 218.
Proteſtantes irreconciliabiles cum Romano - Catholicis. 581. Cum orientalibus Græcis reunionem pro viribus moliti ſunt. 583. Sed fruſtra. 585. Ipſi in varias ſectas abierunt. 590. Absque ulla ſpe reſtituendæ unitatis. 593.
Pucius Florentinus Naturaliſta. 276.

Q.

Quadrati teſtimonium de miraculis Chriſti. 148.

R.

Rationis uſus in inquirenda vera religione non eſt prohibitus. 231. Limitari tamen debet. 232. Ob illius imbecillitatem. 234. & 237. Ac rerum divinarum altitudinem. 236.
Religio chriſtiana originem rerum omnium. 80. Immortalitatem animæ. 81. Genuinum æternæ felicitatis ſtatum. 83. Labem originalem. 85. Malorum phyſicorum & moralium in hoc mundo originem detegit. 86. Iisque medelam parat. 87. Olim ſtrenue contra perſecutores fuit defenſa. 144. Cur illius defenſio etiam noſtris temporibus ſit ſuſcipienda. *Ibid.*
— Veræ exordium ab Adamo repetendum. 259. Illius triplex ætas. 78. Indicium. 349. Ejus contemtus a Deo graviſſime punitur. 339. In quo illa conſtiterit poſt peccatum originale. 260. Poſt diluvium. 262. Temporibus Abrahæ. 264.

264. Et Moyſis. 265. Non tantum apud Judæos viguit. 268.

Reformatores an chriſtiani nuncupandi? 644. Quo medio ad ſtabiliendam reformationem ſuam uſi ſint? 703. Munere ſuo peſſime defuncti ſunt. 704. Inſignis ſchiſmatis ſe reos fecerunt. 724. Eccleſiis ſuis antiquitatem aliquam conciliaturi in omnes partes ſe vertunt. 728. Sed Siſyphi ſaxum volunt. 729.

S.

Sacrificia legis Moſaicæ figuræ erant Chriſti. 160. Et expiationis per eum faciendæ. 161.

Sadducæorũ inſtitutum. 318.

Samaritanorum origo. 319. Inſtitutum. 320.

Saraceni unde ſic dicti? 328.

Schiſma eccleſiæ ſummum malum. 551. Omni modo cavendum eſt. 555. Quædam in veteri lege jam orta ſunt. 559. Nulla datur illius juſta cauſa. *ib.* Illius ſe reos fecerunt hodierni Novatores. 563. Quantumvis reclament. 565. Cum omni ex parte ſe prodat. 724.

Schiſmatici ſemper aliquam ſanctitatis ſpeciem crimini ſuo prætenderunt. 626.

S. Scripturæ libri tam veteris, quam novi teſtamenti. 92. Divinæ auctoritatis ſunt. 100. Omne merentur fidei obſequium. 101. Dubia, quæ contra auctoritatem veteris teſtamenti moventur, nullius ponderis ſunt. 103. Hiſtoriæ in illis contentæ concordant cum aliis hiſtoricis. 106. Ab omni ſuppoſitione immunes ſunt. 120. Sine interprete infallibili non ſufficit ad dijudicandam eccleſiam. 379.

Sectæ variæ ex Lutheraniſmo. 590. Unde oriantur? 929.

Sergius, monachus Neſtorianus Mahumedis fautor. 325.

Servetus a Calvino Genevæ rogo addictus. 513.

Sociniani Naturaliſmum ſapiunt. 257.

Spinoſæ de origine & exiſtentia mundi error. 21. Rejicitur. 22. Cavillationes adverſus hiſtoriam Moyſis. 111. Pentateuchum Moyſi immerito abjudicat. 114. Illius de miraculis a Chriſto patratis ſententia. 149. Reſurrectionem Chriſti myſticam tantũ fuiſſe ſomniatur. 197.

Naturaliſmi pater eſt. 273.

Sybillarum vaticinia maximæ quondam auctoritatis erant. 152.

Symbolum fidei unde ſic dictum? 461. Quotuplex? 462. Continet veræ eccleſiæ notas. 464. Quis illius auctor? 466. Quando vox *Catholica* illi inſerta? 470. Dubia quædam hac in re occurrentia. 471. Solvuntur. 472. *ſeq.* A Voſſio impugnatur. 465. Ob diſciplinam arcani primis temporibus nunquam litteris mandare licuit. 466.

Syneſii de nimio rationis uſu in rebus divinis effatum celebre. 236.

T.

Talmud quid? 322. Commenta & fabulæ in eo contentæ. *ib. ſeqq.*

Taleucus legislator fidei alicujus neceſſitatem agnovit. 266.

Tertullianus librum de præſcriptionibus hæreticorum ſcripſit. 408. Oeconomia & præſtantia hujus libri. 410. 411. Hæreticos quoque noſtri ævi ſtringit. 413. Quantumvis illi renitantur. 414. Quas notas hæreticorum ſtatuerit. 418. Adhuc catholicus ſedis Romanæ & traditionis eccleſiaſt. obſervantiſſimus. 536.

Teſtamenti novi facta ab adverſariis impetita. 123. Divina auctoritas ex mira ipſius propagatione colligitur. 175. Maximam meretur fidem ſive ſpectetur in ſe. 129. Sive conſiderentur ea, quæ in illo continentur. 131. Sive ii, qui illud ſcripſerunt & teſtati ſunt. 133. Corruptum & depravatum eſſe mera calumnia eſt. 137. Maxima circũſpectio ſemper adhibita illud ab omni ſuppoſitione immunem conſervandi. 141.

Thales *Mileſ.* in quo primum Ens conſtituerit. 49.

Tiberii imperatoris opinio de Chriſto. 298.

Tutius in adoptanda religione eligendum. 247.

U. V.

le Vaſſor, *Michael.* contra S. Auguſtinum excipiens refutatur. 447.

Vaticinia de venturo Meſſia Geneſis XLIX. 8. 166. Deuteronomii XVIII. 15. 170. Iſajæ VII. 14. 173. Danielis IX. 25. explanantur. 175.

Vincentius *Lirinenſis* ſub no-

[redacted]

[redacted]

[redacted]

DEC 7 - 1971